ACTA

EX IIS DECERPTA

QUAE APUD SANCTAM SEDEM

GERUNTUR

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA

ET ILLUSTRATA

SEU

Acta iuridica et solemniore ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia : acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi ; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE..Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant : in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

—Volumen III. \h^=—

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTAE OFFICINAE S. C. DE PROPAGANDA FIDE

EQ. PETRO MARIETTI EIUSDEM S. C. SOCIO ADMINISTRO E DENTE

MDCCCLXVII

JOHNSON REPRINT CORPORATION
Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W. 1

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IXa

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO PUBLICO

DJE XXVI. IUNII MDCCCLXVII.

Venerabiles Fratres.

« Singulari quidem inter maximas Nostras acerbitates gaudio et consolatione afficimur, cum iterum gratissimo conspectu ac frequentia vestra perfrui, vosque coram alloqui in hoc amplissimo conventu possimus, Venerabiles Fratres. Vos enim ex omnibus terrarum regionibus desiderii Nostri significatione et vestrae pietatis instinctu in hanc Urbem adducti, Vos eximia religione praestantes, in sollicitudinis Nostrae partem vocati nihil potius habetis, quam calamitosis hisce temporibus omnem in re catholica tuenda animarumque salute curanda vestram opem Nobis ferre, multiplices moerores Nostros lenire ac ampliora in dies vestrae fidei voluntatis et obsequii, erga hanc Petri Cathedram experimenta praebere. Hoc vestro adspectu recreamur vehementer, hoc novo pietatis et amoris vestri argumento ac testimonio de illis libenter recordamur, quae usque ad hanc diem concordibus animis, non uno studiorum genere, non intermissis curis, non deterriti adversis certatim edidistis. Quae porro rerum suavissimarum memoria alte Nobis in animo infixa, semperque mansura, illud efficit, ut gratus Nostrae caritatis sensus, multo nunc quam alias ardentior atque vividior, erga universum vestrum ordinem perspicua testificatione et luculentioribus signis, palam publiceque gestiat erumpere.

» Sed si haec leviter raptimque perstricta superiorum temporum recordatio Nos adeo percellit atque solatur, Vos ipsos, Venerabiles Fratres, facile intellecturos arbitramur qua laetitia exaltet, qua caritate flagret hodie cor Nostrum, dum iterum observantia et frequentia vestra perfruimur, qui ex remotioribus etiam catholicis provinciis Nostro desiderio perspecto, una omnes pietate et amore acti ad Nos convenistis. Nihil enim Nobis optatius, nihil iucundius esse potest quam vestro in coetu versari, vestraeque Nobiscum coniunctionis fructum capere, in iis potissimum sollemnibus peragendis, in quibus omnia, quae versantur ante oculos, de Catholicae Ecclesiae unitate, de immobili unitatis fundamento, de praeclaro eius tuendae servandaeque studio, ac gloria loquuntur. De illa scilicet admirabili unitate loquuntur, qua, veluti quadam vena, Divini Spiritus charismata et dona in mysticum Christi corpus manant, ac in singulis eius membris tanta illa fidei et caritatis exempla excitant, quae universum hominum genus in admirationem impellunt. Agitur enim, Venerabiles Fratres, hoc tempore ut Sanctorum honores decernantur tot inclitis Ecclesiae Heroibus, quorum plerique gloriosum martyrii certamen certantes, alii pro tuendo Apostolicae Cathedrae, in qua veritatis et unitatis est centrum, Principatu, alii pro integritate ac unitate fidei vindicanda, alii pro restituendis Catholicae Ecclesiae hominibus schismate avulsis pretiosam mortem libenter oppetierunt, adeo ut mirum divinae Providentiae consilium satis eluceat, quae tum maxime exempla adserendae catholicae unitatis, et triumphus Adsertorum proposuit, cum Catholica fides et Apostolicae Sedis auctoritas infestioribus inimicorum artibus conflictaretur. Agitur praeterea ut memoriam diei auspicatissimi solemni ritu recolamus, quo die Beatissimus Petrus et Coapostolus eius Paulus ante annos mille octingentos illustri martyrio in hac urbe perfuncti, immobilem Catholicae unitatis arcem suo sanguine consecrarunt. Quid igitur, Venerabiles Fratres, Nobis optabilius et tantorum Martyrum triumphis congruentius esse poterat, quam ut in eorum honoribus pulcherrima Catholicae Ecclesiae unitatis exempla ac spectacula , maiore qua possent significatione et luce fulgerent ? Quid aequius erat, quam ut haec ipsa de Apostolorum Principum triumphis gratulatio, quae ad totius Catholici nominis reli-

gionem pertinet, vestro etiam adventu studioque celebraretur? Quid dignius demum, quam ut tot tantarumque rerum splendor pietatis laetitiaeque vestrae accessione fieret illustrior?

» At non solum apta rebus et grata Nobis, Venerabiles Fratres, haec pietas, et concors cum Apostolica Sede coniunctio, sed praeterea tanti momenti est, ut maximi ex ea ac salutares admodum fructus sive ad comprimendam impiorum audaciam, sive ad communem fidelium et vestram singulorum utilitatem, omnino debeant existere. Ex hac nimirum Religionis oppugnatores intelligant necesse est, quam vigeat, qua vita polleat Catholica Ecclesia, quam infensis animis insectari non desinunt: discent quam inepto stultoque convicio eam veluti exhaustam viribus et suis defunctam temporibus incusarint: discent demum quam male suis triumphis plaudant, ac suis consiliis et conatibus fidant, satis perspicientes tantam virium compagem convelli non posse, quam Iesu Christi spiritus et divina virtus in Apostolicae confessionis petra coagmentavit. Profecto si unquam alias hoc maxime tempore, Venerabiles Fratres, omnibus hominibus pateat necesse est, ibi solum animos arctissima inter se coniunctione contineri posse, ubi unus idemque Dei spiritus omnibus dominatur; at, Deo relicto, Ecclesiae auctoritate contempta, homines felicitatis eius quam per scelera quaerunt expertes, in turbulentissimis tempestatibus misere, dissidiisque laetari.

» Sed si fidelium communis spectetur utilitas, quidnam, Venerabiles Fratres, opportunius ac salutarius ad incrementum obsequii erga Nos et Apostolicam Cathedram Catholicis gentibus esse potest, quam si videant quanti a Pastoribus suis catholicae unitatis iura et sanctitas fiat, eamque ob causam cernant eos magna terrarum spatia marisque transmittere, nec ullis deterreri incommodis, quominus ad Romanam Cathedram advolent, ut in Nostrae humilitatis persona Petri successorem et Christi in terris Vicarium revereantur? Hac nempe auctoritate exempli longe melius quam subtiliori qualibet doctrina agnoscent, qua veneratione, obedientia et obsequio erga Nos uti debeant; quibus in persona Petri a Christo Domino dictum est: « Pasce agnos meos, pasce oves meas, » iisque verbis suprema sollicitudo ac potestas in universam Ecclesiam credita est atque commissa.

» Quin etiam Vos ipsi, Venerabiles Fratres, Vos in sacro vestro ministerio obeundo, ex hac erga Apostolicam Sedem observantia insignem fructum laturi estis. Quo enim maiora vos necessitudinis fidei amorisque vincula cum angulari petra mystici aedificii devinxerunt, eo magis etiam, uti omnium Ecclesiae temporum memoria docet, eam fortitudinem induemini ac robur, quod ab amplitudine ministerii vestri contra hostiles impetus, et adversitates rerum postulatur. Quid enim aliud Christus Dominus intelligi voluit cum Petrum tuendae fratrum firmitati praeficiens, « Ego, inquit, rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos(1)?» Nimirum, ut SrLeo M. innuit, « Specialis cura Petri a Domino suscipitur et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur , et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis caeteris conferatur (2).» Quapropter Nos semper persuasum habuimus fieri non posse ut eius fortitudinis, qua praecipuo Domini munere cumulatus est Petrus, non aliqua semper in vobis fieret accessio, quoties prope ipsam Petri personam, qui suis in successoribus vivit, praesentes consisteretis, ac tantummodo solum attingentis huius urbis, quam sacri Apostolorum Principis sudores et triumphans sanguis irrigavi t. Immo etiam, Venerabiles Fratres, nunquam Nos dubitavimus quin ex ipso sepulcro, ubi beatissimi Petri cineres ad religionem Orbis sempiternam quiescunt, quaedam arcana vis et salutaris virtus existat, quae Pastoribus Dominici gregis fortes ausus, ingentes spiritus, magnánimos sensus inspiret, quaeque instaurato eorum robore efficit, ut impudens hostium audacia, catholicae unitatis virtuti et potestati impar, impari etiam certamine résidât et corruat.

» Nam quid Nos tandem dissimulemus, Venerabiles Fratres? Iamdiu in acie contra callidos et infestos hostes pro iustitiae et Religionis defensione versamur. Tam diuturna tam ingens dimicatio geritur, ut omnium quotquot in sacra militia censentur simul coniunctae vires, non iusto maiores numero ad resistendum esse videantur. Nos quidem Ecclesiae causam, libertatem

(1) Luc. c. XXII. 32. — (2) Ser. 3 in anniv. Ass. suae.

et iura pro supremi muneris Nostri ratione propugnantes, usque ad hanc diem, Dei Omnipotentis ope, ab exitialibus periculis incolumes fuimus; sed tamen rapimur et iactamur adhuc adversis ventis et fluctibus non quidem timentes naufragium, quod Christi Domini praesens auxilium timere non sinit, sed intimo sane dolore affecti ob tot novarum doctrinarum monstra, tot impie in Ecclesiam ipsam et Apostolicam Sedem commissa, quae quidem iam alias damnata ac reprobata (1), palam nunc iterum pro sacri Nostri muneris officio reprobamus et condemnamus. In hac tamen praesentis temporis ratione, et in ea quam capimus ex conspectu vestro laetitia, ultro commemorare praetermitti mus tot sollicitudines, curas, angores qui cor Nostrum gravi ac diuturno vulnere excruciant ac torquent. Haec potius omnia apud altaria afferemus quae Nostris assidue oneravimus precibus, respersimus lacrimis; haec omnia Clementissimo misericordiarum Patri instauratis obsecrationibus aperiemus iterum ac revelabimus, in Eo omnino fidentes qui Ecclesiae suae incolumitatem et gloriam tueri novit et potest, quique iudicium faciens omnibus iniuriam patientibus de causa Nostra et adversantium Nobis, non fallente die, iusto iudicio iudicabit.

» Interim vero vos, Venerabiles Fratres, pro spectata vestra sapientia recte intelligitis, quam vehementer intersit ad occurrendum impiorum consiliis et tot detrimenta Ecclesiae sarcienda, ut quae vestrum omnium cum Nobis et Apostolica hac Sede concordia tantopere enitet, altius in dies defixis radicibus roboretur. Quin immo, hic catholicae coniunctionis amor, qui ubi semel inhaesit animis, ad aliorum etiam utilitatem late dimanat, hic profecto vos conquiescere non sinet, nisi pariter in eadem catholica concordia acf indivulsa fidei, spei, caritatisque consensione ecclesiasticos omnes viros quorum Duces estis, et universos fideles vobis concreditos una opera praestare eonnitamini. Nullum sane spectaculum angelorum atque hominum oculis pulchrius esse poterit, quam si in hac peregrinatione nostra, qua ab exilio ad patriam pergimus , aemula imago referatur et ordo peregrinationis illius, qua duodecim Israeliticae Tribus ad felices Promissionis oras coniunctis itineribus contendebant. Ingrediebantur enim omnes, singulae suis discretae au-

(l) Alloc. Consist. 29 Oct. 1866.

ctoribus, distinctae nominibus, diremptae locis, parebantque suis quaeque familia patribus, bellatorum manus ducibus, hominum multitudo principibus; sed tamen unus erat tot ex gentibus populus, qui eidem Deo et ad eamdem supplicabat aram, unus qui iisdem legibus, eidem Sacerdoti Maximo Aaroni, eidem Dei Legato obtemperabat Moysi, unus qui pari iure in bellorum laboribus et victoriarum fructibus utebatur, unus demum qui pariter sub tentoriis agens, et admirabili vescens cibo, eamdem concordibus votis adspirabat ad metam.

» Huiusmodi vos coniuctioni perpetuo retinendae operam daturos, tot iam pignoribus vestrae fidei concordiaeque acceptis, certum omnino ac exploratum habemus. Spondet id Nobis spectata vestra integritas ac praestans virtus, quae semper ubique sui similis, et omni periculo maior effulsit: spondet illud ingens studium et ardor qui vos ad aeternam hominum salutem curandam, et ad divinam amplificandam gloriam rapit atque urget: spondet id demum ac certissime spondet sublimis illa oratio, quam Christus ipse ante extremos cruciatus suos ad Patrem obtulit, illum precatus « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in Te, ut et ipsi in Nobis unum sint (1) » cui precationi fieri nunquam potest, ut Divinus non adnuat Pater.

» Nobis autem, Venerabiles Fratres, nihil optabilius est quam ut eum fructum quem maxime salutarem ae faustum Ecclesiae universae fore ducimus, ex hac eadem vestra cum Apostolica Sede coniunctione capiamus. Iamdiu enim animo agitavimus, quod pluribus etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum pro rerum adiunctis innotuit, ac illud etiam, ubi primum optata Nobis opportunitas aderit, efficere aliquando posse confidimus, nempe ut sacrum oecumenicum et generale omnium Episcoporum catholici Orbis habeamus Concilium, quo collatis consiliis coniunctisque studiis necessaria ac salutaria remedia, tot praesertim malis quibus Ecclesia premitur, Deo adiuvante, adhibeantur. Ex hoc profecto uti maximam spem habemus eveniet, ut Catholicae veritatis lux errorum tenebris, quibus mortalium mentes obvolvuntur, amotis, salutare suum lumen diffundat, quo illi veram salutis et iustitiae semitam, adspirante Dei gratia, agnoscant et instent. Ex hoc item eveniet, ut Ecclesia veluti

(1) S. Ioan. XVII. 21.

invicta castrorum acies ordinata hostiles inimicorum conatus retundat, impetus frangat, ac de ipsis triumphans Iesu Christi Regnum in terris longe lateque propaget ac proferat.

» Nunc vero ut vota Nostra impleantur, utque Nostrae vestraeque curae uberes iustitiae fructus Christianis afferant populis, ad Deum omnis iustitiae et bonitatis fontem erigamus oculos, in Quo omnis plenitudo praesidii, et gratiae ubertas sperantibus collocata est. Cum autem advocatum apud Patrem habeamus Iesum Christum Filium Eius, Pontificem magnum qui penetravit Caelos, qui semper vivens interpellat pro nobis, quique in admirabili Eucharistiae Sacramento nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, hunc Redemptorem amantissimum, Venerabiles Fratres, ponamus ut signaculum super cor nostrum, ut signaculum super brachium nostrum, atque ad altare illud, ubi ipse Auctor gratiae thronum misericordiae constituit, ubi omnes qui laborant et onerati sunt, reficiendi cupidus expectat, nostras assidue preces omni cum fiducia deferamus. Eum itaque sine intermissione humiliterque obsecremus, ut Ecclesiam suam a tantis calamitatibus et omni discrimine eruat, eique laetam pacis vicem, victoriamque de hostibus donet, ut Nobis ac Vobis novas usque vires ad sui Nominis gloriam provehendam addat, ut illo igne, quem venit mittere in terras, hominum animos inflammet, ac errantes omnes potenti sua virtute ad salutaria consilia convertat. Vestrae autem pietatis erit, Venerabiles Fratres, illud omni ope curare, ut crediti vobis fideles in cognitione Domini Nostri Iesu Christi in dies crescant, Eumque in Sacramento augusto praesentem, constanti fide venerentur, redament ac frequenter invisant, nihilque erit vestro studio curaque dignius, quam ut vigilantibus ad Eius aram ignibus, vigilet etiam in cordibus fidelium gratus pietatis sensus, vigilet indeficiens flamma caritatis. Quo vero facilius Deus ad obsecrationes nostras aurem suam propitius inclinet, semper et enixe petamus suffragia, primum quidem Deiparae Virginis Mariae Immaculatae, quo nullum apud Deum potentius patrocinium ; deinde Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli quorum Natalitia acturi sumus, nec non omnium Caelitum Sanctorum qui cum Christo regnantes in Caelis munera divinae largitatis hominibus sua deprecatione conciliant.

» Denique Vobis, Venerabiles Fratres, ac aliis omnibus Venerabilibus Fratribus catholicarum gentium Episcopis, item fidelibus omnibus Vestrae atque illorum curae concreditis, quorum pietatis et amoris eximia semper testimonia accepimus et continenter in dies experimur, singulis universis Apostolicam Nostram Benedictionem cum omni felicitatis voto coniunctam, ex ntimo corde amantissime impertimus.»

ALLOCUTIO

HABITA IN AEDIBUS VATICANIS

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO DIVINA PROVIDENTIA PP. IX.

DIE XXV. IUNII MDCCCLXVH.

AD PRESBYTEROS CATHOLICOS

QUI AD SAECULARIA SOLEMNIA SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI,
ET CANONIZATIONEM MARTYRUM
IOSAPHAT ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS RUTHENORUM, PETRI ARBUESII,
NICOLAI PICHI EIUSQUE DUODEVIGINTI SOCIORUM; ET CONFESSORUM
PAULI A CRUCE, LEONARDI A PORTU MAURITIO
AC VIRGINUM MARIAE FRANCISCAE A VULNERIBUS D. N. I. C.
AC GERMANAE COUSIN, ROMAM CONVENERUNT,

« Iucundissima quidem Nobis est maxima et mira vestra frequentia, Dilecti Filii, qui sanctissimo sacerdotio ornati vestrorum Antistitum vestigia sectantes ad Nos, et ad hanc Romanam Beatissimi Petri Apostolorum Principis Sedem hoc auspica^simo tempore tanta alacritate convolastis. Equidem haec eximia vestra erga Nos, et eamdem Sedem pietas, devotio, et observantia summam Nobis affert consolationem inter gravissimas, quibus affligimur, acerbitates. Itaque nihil Nobis gratius, quam intimo paterni Nostri cordis affectu Vos alloqui, qui in Dei exercituum militiam cooptati, et in sortem Domini vocati ipsum Dominum elegistis tamquam partem haereditatis vestrae. Vos ii estis, quos Deus singulari beneficio in Ecclesia sua ad excelsam Sacerdotalem dignitatem evexit, et separavit ab omni populo, sibique iunxit, ut serviatis Domino, et stetis coram frequentia populi, ac ministretis ei, et Deo orationes, obsecrationes, et hostiam puram, sanctam, immaculatam pro vestra, ac totius mundi salute offeratis. Hinc per vos ipsi probe noscitis, nihil Vobis potius esse posse, quam morum gravitate, vitae innocentia, integritate, castitate, omniumque virtutum

ornatu, ac sacrarum praesertim disciplinarum scientia quotidie magis fulgere, ut cum humani generis hostibus strenue pugnare, et maiorem Dei gloriam, animarumque salutem procurare valeatis. Videte ministerium, quod accepistis in Domino, ut illud impleatis (1) in hac potissimum tanta temporum asperitate, ac tanta inimicorum hominum contra divinam nostram religionem conspiratione, et errorum colluvie. Quocirca, Dilecti Filii, arctissimo inter vos caritatis vinculo coniuncti, et illustria vestrorum Antistitum exempla aemulantes, sub eorum ductu labórate veluti boni milites Christi Iesu. Ab hac igitur urbe in vestras Dioeceses reversi omnes sacri vestri ministerii partes diligenter, ac sancte implere contendite, et fidelibus curae vestrae praesertim commissis catholicam unitatem, et doctrinam, ac debitam huic Petri Cathedrae omnium Ecclesiarum Matri, et Magistrae eiusque documentis obedientiam, reverentiamque inculcate, ne circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Vos, ut divini verbi interpretes, evangelizeos oportet, et quidem continenter Evangelium Dei sapientibus et insipientibus, neque iam in sublimitate sermonis, sed in doctrina spiritus praedicate Iesum Christum, et hunc Crucifixum, ac nunquam desinite errantes ad salutis tramitem revocare, omnesque exhortari in doctrina sana. Cum autem sitis dispensatores mysteriorum, ac multiformis gratiae Dei, omni sacrorum ope procurate christianam plebem Vobis concreditam, et maxime aegrotos, ne quid eis auxilii unquam desit, quo facilius ipsi cum morte iam colluctantes, Daemonis insidias retegant, eiusque tela devitent. Dum haec agitis, nolite committere, ut non detis lac parvulis potum, quin immo nihil magis Vobis cordi sit quam omni cura rudimenta fidei, morumque disciplinam patienter admodum puerulos docere, eosque ad pietatem omnemque virtutem formare. Summo autem studio auxiliariam vestram operam vestris Antistitibus navantes, eisque illa, qua par est, reverentia obsequentes, omnia peragenda curate, ut quod in propria cuiusque vestrum Dioecesi infirmum sit, sanetur, quod confractum alligetur, quod abiectum reducatur, quod perierit quaeratur (2), ut Deus in omnibus honorificetur per Iesum Christum Domi-

(t) Coloss. 4 v. 17. — (2) Ezechiel c. 54 v. 5.

num Nostrum *(i)*. Intentis vero animis cogitate immarcescibilem illam gloriam, quam dabit vobis Dominus iustus iudex si inconfusibiles vos operarios invenerit in magna illa die iniquis amara valde, sed iustis laeta, immo iucundissima. Haec cogitatio in proprii vestri ministerii partibus recte implendis vos foveat, in perferendis laboribus vos sublevet, in exequendis Dei, eiusque sanctae Ecclesiae mandatis vos confirmet. Ne desinatis ferventissimas Deo offerre preces pro Ecclesiae suae triumpho, ac pace, et omnium hominum salute, Eumque semper exorate, ut divina sua gratia vestros secundet labores ad maiorem sancti sui nominis gloriam ubique procurandam. Et quo facilius Deus vestris annuat votis, deprecatores apud Ipsum adhibete primum quidem Immaculatam Deiparam Virginem Mariam, cuius et tutela tam potens, et materna in nos voluntas, ac deinde Beatissimus praesertim Apostolos Petrum et Paulum, et Caelites omnes, qui Christi vestigia sequuti triumphales iam meruerunt coronas, ac vota, precesque nostras pronis semper auribus excipiunt, nobisque ultro etiam suffragantur, ut eiusdem gloriae consortes aliquando reperiamur. Denique, Dilecti Filii, caelestium omnium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis, et fidelibus vestrae vigilantiae commissis peramanter impertimur. Insuper veniam perlibenter tribuimus, ut die a proprio cuiusque vestrum Episcopo designanda, quicumque ex vestris regionibus profecti hic adestis, Apostolicam Benedictionem cum applicatione Plenariae Indulgentiae fidelibus spirituali vestrae curae concreditis semel impertire possitis, dummodo fideles ipsi Sacramentali Confessione expiati, et Sacra Synaxi refecti pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, ac triumpho ferventes ad Deum preces effuderint.»

MONITUM.

<(Apostolica Benedictio, de qua supra mentio est, danda erit in forma Ecclesiae consueta, et ab iis tantummodo dari poterit, qui aut Parochi sunt, aut Parochorum auxiliares, aut Religiosarum Domuum, aliorumve Piorum Locorum, aut Institutorum christianae iuventuti educandae, aut hospitalium, aut carcerum poenalium moderatores. »

(1) Epist. I. Petri c. *4.* **v. 2.**

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII'

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

HOMILIA

HABITA IN BASILICA VATICANA INTER MISSARUM SOLEMNIA

DIE XXIX. IUNII MDCCCLXVI1.

IN SAECULARI FESTO SANCTORUM APOSTOLORUM

PETRI ET PAULI

ATQUE CANONIZATIONE

UNIUS ET VIGINTI MARTYRUM

ET CONFESSORUM

PAULI A CRUCE LEONARDI A PORTU MAURITIO

AC VIRGINUM

MARIAE PANCISCAE A VULNERIBUS D. N. I. C.

ET GERMANAE COUSIN.

«Optatissimus, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, illuxit dies, quo Nobis singulari Dei beneficio datum est saecularia solemnia Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli triumphis sacra concelebrare, ac pluribus divinae nostrae Religionis heroibus Sanctorum cultum et honores decernere. Itaque exsultemus in Domino, et spirituali iucunditate laetemur, cum gloriosus recurrat dies summa universi Catholici orbis, et huius praesertim nostrae urbis veneratione et gaudio colendus. Hoc enim solemni die Petrus et Paulus Ecclesiae luminaria, Martyres summi, legis Doctores, amici Sponsi, oculi Sponsae, Pastores gregis, mundi Custodes ad caelestia regna felici martyrio conscenderunt (1). Isti sunt viri, per quos Tibi Evangelium Christi, Roma, resplenduit, et quae eras magistra erroris, facta es discipula veritatis; Isti sunt, qui te regnis caelestibus inserendam multo melius, multoque felicius condiderunt, quam illi, quorum studio prima moenium tuorum fundamenta

(1) S. Petrus Dam. Serra. 27 de SS. Apost. Petr. et Paul.

locata sunt. Isti sunt, qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis, et regia per sacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena (1). Hi sunt coniuncti Viri habentes splendidas vestes, Viri misericordiae, ac nostri veri patres, verique pastores, qui nos per Evangelium genuerunt. Quis autem Petro gloriosor? qui divino illustratos lumine primus omnium agnovit, omnibusque patefecit altissimum Maiestatis aeternae arcanum et confitendo Christum Dominum vivi Dei esse Filium» validissima invictaque nobis credendi fundamenta constituit (2). Ipse firmissima est Petra, supra quam aeterni Patris Filius Ecclesiam suam tanta soliditate fundavit, ut adversus eam portae inferi praevalere nunquam possint. Ipsi a Christo Domino traditae sunt claves regni caelorum, et suprema commissa potestas, et cura pascendi agnos et oves, confirmandi Fratres, ac universam regendi Ecclesiam, et cuius fides nunquam defectura, neque in suis successoribus, qui in hac Romana Cathedra sunt collocati. Quis beatior Paulo? qui a Domino electus, ut portaret nomen suum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel (3), pro suarum remuneratione virtutum tertium raptus ad caelum caelestia secreta cognovit, ut Ecclesiarum futurus Doctor inter Angelos disceret, quod inter homines praedicaret (4). Hi beatissimi Petrus et Paulus sacramentum novae legis uno spiritu praedicantes omnia pericula, difficultates, labores, poenas, cruciatusque constanter pro Domino perpessi, Christi nomen et religionem in Gentes invexerunt, et Paganam philosophiam vicerunt, Idololatriam e solio deturbarunt, ac sanctissimis suis gestis, scriptisque evangelicae veritatis lucem longe lateque diffuderunt, cum in omnem terram exiverit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum, ac sub unius passione diei doctrinam suam pio sanguine et morte fortissima consecrarint. Itaque, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, eorumdem Apostolorum gloriam solemni ritu et maxima laetitia concelebrantes, et sacros eorum cineres, ad quos feliciter stamus, omni veneratione prosequentes, claris-

(1) S. Leo Serm. *8'J* al. 80 in Natali Apostolorum Petri et Pauli.
(2) S. Maximus Homil. 68 in Natali Apostolorum Petri et Pauli.
(3) Act. Apost. c. 9 v. 15.
(4) S. Maximus ibidem.

sima illorum gesta sermonibus praedicemus, atque in primis eorum virtutes omni studio imitemur.

»Iam vero summo quoque gaudio perfundimur, quandoquidem Deus Nobis tribuit hoc felicissimo die Sanctorum cultum, et honores decernere invictis Christi Martyribus Iosaphat Kuncevicio Polocensi Ruthenorum Antistiti, Petro Arbuesio, Nicolao Pichio, eiusque duodeviginti sociis, et binis gloriosissimis Confessoribus Paulo a Cruce, 'Leonardo a Portu Mauritio, ac duabus clarissimis Virginibus Mariae Franciscae a Vulneribus Domini Nostri Iesu Christi, et Germanae Cousin. Qui omnes etiamsi eadem nostra circumdati infirmitate, et peregrini hic in terris, multisque tribulationibus, ac periculis subiecti, tamen inconcussa in Deum fide ac firmissima, et summa caritate incensi, ac pari in proximum dilectione insignes, mortificationem Christi in corpore circumferentes, et conformes facti imaginis Filii Dei, asperrima quaequejpro Christi amore perpessi de carne, mundo, ac saevissimo Daemone splendide triumpharunt; ac sanctitatis splendore, mirisque prodigiis catholicam illustrarunt Ecclesiam, et clarissima nobis imitanda virtutum omnium reliquerunt exempla. Nunc vero facti amici Dei in caelesti Ierusalem induti stolis albis exsultant in gloria, et inebriantur ab ubertate domus Dei, propterea quod Dominus laetificat eos in gaudio cum vultu suo, et torrente voluptatis potat eos , ac fulgentes sicut sol coronati possident palmam , et regnant cum Christo in aeternum, Eumque pro nobis exorant, cum de propria immortalitate securi, sint adhuc de nostra salute solliciti.

» Humiles igitur, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, Dep totius consolationis agamus gratias, quod inter tantas, quibus affligimur, Ecclesiae civilisque societatis calami ta tes, et pericula per hos clarissimos Martyres, Confessores, et Virgines nova ac valida Ecclesiae suae sanctae praesidia, et illustria fidelibus populis virtutum documenta dare sit dignatus. Summo autem studio insignia horum Sanctorum vestigia sectemur, et idcirco eiusdem fidei, spei, caritatisque in Deum spiritu magis in dies infiammati terrestria despiciamus, et caelestia unice spectemus, atque alacriori usque pede per semitas Domini ambulemus, et abnegantes saecularia desideria sobrie, iuste, ac pie vivamus, et omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, mise*

ricordes, modesti, humiles (1) per bona opera certam nostram vocationem, et electionem facere studeamus.

» Sed iam liceat Nobis cum omni humilitate, et fiducia levare oculos Nostros ad Te , Domine Deus Noster, qui dives in misericordia omnipotentiam Tuam parcendo maxime, et miserando manifestas, intuere propitius et respice Ecclesiam Tuam sanctam tot undique iactatam procellis, et liumanam societatem tot agitatam turbinibus , ac per merita Apostolorum Tuorum Petri et Pauli, et istorum Martyrum, Confessorum et Virginum averte iram Tuam a nobis, et multiplica super nos misericordiam, et fac omnipotenti Tua virtute, ut Ecclesia de suis hostibus triumphans ubique terrarum magis in dies prospere, feliciterque propagetur, et omnes populi, cunctis depulsis erroribus, cunctisque vitiis profligatis occurrant in unitatem fidei, et agnitionis Filii Tui Domini Nostri Iesu Christi, ac divina Tua dextera urbem hanc ab omnibus inimicorum insidiis coetibusque tuere, ac défende.»

——«XJON^OCX«——

EPISCOPORUM AD R. PONTIFICEM ORATIO.

BEATISSIME PATER (*) !

« Apostolica Tua vox iterum auribus nostris insonuit, nuncians novum aeternae veritatis triumphum, sanctorum caelitum gloria refulgentem, et antiquum urbis aeternae, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli sanguine consacratae decus, quorum martyrii memoria saecularis rediens, totum hodie Orbem Christianum laetitia afficit et fidelium mentes ad salutarem maximarum rerum cogitationem extollit.

«Iucundissima apostolici oris ad festa talia nos peramanter invitantis verba percipere minime potuimus, quin continuo subiret animum solemnium illorum memoria, quae, ante annos quin-

(l) S. Petr. Epist. I. c. 3 v. 8.

(*) Heic referimus obsequii protestatione!)! (vulgo *Indirizzo)* quam erga Romanum Pontificem et Apostolicam Cathedram subscripserunt Romae sacri Antistites quorum nomina infra referuntur: nec non eam, quae subsequuta est, Romani Pontificis responsionem.

que, Tuo lateri adstantes in urbe peregimus, et grati recordaremur, qua tunc nos benignitate et humanitate habueris, qua nos paterna caritate fueris in illa faustissima gratulatone complexus. Haec suavis recordatio, haec amantissimi Patris non tam iubentis quam optantis vox illam animis nostris ad romanum iter capessendum alacritatem adiecit, quam Tibi, Beatissime Pater! satis luculenter amplissima haec Antistitum frequentia, qui tertium ad Te confluxerunt, et communis omnium pietas ac fidelis observantia declarant. Tam ingenti Antistitum numero, cui vix simile quid in praeteritarum aetatum memoria reperitur, par solummodo est Tua in nos caritas ac benevolentia, par unice obsequii amorisque in Te nostri magnitudo. Hisce autem causis vehementius hodie excitamur, ut eximias virtutes Tuas, Sedem Apostolicam novo illustrantes lumine, novo etiam prosequamur honore, et augustissimum Tuum animum graves inter, quibus premeris at non concuteris, aerumnas, iterato amoris et admirationis testimonio coram solemur.

» Sed dum votis obsecuti sumus Tuis, alium etiam optatissimum nobis spectavimus fructum, ut scilicet cor nostrum tot Ecclesiae malis sauciatum paterni Tui vultus recrearemur adspectu, fraternam inter nos concordiam magis magisque roboraremus, ac communem Tibi nobisque solatii et gaudii materiem quaereremus.

» Hanc vero laetandi causam Tu maximam nobis praestas, dum tot nova sanctorum nomina fastis Ecclesiae inscribens homines potenter edoces, quanta sit, quamque inexhausta matris Ecclesiae foecunditas. Hanc triumphantium gloriosus martyrum sanguis exornat, hanc inviolatae confessionis candida induit virginitas, huius floribus nec rosae nec lilia desunt. Tu, caelestia virtutum praemia mortalibus ostendens, oculos a rerum inanium conspectu ad iucundam caeli gloriam erigere doces. Tu, dum homines mirandis ingenii sui industriaeque operibus exsultant, triumphale sanctorum Dei vexillum attollens illos admones, ut super ipsam rerum adspectabilium et gaudiorum humanorum pompam ac speciem, oculos ad Deum omnis sapientiae et pulchritudinis fontem convertant, ne ii, quibus dictum fuit « *Subiicite terram et dominamini* » obliviscantur unquam supremi illius praecepti « *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* »

» Ast qui suspicientes caelestem Ierusalem, novorum sanctorum gloria gestientem, mirabilia Domini humili corde agnoscimus et profitemur, magis etiam ad haec celebranda incendimur, dum hodierna saeculari solemnitate immotam conteníplairmr petrae illius firmitatem, super quam Dominus ac Redemptor noster Ecclesiae suae molem perpetuitatemque constituit. Divina enim virtute factum cernimus, ut Petri Cathedra, organum veritatis, unitatis centrum, fundamentum et propugnaculum libertatis Ecclesiae, tot inter rerum adversitates et non intermissa hostium molimina, octodecim iam elapsis plane saeculis, stet firma incolumisque ; dum regna et imperia surgunt ruuntque vicissim, stet veluti secura pharus in procelloso vitae aequore mortalium iter dirigens, tutamque stationem et portum salutis sua luce commonstrans.

» Hac fide, hisce sensibus ducti loquebamur olim, Beatissime Pater! cum ante quinquennium Tuo throno adstantes sublimi Tuo ministerio debitum testimonium dedimus, votaque pro Te , pro civili Tuo principatu, pro iustitiae ac religionis causa palam nuncupavimus. Hac fide ducti verbis scriptoque eo tempore professi sumus, nihil nobis potius et antiquius esse, quam ufc quae Tu ipse credis ac doces, nos quoque credamus et doceamus , quos reiicis errores, nos item reiiciamus, Te duce unanimes incedamus in viis Domini, Te sequamur, Tibi adlaboremus ac Tecum pro Domino in omne discrimen fortunamque parati decertemus. Cuncta haec, quae tunc declaravimus, nunc denuo piissimo cordis sensu confirmamus, idque universo orbi testatum esse volumus; grato simul recolentes animo, plenoque laudantes assensu , quae a Te in salutem fidelium et Ecclesiae gloriam ab eo quoque tempore gesta fuerunt.

» Quod enim Petrus olim dixerat « *non possumus quae vidimus et audivimus non loqui* » Tu pariter sanctum et solemne habuisti, ac nunquam non habere luculenter demonstras. Non enim unquam obticuit os Tuum. Tu aeternas veritates annunciare, Tu saeculi errores, naturalem supernaturalemque rerum ordinem atque ipsa ecclesiasticae civilisque potestatis fundamenta subvertere minitantes, apostolici eloquii gladio configere, Tu caliginem novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dispellere, Tu quae necessaria ac salutaria sunt tum singulis ho-

minibus, tum christianae familiae, tum civili societati intrepide effari, suadere, commendare supremi Tui ministerii es arbitratus; ut tandem cuncti assequantur, quid hominem catholicum tenere, servare ac profiteri oporteat. Pro qua eximia cura maximas Sanctitati Tuae gratias agimus, et habituri sumus sempiternas ; Petrumque per os Pii locutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annuntiamus, unoque ore atque animo reiicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum , ipsi societatis humanae bono adversa, Tu ipse reprobanda ac reiicienda iudicasti. Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto Unionis unanimes definiverunt : Romanum Pontificem « *Christi Vicarium totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi Universalem Ecclesiam a Domino Nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.* »

)> Sed alia praeterea sunt, quae nostram in Te caritatem, gratosque animi sensus provocant. Magna enim cum iucunditate admiramur heroicam illam virtutem, qua perniciosis saeculi machinationibus obsistendo, dominicum gregem in via salutis servare, contra seductiones erroris munire, contra vim potentium et falsorum sapientum astutiam tueri adnisus es. Admiramur studium illud fatigari nescium, quo emolumenta universae Ecclesiae, apostolica providentia Orientis et Occidentis populos complexus, promovere nunquam destitisti. Admiramur magnificum illud, quod generi hominum in peius quotidie ruenti Pastoris boni spectaculum exhibes, ipsorum etiam veritatis inimicorum animos percellens, oculosque ad se vel invitos ipsa rerum praestantia et dignitate convertens.

» Perge igitur Pastorum Pastoris vicaria potestate fungens, divini Tui muneris partes Deo confisus tueri; perge vitae aeternae subsidiis pascere Tibi creditas oves; perge sanare contritiones Israel, et agnos Christi quaerere qui perierant. Faxit Deus Omnipotens, ut, qui amoris Tui et officii sui immemores voci Tuae adhuc resistunt, meliora secuti consilia ad Te tandem redeuntes, luctum Tuum in gaudium convertant. Tuarum pastoralium curarum fructus, divina benignitate adspirante, incrementum capiant in dies;

felix animarum conversio, quam Deus Te administro quotidie operatur, magis magisque amplificetur; Tuque virtutum Tuarum vi et glorioso laborum successu animabus Christo lucrifactis, prolatisque regni eius finibus, cum Domino et Magistro vere exclamare possis « *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.*»

» Haec immo, Beatissime Pater! salutaris ac felicioris aevi indicia conspiciuntur. Testis amor ille, quem cunctarum nationum fideles ad quaevis pro Te exantlanda parati commonstrant, dum vires corporis et animi atque adeo vitam ipsam pro Ecclesiae iuribus et Apostolicae Sedis gloria adserenda impendere ac dicare gestiunt. Testis prona illa catholicarum mentium reverentia, quae Te supremum Pastorem cupide intuetur, quae Apostolicae Cathedrae oracula laetanter excipit, iisque firmissimo adsensu et obsequio adhaerere gloriatur. Testis illa filialis animi indoles, qua populus Christianus vestigia fidelium sequens, qui olim ad pedes Apostolorum facultates suas sponte deferebant, rerum Tuarum angustiis hucusque occurrit, et continenter eas sublevare non desinit. Haec filialis argumenta pietatis intimo pectore commoti cernimus, nunquam non operam daturi, ut sacer hic ignis in cordibus fidelium accensus foveatur et vigeat, utque tum nostro tum cleri totius exemplo animati omnes praeclaram illam voluntatem ac liberalitatem provehant, Tibique ad aeternam eorum salutem plenius procurandam temporalia adiumenta suppeditent.

» Qui autem fidelium omnium erga Te pietate tantopere afficimur, Beatissime Pater! peculiaris gaudii fructum capimus ex illa fide, ex illo amore et obsequio, quo digni aeternae Urbis cives Te Patrem, Te Principem indulgentissimum complectuntur. Felicem populum ac vere sapientem! qui novit, quae sibi amplitudo et gloria ex Petri Sede in Urbe constituta proveniant, qui intelligit non alios terminos divinae erga se benignitati definitos fore, quam quos ipse sibi in sua erga Christi Vicarium observantia et in Principem Sacratissimum amore constituerit. Haec concupisce, haec sequere romana gens; sit haec constans, sit immota pietas; sit haec romana Urbs, quam Christianus Orbis caeterarum principem suamque Iubens agnoscit, caeteris exemplo praelucere, sit caelestibus gratiis donisque florens, virtutibus opibusque beata.

» Id, Beatissime Pater! Tui Pontificatus splendor effecit, quo non Urbs solum Tua, sed universus orbis illustratur, cuiusque admiratio ita nos movet, ut ex illo exemplum pro sacro ministerio petendum esse existimemus.

» At non minus Tua vox suaviter illabens pectoris ima pervadit, quam virtutum Tuarum pontificalium imago animos nostros percellit.

» Summo igitur gaudio repletus est animus noster, dum e sacrato ore Tuo intelleximus, tot inter praesentis temporis discrimina eo Te esse consilio, ut *maximum,* prout aiebat inclitus Tuus praedecessor Paulus III, *in maximis rei christianae periculis remedium,* Concilium oecumenicum convoces.

» Annuat Deus huic Tuo proposito, cuius ipse Tibi mentem inspiravit; habeantque tandem aevi nostri homines, qui infirmi in fide, semper discentes et nunquam ad veritatis agnitionem pervenientes omni vento doctrinae circumferuntur, in sacrosancta hac Synodo novam, praesentissimamque occasionem accedendi ad sanctam Ecclesiam, columnam ac firmamentum veritatis, cognoscendi salutiferam fidem, perniciosos reiiciendi errores; ac fiat, Deo propitio, et conciliatrice Deipara Immaculata, haec Synodus grande opus unitatis, sanctificationis et pacis, unde novus in Ecclesiam splendor redundet, novus regni Dei triumphus consequatur.

» Et hoc ipso Tuae providentiae opere denuo exhibeantur mundo immensa beneficia, per Pontificatum romanum humanae societati asserta. Pateat cunctis, Ecclesiam, eo quod super solidissima Petra fundetur, tantum valere, ut errores depellat, mores corrigat, barbariem compescat, civilisque humanitatis mater dicatur et sit. Pateat mundo, quod divinae auctoritatis et debitae eidem obedientiae manifestissimo specimine , in divina Pontificatus institutione dato, ea omnia stabilita et sacrata sint, quae societatum fundamenta ac diuturnitatem solident.

» Quod ubi perspexerint principes et populi, non permittent, ut augustissimum Tuum ius, omnis auctoritatis, omnium iurium certissima sanctio, impune conculcetur; imo ipsi curabunt Tua Tibi constet et potestatis libertas et libertatis potestas; adsint subsidia ad sublime Tuum, illisque ipsis summe proficuum ministerium[1] efficaciter exercendum; nec patientur, ut

vox Tua a gregibus Ecclesiae sanctae addictis prohibeatur, ne pabulo aeternarum veritatum privati misere contabescant, laxatisve apud eos obedientiae et reverentiae erga divinum in Te residens magisterium vinculis, illa quoque auctoritas, qua reges regnant et legum conditores iusta decernunt, in certissimum status civilis detrimentum labefactetur.

» Haec est spes nostra, quam corde fovemus. Hoc continuum precum nostrarum est, semperque erit, argumentum.

» Macte ergo animo, Beatissime Pater! perge navim Ecclesiae inter medias procellas secura, ut suevisti, manu ad portum adducere. Mater divinae gratiae, quam Tu pulcherrimo honoris titulo salutasti, intercessionis suae auxilio tutabitur semitam Tuam. Erit Tibi in stellam maris, quam invicta, uti soles, fiducia suspiciens, non frustra diriges cursum ad Illum, qui per eam ad nos venire voluit. Faventes habebis caelestes Sanctorum choros, quorum beatam gloriam magno studio continuisque apostolicis conatibus exquisitam mundo exsultanti tum diebus istis, tum antehac annunciasti. Assistent Tibi Principes Apostolorum Petrus et Paulus, precibus potentibus sollicitudinem Tuam secundantes. In puppi, quam Tu nunc occupas, Petrus olim sedebat; ipse apud Dominum intercedet, ut quae navis ipsius suffragiis adiuta octodecim saeculis altum vitae humanae mare feliciter percurrit, Te duce, opimis immortalium animarum spoliis onusta, caelestem portum plenis subeat velis. Quod ut fiat, nos curarum, precum et laborum Tuorum fideles devotosque socios habebis, qui divinam clementiam nunc quoque deprecamur, ut Tibi omni benedictione caelesti cumulato serventur augeanturque vires; ut novi in dies animarum lucris dives sit vita Tua, sit longaeva in terris, sit olim in caelis beata! »

f Marius Cardinalis Mattei, Episc. Ostiens. et V elitern., et S. Collegii Decanus.
t Constantinus Card. Patrizi, Episc. Portuen. et S. Rufinae.
t Aloisius Card. Amat, Episcop. Praenestin.
f Ludovicus Card. Altieri, Episc. Albanen.
i Nicolaus Card. Garelli Paracciani, Episc. Tusculan.
f Philippus Card. *De* **Angelis, Archiep. Firman.**
i Engelbertus Card. Sterckx, Archiep. Mechlinien.
t Aloisius Card. Vannicelli Casoni, Archiep. Ferrarien.
t Cosmas Card. Corsi, Archiep. Pisan.
t Dominicus Card. Cara fa de Traetto, Archiep. Beneventan,

f Xistus Card. Riario Sforza, Archiep. Neapolitan.
t Iacobus Maria Card. Mathieu, Archiep. Bisuntin.
t Franciscus Augustus Card. Donnet, Archiep. Burdigalen.
f Carolus Aloisius Card. Morichini, Episc. Aesinus.
t Ioachim Card. Pecci, Episc. Perusin.
f Antonius Benedictus Card. Antonucci, Episc. Anconitan.
f Enricus Card. Orfei, Archiep. Ravennaten, et Administrat. Dioec. Cesenaten
t Ioseph. Maria Card. Milesi, Abbas Trium Fontium.
f Michael Card. Garcia Cuesta, Archiep. Compostellan.
f Ioseph Aloisius Card. Trevisanato, Patr. Venetiarum.
f Ludovicus Card. De la Lastra-y-Cuesta, Archiep. Hispalen.
f Philippus Maria Card. Guidi, Archiep. Bononien.
f Henricus Maria Card. De Bonnechose, Archiep. Rothomagen.
i Paulus Card. Cullen, Archiep. Dublinen.
f Rogerius Aloisius Antici Mattei, Patriarca Constantinop.
f Paulus Ballerini, Patriarca Alexandrin.
t Paulus Petrus Mashad, Patriarca Antiochen. Maronitar.
f Gregorius Ioseff, Patr. Antiochen. graec. rit. Melchitar.
t Iosephus Valerga, Patr. Hierosolymitan.
i Thomas Iglesias y Barcones, Patriarca Indiar. Occiden.
t Antonius Hassun* Primas Constantinop. arm. rit.
f Ioannes Simor, Primas Regni Hungariae, Archiep. Strigon.
t Aloisius Maria Cardelli, Archiep. Acriden.
t Laurentius Trioche, Archiep. Babilonen.
f Meletius, Archiep. Drabischen. graec. rit.
f Petrus Apelian, Archiep. Marascen. arm. rit.
f Ignatius Kalybgian, Archiep. Amasien. arm. rit.
t Petrus Richardus Kenrick, Archiep. S. Ludovici.
t Petrus Cilento, Archiep. Rossanen.
f Alexander Asinari de Sanmarzano, Archiep. Ephesin.
f Alexander Angeloni, Archiep. Urbinaten.
f Georgius Hurmuz, Archiep. Siunien. arm. rit.
t Aloisius Clementi, Archiep. Epis. Ariminen.
t Felicissime Salvini, Archiep. Camerinen.
f Eduardus Hurmuz, Archiep. Siracen. armen, rit.
f Raphael d'Ambrosio, Archiep. Dyrrachien.
f Iulius Arrigoni, Archiep. Lucanus.
f Ioseph de Bianchi Dottula, Archiep. Tranen. Nazaren. et Barolen.
f Eustachius Gonella, Archiep., Episc. Yiterbien. et Tuscanien.
f Iosephus Rotundo, Archiep. Tarentin.
f Gregorius De Luca, Archiep. Compsanus, Administrator Campanien.
f Ioannes Hagian, Archiep. Caesarien. armen, rit.
t Ioannes Baptista Purcell, Archiep. Cincinnaten.
t Renatus Franciscus Régnier, Archiep. Cameracen.
f Maximilianus De Tarnoczy, Archiep. Salisburgen.
f Beniaminus, Archiep. Neaupolit.
t Elias Melius, Archiep. Acren, et Zhibaren. Chaldaeor.

f Fridericus De Furstenberg, Archiep. Olomucen.
t Paulus Brunoni, Archiep. Taronen.
f Iosephus Matar, Archiep. Maronita Aleppensis.
t Philippus Cammarota, Archiep. Gaietan.
t Franciscus Xaverius Apuzzo, Archiep. Surrentin.
f Caietanus Rossini, Archiep., Episc. Melphiten. Iovenacen. et Terlitien.
t Petrus Villanova Castellacci, Archiep. Petren.
f Vincentius Tizzani, Archiep. Nisiben.
f Vincentius Spaccapietra, Archiepiscopus Smyrnensis.
i Marianus Ricciardi, Archiepiscopus Reginen.
f Carolus Pooten, Archiepiscopus Antibaren, et Scodren.
t Franciscus Aemilius Cugini, Archiepiscopus Mutinen.
f Iacobus Bosagi, Archiep. Caesarien. armen, rit.
f Raphael Ferrigno, Archiep. Brundusin.
f Salvator Nobili Vitelleschi, Archiep., Episc. Auximan. et Cingulan.
t Alexander Franchi, Archiep. Thessalonicen.
i Petrus Bostani, Archiep. Tyren. et Sydonien. Maronit.
f Patritius Leahy, Archiep. Casselien.
\+ Iosephus Hippolytus Guibert, Archiep. Turonen.
f Marinus Marini, Archiep., Episc. Urbevetan.
f Georgius Claudius Chalandon, Archiep. Aquen.
•f Gregorius Szymonowicz, Archiep. Leopolien. armen, rit.
f Ioachim Limberti, Archiep. Florentin.
i Antonius Salomone, Archiep. Salernitan.
f Philippus Gallo, Archiep. Patrassen.
•h Petrus Giannelli, Archiep. Sardien.
f loseph S. Alemany, Archiep. S. Francisci de California.
•f Franciscus Pedicini, Archiep. Baren.
i Emanuel Garcia Gil, Archiep. Caesaraugustam
f Arsenius Avak-Vartan-Angiarakian, Archiep. Tarsen, armen, rit.
f Iulianus Florianus Desprez, Archiep. Tolosan.
f Ignatius Akkani, Archiep. Hauranan. graec. rit. Melchitar.
t Franciscus Xaverius Wierzchleyski, Archiep. Leopolitan. rit. lat.
f Spiridion Maddalena, Archiep. Corcyren.
-i Gregorius Balitian, Archiep. Aleppen. armen, rît.
f Ioannes Maria Odin, Archiep. Novae Aureliae.
f Ioannes Martinus Spolding, Archiep. Baltimoren.
f Leo Korkpruni, Archiep. Melitenen. arm. rit.
f Carolus De la Tour D' Auvergne-Lauragais, Archiep. Bituricen.
f "Ioannes Hagg. Archiep. Heliopolitan. Maron.
i Miecislaus Ledochowski, Archiep. Gnesnen, et Posnanien.
f Walter Steins, Archiep., Episc. Bosrensis, Vicarius Apost. Calcut,
Primus Calvus Lopez, Archiep. S. Iacobi de Cuba.
i Benvenutus Monzón y Martin, Archiep. Granaten,
f Iosephus Berardi, Archiep. Nicen.
t Petrus Alexander Doimo Maupas, Archiep. ladren,
f Athanasius Raphael Giorchi, Archiep. Babilonen. Syror.

•f Georgius Darboy, Archiep. Parisien.
f Antonius de Lavastida, Archiep. Mexican.
•f Clemens Munguia, Archiep. Mecoacan.
i Paulus Hatem, Archiep. Aleppen. graec. rit. Melchitar.
f Petrus Matah, Archiep. Iazirensis in Syria.
f Ludovicus Anna Dubreil, Archiep. Avenionen.
t Ioannes Ignatius Moreno, Archiep. Vallisolitan.
f Martialis Guillelmus Du Cosquer, Archiep. Portus Principis.
f Laurentius Pergeretti, Archiep. Naxiensis.
f Ludovicus Gonin, Archiep. Portus Hispaniae.
f Melchior Nasarian, Archiep. Marden. armen, rit.
f Darius Bucciarelli, Archiep. Scopien.
f Franciscus Fleix-y-Solans, Archiep. Tarraconen.
+ Ludovicus Haynald, Archiep. Colocen, et Bacsien
I Basilius Michael Gasparian, Archiep. Cypren. armen, rit
f Ioannes Paulus Franciscus Maria Lyonnet, Archiep. Albien.
•f Henricus Eduardus Manning, Archiep. Westmonasterien.
r Iosephus Sembratowiez, Archiep. Nazianz. graec. rit.
•r Paulus Melchers, Archiep. Colonien.
f Franciscus Xaverius de Merode, Archiep. Melilenen.
•f Antonius Bossi Vaccari, Archiep. Colossen.
I Aloisius Ciurcia, Archiep. Irenopolitan.
•*I* Alexander Riccardi, Archiep. Taurinen.
f Ioseph Renedictus Dusmet, Archiep. Catanien.
i Iosephus Cardoni, Archiep. Edessen.
f Ioannes Baptista Landriot, Archiep. Rhemen.
f Carolus Martialis Allemand Lavigerie, Archiep. Iulia-Caesarien.
-f Aloisius Puecher Passavalli, Archiep. Iconien.
i Aloisius Nazarri di Calabiana, Archiep. Mediolanensis.
•f Ioannes Petrus Losanna, Episc. Bugellen.
•f Ignatius Giustiniani, Episc. Chien.
f Raphael Sanctes Casanelli, Episc. Adiacen.
i Guillelmus Aretini Sillani, Episc, olim Terracinen.
f Modestus Contratto, Episc. Aquen.
•f Theodosius Kojumgi, Episc. Sidonien. Melchitar.
f Iosephus Maria Severa, Episc. Interamnen.
f Fridericus Gabriel de Marguerye, Episc. Auguslodunen.
i Meletius Findi, Episc. Heliopolitan. graec. rit. Melchitar.
t Franciscus Victor Rivel, Episc. Divianien.
•f Iulianus Meirieu, Episc. Dinien.
r Ludovicus Besi, Episc. Canopen.
f Antonius Banza, Episc. Placentin.
i Dionysius Gauthier, Episc. Emausen.
•f Georgius Antonius Stahl, Episc. Herbipolen.
•f Andreas Raess, Episc. Argentinen.
i Carolus Gigli, Episc. Tiburtin.
f Franciscus Maria Vibert, Episc. Maurianeiv

f Ioannes Fennelly, Episc. Castorien.
f Stephanus Ludovicus Gharbonneaux, Episc, lassen.
f Petrus Paulus Lefevre, Episc. Zelan. Adminis. Detroiten.
f **Ioannes Hilarius Boset, Episc. Emeriten.**
f Fridericus Manfredini, Episc. Patavin.
f Nicolaus Grispigni, Episc. Fulginaten.
t Guillelmus Augebeault, Episc. Andegaven.
f Iosephus Armandus Gignoux, Episc. Bellovacen.
t ioannes Baptista Berteaud, Episc. Tutelen.
t Eleonorus Aronne, Episc. Montisalti.
t Caietanus Carli, Episc. Almiren.
4- **Ioannes Franciscus Wheland, Episc. Aureliopolitanus.**
f Ioannes Thomas Ghilardi, Episc. Montis Regalis.
f Paulus Georgius Dupont des Loges, Episc. Meten.
4- **Petrus Severini, Episc. Sappaten.**
t Petrus Iosephus De Preux, Episc. Sedunen.
t Ioannes Donney, Episc. Montisalbani.
4- Carolus Fridericus Roussalet, Episc. Sagien.
t Iacobus Bailles, Episc, olim Luconen.
t Ioannes Williams, Episc. Bostonien.
f Caietanus Cadetti, Episc. Realin.
f Ioannes Brady. Episc. Perten.
j- Felix Cantimorri, Episc. Parmen.
f Petrus Paulus Trucchi, Episc. Forolivien.
f Stephanus Marilley, Episc. Lausanen. et Geneven.
f Guillelmus Massaja, Episc. Cassien.
f Guillelmus Bernardus Ullathorne, Episc. Birminghamen.
f Alexius Canoz, Episc. Tamassen.
f Henricus Bossi, Episc. Casertan.
f Ioannes Baptista Pellei, Episc. Aquaependen.
•f Franciscus Mazzuoli, Episc. S. Severini.
i Flavianus Abel Hugonin. Episc. Bajocen.
i Philippus Mincione, Episc. Mileten.
•f Amadeus Rappe, Episc. Clevelanden.
f Ioannes Corti, Episc. Mantuanus.
f Aloisius Ricci, Episc. Signin.
f Iacobus Alipius Goold, Episc. Melbournen.
i **Eugenius Bruno Guiques, Episc. Outovien.**
•} Guillelmus De Cany, Episc. Cargianen.
i Paulus Dodmassei, Episc. Alexien.
i Kamillus Bisleli, Episc. Cornetanus et Centumcellar.
i **Thomas Mullok, Episc. S. Ioannis Terrae Novae.**
f Maria lulianus, Episc. Diniensis.
f Franciscus Gandolfi, Episc. Antipatren.
f Ioannes Antonius Balma, Episc. Ptolemaid.
f Aloisius Kobes, Episc. Methonen.
f Laurentius Guillelmus Renaldi, Episc. Pinerollen,

f Ioannes Maria Foulchier, Episc. Mimaten.
t Rudesindus, Episc. Portus Victoriae in Australia.
t Antonius Boscarini, Episc. S. Angeli in Vado et Urbanien.
t Ianuarius Acciardi, Episc. Anglonen. et Tursien.
f Antonius De Stephano, Episc. Benden.
f Guillelmus Keance, Episc. Cloynensis.
f Antonius Felix Philibertus Dupanloup, Episc. Aurelianen.
f Ludovicus Franciscus Pie, Episc. Pictavien.
f Livius Parlatore, Episc. S. Marci.
t Ignatius Maria Silletti, Episc. Melphien. et Rapollen.
f Petrus Simon Dreux Brèzè, Episc. Moulinen.
t Ioannes Ranolder, Episc. Vesprimien.
t Franciscus Petagna, Episc. Castri Maris.
f Petrus Cyrillus d'Uriz y da Labairù, Episc. Pampilonen. et Tudelen.
f Raphael Bachettoni, Episc. Nursinus.
f Georgius Strossmayer, Episc. Bosniensis et Syrmiensis.
f Alexander Taché, Episc. S. Bonifacii.
i Ioannes Mac-Gill, Episc. Richemondien.
f Hieronymus Verzeri, Episc. Brixien.
t Petrus Lacarriera, Episc, olim Bassae Terrae.
t Ludovicus Theophilus Pallu du Parc, Episc. Biesen.
f Philippus Fratellini, Episc. Forosempronien.
j- **Aloisius Margarita, Episc. Oritan.**
f Ioannes Sarrebayrouze, Episc. Hetaloniensis.
f Ioseph Arachial, Episc. Ancyran. armen, rit.
t Thomas Grant, Episc. Southwarcen.
t Vincentius Bisceglia, Episc. Termular.
I **Mathias Augustinus Mengacci, Episc. Civitatis Castellan. Hortan. etGallesin.**
f Ioannes Petrus Mabile, Episc. Versalien.
f Caietanus Brinciotti, Episc. Balneoregien.
f Colinus Mak Kinnon, Episc. Arichaten.
f Bernardus Pinol, Episc, de Nicaragua.
f Ludovicus Eugenius Regnault, Episc. Carnuten.
f Ioannes Iacobus Guerrin, Episc. Lingonen.
f Aloisius Sordo, Episc. Thelesin. seu Cerreten.
f Bartholomaeus D'Avanzo, Episc. Calven, et Theanen.
f Ioannes Iosephus Longobardi, Episc. Andrien
j Ioannes Petrus Bravard. Episc. Constantien.
t Theodorus de Montpellier, Episc. Leodien.
f Antonius La Scala, Episc. S Severi.
i **Iesualdus Vitali, Episc. Ferentin.**
f Carolus Maria Dubuis, Episc. Galvestonien
i Iacobus Stepischnegg, Episc Lavantin.
+ Aloisius Filippi, Episc Aquilan
i Iacobus Ginoulhial, Episc. Gratianopolitan
t Ioseph Chaxail-y-Estrade, Episc Urgellen
f Franciscus Iosephus Rüdiger, Episc Lincien.

f Ioannes Loughlin, Episc. Brooklynien.
f Taddeus Amat, Episc. Monteregen.
t Iacobus Booswell Bayley, Episc, Novarcen.
t Ludovicus Goesbriand, Episc. Burlingtonen
f Emigdius Forchini, Episc. Civitatis Plebis.
t Vincentius Materozzi, Episc. Buben, et Butunlin.
t Petrus Aloisius Speranza, Episc. Bergomen.
t Thomas Michael Salzano, Episc. Tanen.
f Felix Romano, Episc. Isclan.
t Aloisius Landi Vittori, Episc Assissien
t Vincentius Zubranich, Episc. Ragusin.
-f Benedictus liiccabona, Episc. Tridentin
f Ludovicus Forwerk, Episc. Leontopolilan
t Franciscus Antonius Maiorsini, Episc. Laquedonien.
f Innocentius Sannibale, Episc. Eugubin.
t Nicolaus Renatus Sergent, Episc. Corosopiten.
f Ioannes Rosati, Episc Tudertin
t Dominicus Zelo, Episc. Aversan.
t Caietanus Rodilossi, Episc. Alatrin.
t Franciscus Gallo, Episc. Abellinen.
t Petrus Rota, Episc. Guastallen.
f Ioannes Iosephus Vitezich, Episc. Veglien.
t Franciscus Gianpaolo, Episc. Larinen
f Franciscus Roullet de La Bouillerie, Episc Carcassonen.
f Franciscus Paulus, Episc. S. Agathae Gothorum.
f Alexius Ioseph Wicart, Episc. Vallis Vidonis.
t Guillelmus Vaughan, Episc. Plymouth
f **Nicolaus Pace, Episc. Amerin.**
f. Ioannes Benini, Episc. Piscien.
t Iosephus Del Prete, Episc. Thyatiren.
t Iosephus Formisano, Episc. Nolan.
f Claudius Henricus Plantier, Episc. Nemausen.
f Ludovicus Augustus Detalle, Episc. Ruthenen.
f .Vincentius Moretti, Episc. Imolen.
f Antonius Iosephus Iordanus, Episc. Foroiulien. et Tolonen.
t Ioannes Renier, Episc. Feltr. et Bellunensïs.
f Patritius Moran, Episc. Dardanen.
i **Laurentius Gilooly, Episc. Elphinensis.**
+ Guillelmus Emmanuel, Episc. Moguntinus.
f Ioannes Parrei, Episc. Hamiltonen.
f Elias Ant. Alberani, Episc. Ascul. in Piceno.
t Ioannes Ghiureghian, Episc. Trapezuntin. arm. rit.
f Adrianus Languillat, Episc. Sergiopolitan.
t Stephanus Semeria, Episc. Olympen.
f Iacobus Bernardi, Episc. Massan.
f Thomas Passero, Episc. Troian.
•f Claudius Iacobus Boudinet. Episc. Ambianen.

f Corradus Martin, Episc. Paterbonen.
f Ioseph Emanuel Arroyo, Episc, de Guayana.
f Ioseph Romero, Episc. Dibonen.
f Vincentius Cina, Episc. Adramiten.
t Henricus, Episc. Casertanus.
f Dalmatius Di Andrea, Episc. Boven.
f Vincentius Gasser, Episc. Brixinen.
t Philippus Vespasiani, Episc. Fanen.
t Clemens Fares, Episc. Pisauren.
t Franciscus Marinelli, Episc. Porphyrien.
f Henricus Iunker, Episc. Altonen.
f Ioannes Mac-Evilly, Episc. Galvien.
f Guillelmus Clifford, Episc. Cliftonien.
f Petrus Geraud De Langalerie, Episc. Bellicen.
f Petrus Marifu-Ferrè, Episc. Casalen.
•f Ludovicus Delcusy, Episc. Vivarien.
f Petrus Buffetti, Episc. Brictinorien.
i Iosephus Stephanus Godelle, Episc. Thermopylen.
f Iacobus Fridericus Wood, Episc. Philadelphien.
f Ioannes Baptista Scandella, Episcopus Antinoen.
f Iosephus Targioni, Episcopus Volaterran.
f Aloisius Maria Paoletti, Episcopus Montis Politiam.
f loseph De Los Rios, Episcopus Lucen.
f Michael 0'Hea, Episcopus Rossanen.
f Patritius Lynch, Episcopus Carolopolitan.
f Iosephus Maria Papardo, Episcopus Sinopen.
f Vitalis Iustinus Grandin, Episcopus Satalen.
-f Guillelmus Henricus Eider, Episcopus Natchezensis.
f Clemens Pagliari, Episcopus Anagnin.
i Fortunatus Maurizi, Episcopus Verulan.
f Petrus Sola, Episcopus Nicien.
f Ferdinandus Blanco, Episcopus Abulen.
f Paulus Benignus Carrion, Episcopus de Porto Rico.
i Iacobus Ieancard, Episcopus Ceramen.
i Carolus Ioannes Filion, Episcopus Cenomanen.
f Ioannes Sebastianus Devoucoux, Episcopus Ebroicen.
I- Ignatius Senestrey, Episcopus Ratisbonen.
i Richardus Roskell, Episcopus Nottinhgamen.
f Paschalis Vuicic, Episcopus Antiphellen.
f Ludovicus Idèo, Episcopus Liparen.
f Michael Paya y Rico, Episcopus Conchen.
T Iacobus Etheridge, Episcopus Toronen.
t Petrus Cubero y Lopez de Padilla, Episcopus Oriolen.
t Dominicus Fanelli, Episcopus Dianen.
r Ioachim Lluch, Episcopus Canarien, et S. Christophori in Lagui
f Ignatius Papardo, Episcopus Mynden.
t Ioannes Antonius Augustus, Episcopus Apamien.

f Petrus Tilkian, Episcopus Brussen. arm. rit.
f Antonius Maria Valenziani, Episcopus Fabrianen. et Matelicen.
f Hyacinthus Luzi, Episcopus Narnien.
f Thomas Grace, Episcopus S. Pauli de Minesota.
f Antonius Halagi, Episcopus Àrtuinen. arm. rit.
f Iosephus Teta, Episcopus Oppiden.
f Ioannes Baptista Siciliani, Episcopus Capulaquen. et Vallen.
f Franciscus Xaverius D'Ambrosio, Episcopus Muran.
f Michael Milella, Episcopus Aprutin.
t Rodesindus Salvado, Episcopus Victorien.
t Simon Spilotros, Episcopus Tricaricen.
f Felix Petrus Fruchaud, Episcopus Lemovicen.
t Aloisius Maria Epivemt, Episcopus Aturen.
t Ioseph Lopez-Crespo, Episcopus Santanderien.
t Vincentius Arbelaez, Episcopus Maximopolitanus.
t Ioannes Quinlan, Episcopus Mobilien.
t Petrus Ioseph Tordoya Episcopus Tiberiopolitan.
t Ioannes Monetti, Episcopus Cervien.
f Aloisius Riccio, Episcopus Calatinus.
f Alexander Paulus Spoglia, Episc. Comaclen.
f Aloisius Mariotti, Episc. Feretran.
f Valerius Laspro, Episc. Gallipolitan.
t Aloisius Lembo, Episc. Cotronen.
f Iacobus Rogers, Episc. Chatamen.
f Patritius Dorrion, Episc. Danen. etConnoren.
t Andreas Ignatius Schaepman, Episc. Esbonen.
t Alexander Bonnaz, Episc. Csanadensis.
t Sebastianus Dias Larangeira, Episc. S. Petri Flum. Granden.
t Michael Domenec, Episc. Pisttsburgen.
f Aloisius Antonius Dos Santos, Episc. Fortalexien.
f Antonius de Macedo Costa, Episc. Beiern de Para.
f Walterus Steins, Episc. Nilipolitan.
t Claudius Maria Magnili, Episc. Annecien.
1« Iulius Ravinet, Episc. Trecen.
t Antonius de Trinitate de Vasconcellos Pereira de Mello, Episc Latnacen
t Iacobus Donnelly, Episc. Clogherieii.
t Gerardus Petrus Wilmer, Episc. Harlemen.
f Georgius Buttler, Episc. Limericen.
t Carolus Theodorus Colet, Episc. Luconen.
t Eustachius Zanoli, Episc. Eleutheropolitan.
f Fridericus Maria Zinelli, Episc. Tarvisin.
t Aloisius De Canossa, Episc. Veronen.
•f Robertus Cornthwaite, Episc. Beverlacen.
t Benedictus Vilamitiana, Episc. Derthusen.
t Petrus Maria Lagüera y Menezo, Episc. Oxamen.
f Callistus Castrillo y Ornedo, Episc. Legionen.
f Silvester Horton Rosecrans, Episc. Pompeiopolitan,

f Victor Felix Bernardon, Episc. Vapincen.
f Augustinus David, Episc. Briocen.
f Ludovicus Nogret, Episc. S. Claudii.
f Antonius Boutonnet, Episc. Guadalupen.
f Pantaleo Monserrat y Navarro, Episc. Bareinon.
t loseph Fessier, Episc. S. Hippolyti.
f Marianus Puigllat-y-Amigo,'Episc. Illerden.
f Constantinus Bonet, Episc. Gerunden.
t Ioannes de Franca Castro e Moura, Episc. Portugallien.
t Ioannes Gray, Episc. Hypsopolitan.
f Bernardinus Trionfetti, Episc. Terracinen. Privernen. etSetin.
t Franciscus Gainza, Episc, de Caceres.
t Antonius Alves Martins, Episc. Visen.
t Ioseph Papp-Szilägyi de Ulesfalva, Episc. Magno Varadinen. Graec. Rum.
f Gioannichius, Episc. Palmiren. Graeco-Cath.
t Ioannes Jacovacci, Episc. Erythrensis.
t Ioannes Baptista Greith, Episc. S. Galli.
t Nicolaus Conaty, Episc. Kilmoren.
t Nicolaus Adames, Episc. Halicarnassen.
t Fidelis Abbati, Episc. Sanctorinen.
t Ioannes Baptista Gazailhan, Episc, olim Veneten.
t Antonius Monastyrski, Episc. Premislien.
t Ioannes Zaffron, Episc. Sebenicen.
7 Ioseph Nicolaus Dabert, Episc. Petrocoricen.
•;- Petrus Marcus Le Breton, Episc. Anicien.
t Ioannes Claudius Lachat, Episcopus Basileen.
t loseph Pluym, Episc. Nicopolitan.
t Felix Maria Arríete, Episc. Gatitan et Septen.
t Franciscus Andreoli, Episc. Gallien, et Pergulan.
f Paulus Micaleff, Episc. Civitatis Castelli.
t Antonius Maria Pettinari, Episc. Nucerin.
t Ioannes Petrus Dours, Episc. Suessionen.
f Gregorius Lopez, Episc. Placentin. Compostellen.
7 Ioseph Aloisius Montagut, Episc. Ovoten.
t Ioachim Hernández y Herrero, Episc. Segobricen,
t Paulus Beriscia, Episc. Pulaten.
f Ioannes Strain, Episc. Abilen.
f Edmundus Franciscus Guierry, Episc. Danaben.
7 Hyacinthus Vera, Episc. Megären.
t Gaspar Mermillod, Episc. Hebronen.
f Angelus Kraljevic, Episc. Metellopolitan.
t Agapitus Dumani, Episc. Ptolemaiden. graec. rit. Melchitar.
t Thomas Nutly, Episc. Midensis.
f Ioseph Salandari, Episc. Marcopolitan.
t Franciscus Nicolaus Güellette, Episc. Valentinen.
f Guillelmus Renetus Meignan, Episc. Catalaunen.
f Stephanus Ramadiè, Episc. Einen.

t Raymundus Garcia y Anton, Episc. Tuden.
f Hyacinthus Maria Martínez, Episc. S. Christophori de Havana.
f Henricus Franciscus Bracq, Episc. Gandaven.
f Nicolaus Power, Episc. Sareptan.
t Laurentius Bonaventura Schiel, Episc. Adelaidepolitân.*
f Ferdinandus Ramírez y Vázquez, Episc. Pacen.
f Victor Augustus Dechamps, Episc. Namurcen,
f Ioannes Ioseph Conroy, Episc. Albanen, in America.
f Ioannes Marangò Episc. Thinen. èt Miconen.
f Raphael Popow, Episc. Bulgaror.
f Nicolaus Frangipani, Episc. Concordien. electus.
+ Petrus Georgius di Natale Epis. Amiden. Chaldaeor.
f Ioannes Lozano, Episc. Palentin.
t Antonius Jordà y Soler, Episc. Vicen.
f Agabius Biscia, Episc. Cariopolitan.
f Stephanus Melchisedechian, Episc. Erzerumieu. armen, rit.
f Carolus Philippus Place, Episc. Marsilien.
f Ioannes Baptista Lequette, Episc. Atrebaten.
f Petrus Alfredus Grimardias, Episc. Caducen.
f Ioannes Maria Bécel, Episc. Veneten.
f Georgius Dubocowich, Episc. Pharen.
f Iacobus Lyngh, Episc. Arcadiopolitan.
f Ioseph De la Cuesta y Maroto, Episc. Aurien.
f Iacobus Chedwick, Episc. Hagulstadens. et Novo-Castrens.
f Angelus Di Pietro, Episc. Nyssen.
f Ioseph Aggarbati, Episc. Senogallien.
f Ioseph Bovieri, Episc. Montis Falisci.
f Iulius Lenti, Episc. Sutrin. et Nepesin.
f Thomas Gallucci, Episc. Recineten. etLauretaa.
f Ioannes Baptista Cerruti, Episc. Savonen. et Naulen.
f Salvator Angelus Demartis, Episc. Galtellinen. Noren.
f Philippus Manetti, Episc. Tripolitan.
f Conceptus Focaccetti, Episc. Lystren.
t Anselmus Faùli, Episc. Grossetan.
f Ioseph Rosati, Episc. Lünen.-Sarzanen.
t Iosephus Giusti, Episc. Aretinus.
f Carolus Macchi, Episc. Begien.
f Ioannes Zalka, Episc. laurinensis.
f Caietanus Franc«schini, Episc. Macerateli, et Tolentin.
i Antonium Fania, Episc. Marsicen, et Potentien.
f Andreas Formica, Episc. Cuneen.
t Carolus Savio, Episc. Ästen.
f Laurentius Gastaldi, Episc. Salutiarum.
f Eugenius Galletti, Episc. Alba-Pompeien.
f Antonius Colli, Episc. Alexandrin. Pedemontan.
f Augustinus Hacquard, Episc. Verdunen.
f Ioseph Alphredus Faulon, Episc. Nanceyen. et Tullen.

f Henricus Bindi, Episc. Pistorien.
f Antonius Green Delicata Testaferrata, Episc. Calydonien. «lectus.
f Franciscus Zunnui, Episc. Uxellen. et Terralben.
t Leo, Episc. Rjipellensis et Santonensis.
f Franciscus Gros, Episc. Tarantasiensis.
t Ioannes Chrysostomus Kruesz, Archiabbas O. S. B. S. Martini.
t Guillelmus de Cesare, Abbas Montis Virginis.

RESPONSIO R. PONTIFICIS.

Venerabiles Fratres.

« Periucunda quidem, licet a fide et devotione vestra prorsus expectanda, Nobis fuerat nobilis illa concordia, qua, seiuncti ac dissiti, eadem tenere, eadem asserere profitebamini, quae Nos docueramus; et eosdem, quos damnaveramus, errores in religiosae civilisque societatis exitium invectos, execrari. "Verum multo iucundius Nobis fuit haec ipsa discere ex ore vestro, et nunc rursum a congregatis vobis explicatius et solemnius accipere; dum iis amoris et obsequii officiis. Nos cumulatis, quae mentes affectusque vestros luculentius verbis ipsis aperiant. Curnam enim tam prono animo obsecundastis desiderio Nostro, omnique incommodo posthabito, ad Nos e toto terrarum orbe convolastis? Scilicet explorata vobis erat firmitas Petrae, supra quam aedificata fuit Ecclesia, perspecta vivifica eius virtus; nec vos fugiebat, quam praeclarum utrique rei testimonium accedat e christianorum heroum canonizatione. Duplex igitur hoc festum celebraturi confluxistis, non modo ut sacris hisce solemniis splendorem adderetis; sed ut universam veluti fidelium familiam referentes , praesentia vestra non minus, quam diserta professione testaremini, eamdem nunc, quae- duodeviginti ab hinc saeculis, vigere fidem, idem charitatis vinculum omnes nectere, eamdem virtutem exeri ab hac Cathedra veritatis. Placuit vobis commendare pastoralem sollicitudinem Nostram, et quidquid pro viribus agimus ad effundendam veritatis lucem, ad

disiicien,das errorum tenebras, ad perniciem depellendam ab .ani-^ajuis, Christi sanguine redemptis; nempe ut e coniunctis .pro-pr,iprum magistrorum sententiis ac vocibus, confirmentur christianae; gen tes jn obsequio ei amore erga hanc Sanctam Sedem, in eamque acrius mentis oculos intendant. Corrogatis undique subsidiis,huc convenistis civilem Nostrum sustentaturi principatum tanta oppugnatum perfidia; ideo sane ut splendidissimo hoc facto, et per collata catholici Orbis suffragia necessitatem eius ad liberum: Ecclesiae regimen assereretis. Dilectum vero populum Romanum, indubiaque et clarissima eius obsequii in Nos et dilectionis, indicia meritis laudibus prosequenda duxistis; quo et.ajacriores.^psi adiiceretis animos, et eum vindicaretis a conflabis calumniis,, et foedam illis sacrilegae proditionis notam inurere-,tjs, .qui, felicitatis populi obtentu, Romanum, Pontificem e .solio deturpare conantur. Et dum arctioribus ¡n^^uae charitatis nexibus per hunc conventum obstringere st'Uíiui.stis, omnes orbjs..Ecclesias, hoc etiam praestitistis, ut uberiore evangelico .spiritu repje ti jad Beatissimi Petri Principis Apost;plpruni .£t Pauli .Doctoris gentium cineres, fortipr.es inde,4ispep!e çetis ad p^rr^çnpendasjijiostium phalanges, ad tuenda religionis, iura, ad unj,t^tis ^fup!jium creditis plebibus efficacius ingerendum., Qupd s^pe;votum apertius etiam se prodit in eo communi Çpncilii oecumeuiei desiderio, quod omnes non modo perutile, sed et necessarium arbitramini. Superbia enim humana, veterem ausum instauratum, iamdiu per commentitium progressum, civitatem et turrim extruere nititur, cuius culmen pertingat ad caelum, unde demum Deus ipse detrahi possit. At Is descendisse videtur inspecturus opus, et aedificantium linguas ita confusurus, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui: id enim animo obiiciunt Ecclesiae vexationes, miseranda civilis consortii conditio, perturbatio rerum omnium, in qua versamur. Cui sane gravissimae calamitati sola certe obiici potest divina Ecclesiae virtus, quae tunc maxime se prodit, cum Episcopi a Summo Pontifice convocati, eo praeside, conveniunt in nomine Domini de Ecclesiae rebus acturi. Et gaudemus omnino, praevertisse Vos hac in re propositum iamdiu a Nobis conceptum commendandi sacrum hunc coetum eius patrocinio , cuius pedi a rerum exordio serpentis caput subiectum fuit, quaeque deinde

universas haereses sola interemit. Satisfactum propterea communi desiderio, iam num nunciamus, futurum quandocumque Concilium sub auspiciis Deiparae Virginis ab omni labe immunis esse constituendum, et eo aperiendum die, quo insignis huius privilegii ipsi collati memoria recolitur. Faxit Deus, faxit Immaculata Virgo, ut amplissimos e saluberimo isto consilio fructus percipere valeamus. Interim vero Ipsa validissimo suffragio suo praesentibus necessariam adiunctis opem nobis imploret, Deusque eius precibus exoratus misericordiae suae divitias in Nos universamque Ecclesiam effundat. Nos certe amantissimi gratissimique animi sensu non extinguendo compulsi, enixe-Vobis adprecamur a Deo quidquid spirituali emolumento Vestro, quidquid plebium Vobis commissarum profectui, quidquid religionis et iustitiae tutelae, quidquid civilis societatis tranquillitati benevertere possit. Et quoniam aliquot e Vobis a peculiaribus populorum suorum necessitatibus coactus, citius a Nobis discessuros esse comperimus, iis, si temporis angustiae singulos Nobis complecti non sinant, in praesentiarum omnia ominamur secunda, et effuso cordis affectu bene precamur. Universis vero supernorum omnium bonorum copiosique divini auxilii auspicem, simulque praecipuae benevolentiae Nostrae et grati animi testem, Benedictionem Apostolicam ex imo pectore depromptam peramanter impertimus. »

EX S, CONGREGATONE CONCILII.

IMPEDIMENTI SPONSALIUM.

Die 22 *Decembris* 1866. *Sess:* 24 *c.* 1 *de Ref. Matr:*

Compendium factt. Livius a prima adolescentia amare coepit puellam Caiam aetate paullo maiorem, relationibus amoris quinque annos cultis; cum pater Livii eiusmodi nuptiis esset infensus, sponsi consilium inierunt clandestine, ut aiunt, matrimonium contrahendi; quod tamen consilium eiusdem patris vigilantia dissipatum fuit.

Livius, qui decimum septimum aetatis suae annum agebat, Caiae novem et decem annos natae spopondit et scriptis tradidit ea quae sequuntur : *Ego Livius infrascriptus... noscens optimas dotes Caiae, post amores quinque abhinc annis cum eadem cultos, in conscientia et sponte promitto, meque obligo.. .ad matrimonium cum eadem contrahendum in faciem Ecclesiae et iuxta Indentinum Concilium, ,quavis exceptione remota. Et hoc facere existimo tum ad reparandum quovis modo Caiae honorem, tum ad reciproca desideria debite satisfacienda, et ad compensandas alias amissas nuptias mei causa; ita etc.* Quam scriptam obligationem Livius coram duobus testibus sic subsignavit: *me personaliter obligo ad ea plene implenda prout supra etc. Livius N. confirmo uti supra.*

Caia vero his verbis eam obligationem in acceptis habuit: *Caia N. accepto.*

Cum haec eveniebant, anno scilicet 1857, Caia gravis utero erat, quamvis, ut videtur, parentes eius hoc ignorarent : cognita vero puellae praegnantia, eius pater querelam movit adversus Livium. At causa super patrato stupro coram laico Iudice delata et agitata, resoluta tamen non fuit ob regni vicissitudines.

At vero cum anno 1863 in notitiam patris Caiae devenerit, Livium contra datam fidem alias sibi parare nuptias, in Curia episcopali se stitit idem puellae pater, *impedimentum* spon-

salium apponens, postulans ne literae testimoniales liberi status Livio traderentur. Hisce precibus a Curia exceptis, tres fere annos quievit Livius quin exposceret impedimenti remotionem. Hoc elapso tempore supplices preces §. Congregationi Concilii admovit ut impedimentum in Curia appositum submoveretur, ea praesertim de causa, quia data fides non poterat sponsalium obligationem inducere cum defuerit mutua obligatio Caiae sibi nubendi.

Audito de more Ordinario reliquisque servatis, causa in disceptationem vocata est, quamvis acta processualia deessent, quae coram iudice laico super patrato stupro confecta fuerant.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE sui FAVORE ADDUCEBAT Livius. — Unico argumento•' iiffsistebat Livius ut se liberum ostenderet: deesse scilicet' sponsalium contractum in praesentia contendebat ex defectu reèijftocae promissionis; fatebatur quidem se promisisse matrimonium éifctì Caia' ineundum quacumque contra huiusmodi promissionem" exceptione remota; at subdebat, Caiam nullatenus idipstftri' repromisisse, sed acceptasse dumtaxat promissionem: **bene** a **U tetti** stare posse ut aliquis acceptet alterius obligationern, **et** tárnéri seipsum servare liberum velit: promissionem et acceptationem simplicem promissionis non constituere sponsalium' contractum; ideoque sponsalia in praesentia non haberi. Quae **quidem** confirmabat pluribus auctoritatibus.

Neque eiusmodi simplicem acceptationem aequiparari posse inquiebat repromissioni ob stuprum quod se a Livio passam fuisse Caia aiebat sub matrimonii fide. Namque präetercfuani quod eiusmodi argumentum nonnisi praesumptionem* quamdam notum est suppeditare, facile praeterea in praesenti themate despiciendum esse: nam promissio matrimonii a se facta, non praecessit stuprum, sed subsecuta est. Ideoque argui' non posse per passam deflorationem, repromissionem.

Ad eiusmodi argumentum praeterea confirmandum ipsum suae promissionis valorem infirmabat : inquiebat enim, in sua iuvenili aetate constitutum a Caiae fratre facile fuisse deceptum; et ignarum existentiae praegnationis, minis etiam fuisse adacttmi ad futuras promittendas nuptias : eo autem minus se obstringi

per illam promissionem cum dissensus parentum sufficiens causa esse tradatur a promissione resiliendi, etsi valida sponsalia inita fuissent; quod auctoritatibus confirmabat.

EA QUAE EX OFFICIO FAVORE CAIAE ADDUGEBANTUR. — Observabatur nimirum in praesentia promissionem futuri matrimonii ex parte Livii eiusmodi esse qua maior desiderari non posset: namque praeter amores quinque annos cultos, praeter continuos Livii accessus in Caiae domum, perseverantemque familiaritatem, praeter propositum nuptiarum iam fere ad actum matrimonii de praesenti perductum, praesto erat explicita promissio coram duobus testibus facta, quae etiam removere deberet quamlibet exceptionem.

E converso cum Caia eiusmodi promissionem acceptaverit, cumque ea paucis ante diebus cum Livio convenerit ut coram Parocho se sisterent matrimonii contrahendi causa, satis determinata videbatur ex parte mulieris repromissio nuptiarum per illam acceptationem: ex hac enim sola circumstantia non videbatur reputanda simplex acceptatio, quasi vero ipsa sibi obligatum vellet Livium, se autem libertatem quaerere.

His accedebat Caiae defloratio; quamvis enim Livius negaret se esse stupri auctorem, tamen praeter alia quae concurrebant in facto gravissima indicia, quaeque ipsum fuisse auctorem ostendere facile potuissent si acta processualia super stupro concinnata prae oculis habita essent, advertebatur, haec Livium non sine contradictione modo negare: namque in ipso promissionis documento, se matrimonium cum Caia contracturum affirmaverat *ad reparandum quovis modo Caiae honorem.*

Neque magni ponderis videbatur esse illa exceptio a Livio facta, stuprum scilicet praecessisse promissionem, ideoque illud loco repromissionis haberi non posse : namque si acta processualia prae oculis habita essent, quae circa stuprum confecta sunt, quaeque apud laicum Iudicem extabant, constitisset (Patre Caiae hoc affirmante), non solum de amore quinque annos protraete, et de persuasione Livii circa Caiae honestatem; sed etiam de iteratis promissionibus sive scriptis sive verbis datis eam uxorem ducendi sive ante sive post deflorationem. Cum itaque honesta caeteroquin puella non censeatur deflorationem pati nisi a suo sponso spe futuri matrimonii, uti Auctores tradunt, du-

bitandum non videbatur de legitima praesumptione favore sponsalium.

At facta etiam hypothesi, ex praesenti causae statu ob actorum processualium defectum, haec omnia concludenter non posse ostendi, non tamen liber posse Livius declarari videbatur: namque ipsius promissio post turpe factum non quidem simplex erat, sed *qualificata,* idest propter antecedentem causam facta et in eiusdem causae correspectivitatem. Quare obligatio Livii ad contrahendas cum Caia nuptias, si non precise ex sponsalium contractu deduceretur, ipsa decernenda dicebatur ex ipsa qualificata promissione: Sánchez *in Lip. i disp.* 5n. 12, quam communem dicit Reiffenst. *Lib.* 4 *Decret, tit.* 1 *de Spons. §. k n.* 17 aliique.

His utrinque disputatis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sit locus remotioni impedimenti sponsa-
» Ii um in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 22 Decembris 1866 respondere censuit: *negative.*

Ex HIS COLLIGES:

I. Sponsalium perfectorum naturam consistere in seria deliberataque promissione et repromissione futuri matrimonii inter habiles ad illud contrahendum.

II. Promissionem ex una parte, et simplicem promissionis acceptationem ex alia, non constituere perfectum sponsalium contractum, qui utriusque partis postulat obligationem.

III. Promissionis tamen acceptationem aequivalere identidem posse explicitae repromissioni, si caetera quae concurrant adiuncta eam acceptationem sic intelligi debere cogant.

IV. Matrimonii promissionem ab una parte tantum, in damnorum illatorum reparationem factam, quamvis contractum sponsalium non, constituat, promissorem tamen obligare ad implendum quod promisit (1).

(l) Recole quae exposuimus iu alia huius generis causa *Fol. I.p.* 348.

V. In praesenti casu omissa quaestione super existentia perfectorum sponsalium, apprime constitisse, promissionem a Livio fuisse factam Caiae in damnorum reparationem: ideoque impedimentum in Curia appositum, ne Livio concederentur literae testimoniales liberi status, non erat removendum.

IURIS ASSOCIANDI CADAVER.

Die 10 *Iunii* 1865 *et* 22 *Dec.* 1866. *Sess.* 25 **c.** 13 *de Refor.*

Competidiu in facti. Carolus qui domicilium Romae habebat animi sublevandi causa in urbem N. discessit. Hac in urbe, in paroecia s. Iuvenalis ubi degebat, post octo dierum spatium, apoplético morbo correptus, mortuus est, eiusque cadaver in ecclesia cathedrali est reconditum, deferente cadaver ipso Parocho s. Iuvenalis.

In more enim est positum in ea urbe N., suffragante etiam synodali constitutione, ut *Cadavera Viatorum, Advenarum seu perfunctorie commorantium in civitate, sepeliantur in ecclesia cathedrali*, quamvis ipsa cathedralis parochialis non sit.

Verum paucos post dies notitia evulgari coepit, Caroli cadaver Romam esse transferendum, ut in sepulcro, quod sibi suisque vivens constituerat, conderetur. Dubitatio itaque orta est inter tres contendentes, quinam ex his ius haberet associandi cadaver usque Romam ad ecclesiam sepulcri: namque Capitulum hoc ius sibi competere contendebat; item Parochus intra cuius paroeciae limites Capitulum extat, Parochus nempe s. Donati; denique Parochus s. Iuvenalis, in cuius paroecia Carolus decessit.

Eiusmodi quaestiuncula proposita fuit S. Congregationi inter supplices libellos seu, ut modo dicimus, per *summaria precum*, et die 10 Iunii 1865 S. C. respondit: *ponatur in folio exquisitis plenioribus informationibus.*

Iuxta S. Congregationis praeceptum pleniores informationes sunt exquisitae: exquisitum scilicet est: I° an cadaver in cathedrali ecclesia *loco depositi* permanserit : 2° an Defunctus sepulcrum Romae haberet: 3° an denique ex parte Defuncti aliqua voluntatis significatio intercesserit, qua sepulturae locum sibi constituerit, vel saltem aliqua a parentibus prodierit declaratio, quae sepulturam in cathedrali ecclesia provisoriam tantum reddiderit.

Ex habitis informationibus sequentia constiterunt: I° Defunctum tumulatum fuisse in ecclesia cathedrali, nullo interveniente tractatu, utrum ut loco temporanei depositi, an vero ut perpetuae sepulturae ibi reconderetur: 2° Defunctum sibi suaeque uxori Romae sepulcrum constituisse: 3° eumdem Defunctum, dum Romae degeret, non semel ostendisse, se in constituto sepulcro velle recondi: 4° in ea dioecesi publicum coemeterium quidem haberi, legem tamen non existere, cadavera omnia publico coemeterio esse mandanda, sed posse-in ecclesiarum sepulturis humari, si duplici capsa, lignea nempe et plumbea claudantur.

Disceptatio gyiioptiea.

QUAE OBSERVARENTUR FAVORE CAPITULI. — Quamvis hodie hoc iure utamur, ut regulariter in ecclesia parochiali unusquisque funera suscipiat, in eaque, non extante publico coemeterio, vel non electa sepultura, tumuletur; nihilominus advertebatur, cathedralem ecclesiam iuxta ss. canones censeri veluti paroeciam universalem totius civitatis et districtus, praesertim vero quoad funera peregrinorum et advenarum, Passerin. *de hom. statu et off. t.* 2 *q.* 87 *n.* 314, Barbosa *de offic. Paroch. par.* 3 *cap.* 26 *n.* 35 ubi docet: « Peregrinus si moriatur dum est in via, sepe-
» Iitur in cathedrali, uti censuit S. Congreg. Cardinalium ne-
» gotiis Episcoporum et Regularium praeposita, sub die 6 Iu-
» nii 1592. » Et Card. Petra *ad Constit.* 9 *Innocen. III. n.* 5 *t.* 2, ubi relata prius quadam resolutione S. Congr. Epis, et Reg. in una *Fulginaten.* 5 *Iulii* 1591, et expensis discrepantium Auctorum opinionibus, animadvertit, in hac re servandam esse consuetudinem.

Iamvero delationem cadaveris ad sepulturam merito reputari observabatur veluti funeris continuationem et implementum,

ita ut, cuius est ius exequias persolvendi, illius ius esse debeat cadaver associandi, quocumque tandem loco sepultura donetur. Capitulum ergo quod in praesentia servabat ius peregrinos sepeliendi, ius* videbatur habere associandi cadaver usque ad proprium defuncti* sepulcrum.

QUAE OBSERVARENTUR FAVORE PAROCHI S. DONATI;—Parochus s. Donati' intra* cuius limites cathedralis ecclesia reperiebatur, animad vertebat, ad illum Parochum pertinere ius associandi cadaver, intra cuius paroeciae limites reperiatur cadaver autem, de quo est sermo, in praesentia reperiri tumulatum intra paroeciam s. Donati, ideoque ad se eiusdem associationem pertinere. Quod quidem duobus exemplis ostendere curabat, exemplo scilicet unius quod in "ecclesia Regularium in sua paroecia constituta sepultum* fuerat* Romam deinde transferendum; et alterius cadaveris cuiusdam Canonici qui in ipsa cathedrali decesserat, quod ab aedibus cathedralis eiusdem extractum pompa funebri idem Parochus associaverat usque ad fores eiusdem cathedralis, etsi idem Canonicus in alia paroecia domicilium habuisset.

QUAE OBSERVARENTUR FAVORE PAROCHI S. IUVENALIS.— Contendebat in primis hic Parochus, loco quodammodo depositi Defunctum Carolum' in cathedrali ecclesia fuisse reconditum; et ex eo praesertim id arguebat, quia secus absque ulla contradictione delatum fuisset ad publicum coemeterium. Quoties autem cadaver loco depositi alicui ecclesiae sit traditum, ei restitui debere, qui deposuit, *argum, ex Cap.* 1 *de sepult, in* 6% idque perpensum esse in quadam *Brictinorien.* 31 Maii 1766 §. *Multa.*

Porro cadaveris associationem usque ad sepulturae locum inter iura parochialia connumerari, *Clem. Dudum, de sepult.,* et in una *Marsorum* 30 ianuarii 1830 §. *Nullo.* Proindeque ad se pertinere cadaveris Caroli associationem qui in sua paroecia decessit.

Quod quidem associandi ius eo magis sibi adscribebat, quia ex iuris communis dispositione Parocho reservantur funera peregrinorum et advenarum si intra limites suae paroeciae decedant, in qua brevi tempore habitaverint, ab eoque sacramenta receperint, ut docet Card. Petra et Passerin. *loc. cit.* Quare contrariam consuetudinem, ubi legitime invaluerit quoad funus et sepulcrum, privilegio esse aequiparandam; et ideo ultra casuiu.

funeris et tumulationis non esse protendendam. In dubio igitur ius proprium Parochorum in collisione cum iure privilegiato praevalere debere contendebat.

Quae quidem uno exemplo confirmare curabat, nec non ipso praesenti facto, in quo ipse associaverat Defunctum Carolum usque ad cathedralem ecclesiam, prout aliis in adiunctis associaverat Defunctos, qui sive in urbe N. sive extra urbem sepulturam elegerant.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubiam.

« An et cui competat ius associandi cadaver in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii quaestione cognita die 22 Decembris 1866 respondere censuit: *affirmative favore Parochi s. Iuvenalis.*

Ex HIS COLLIGI POTEST:

I. Quamvis pro varia Ecclesiae aetate, variisque consuetudinibus varia fuerint loca fidelium corporibus sepeliendis destinata (1),

(1) Compertum est pro varia temporum societatisque conditione, varia fuisse loca fidelium corporibus sepeliendis destinata; sed expedit heic veluti duos extremos terminos adnotare. Primis ecclesiae saeculis eiusmodi loca extra urbium moenia constituta erant, cum apud gentes homines mortuos intra urbem sepelire non liceret, uti ex fragmento legum duodecim tabularum: *«-Hominem mor' tuum in urbe ne sepelite, neve urito.»* **Et ut legitur in /. 3** *ff. de Sepulcro violato* **§. 5: «** *Divus Hadrianus rescripto poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt, quam Fisco inferri iussit, et in Magistratus eandem statuit, qui passi sunt; et locum publicari iussit, et corpus transferri... Et oportet imperialia statuta suam vim obtinere, et in omni loco valere.* **Quod ius confirmarunt Diocletianus et Maximianus, ut legitur in /. 12** *C. de Relig, et sumpt. f un.* **his verbis: «** *Mortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum ius polluatur, intra civitatem condi iampridem vetitum est.* **» Sepelire itaque hominem mortuum intra civitatem habebatur apud gentes veluti civitatis pollutio. Verum decursu temporis paullatim contraria consuetudo apud Christianos praevaluit, quorum corpora humo tradi coeperunt intra civitatem. Eo privilegio (uti docet Devoti** *Institut. Tit. IX. de sepulturis* **§. 2) potiti sunt Imperatores et Reges, qui ut plurimum in Ecclesiae atrio et porticibus sepeliebantur. Postea loca haec patuerunt etiam populo universo -, et interim illis una cum Abbatibus , ac viris pietate praestantibus intra ecclesiam sepultura concessa est, quam pridem Episcopi ante caeteros habuerant. Denique omnibus in ecclesia permissus sepulturae locus.**

Innocentius III. Genuensi Archiepiscopo rescripsit, ut legitur in *cap.* **3** *de Sepulturis :* **« Fraternitatem tuam non**

firmum tamen mansisse fidelium ius sibi constituendi sacrum sepulturae locum.

II. Ius sepeliendi, sive ad Parochum sive ad alios pertineat, quodque in collisione veniat cum dicto iure sepulturam sibi constituendi, penitus silere debere.

III. Ius tamen associandi Defuncti corpus ad constitutam sepulturam regulariter ad proprium Parochum pertinere.

» credimus ignorare, mortuorum sepulcra *v* et coemeteria apud illas ecclesias et » monasteria ex antiquo esse disposita, » in quibus religiosorum fratrum conven- ís tus sunt constituti, et orationes atque » Missarum solemnia tani prò vivis quam » pro defunctis frequentius celebrantur. » Unde ipsorum devotioni et extremae vo- » luntati, qui apud huiusmodi ecclesias «sepeliri desiderant, minime contradi- » ceudum. Qui vero relictis antiquis ec- » clesiis et patrum aliorumque parentum » suorum sepulcris, contra consuetudi- » nem Patrum veteris testamenti, qui » cum patribus suis sepulti esse legun- » tur, ad nova et minus religiosa loca »se transferunt, irrationabiliter et con- »tra consuetudinem facere videntur...»

Verum in praesenti societatis conditione, haec consuetudo immutari coepit per publica coemeteria extra urbes constituta, quae quidem quibusdam in locis sanitatis causa constituta sunt (quamvis non deest qui sentire videatur, cadaverum acervum infestiorem esse aeris sanitati), non impedito tamen iure fidelium aliam sibi eligendi sepulturam : at universim res eo devenisse, aut saltem vergere videtur ad antiquas leges, quae non permittebant hominem mortuum in urbibus sepeliri, prout erui potest ex descriptione ecclesiarum, quas fecimus in *Fol. II.,* in quibus omnes fere episcopales civitates extra urbem coemeterium habent.

Huius contrariae consuetudinis prima origo mihi petenda esse videtur ex fonte non puro, videlicet ex *Naturalismo,* quem impii homines sua cogitandi agendique ratione in societatem christianam maiori vel minori influxu induxerunt. Christianam enim veterem consuetudinem pietas fidelium constituerat, qui a primis Ecclesiae saeculis quammaxime optarunt apud Martyrum reliquias et apud ecclesias sepeliri, ut et martyrum meritis et fidelium precibus coadiuvarentur: quod et pietatem fidelium viventium non parum fovebat; namque frequens cogitatio suorum clarissimorum, quorum corpora in templis intra urbes sunt recondita, cogitationem pari frequentia excitat et labilis vitae cursus, et resurrectionis quam expectamus, et aeternae vitae ad quam tendere debemus etc.

Interea dum haec omnia declinantur sub obtentu prospiciendi et urbium munditiae, et aeris salubritati, si qui velint purum aerem aspirare, confugere debent ad oppida pagos et montes in quibus adhuc ut plurimum corpora mortuorum in ecclesiis aut prope ecclesias sepeliuntur. Tot enim in magnis urbibus sunt foetores aerem depravantes ex novis oleis, ex combustibilibus et non combustibilibus vaporibus, ex fossili carbone, bituminibus aliisque substantiis, quas artium progressus induxit, ut aerem, quem natura tribuit, respirare non facile sinant.

Caeterum quid ex iure pontificio obtineat in casu funerum, in illis locis in quibus publica constituta sunt coemeteria, diximus in causa *Iuris funerandi* exposita in *Vol. I. pag.* 85 *et* 124.

IV. Proprium autem Parochum ad hunc^efiectujm illum; eti^m censeri, in cuius paroecia aliquis decessit, quamvis brevi ijterñpore et *perfunctorie* in ea sit moratus, et sacramenta recipere ex violento morbo non potuerit.

V. Quare huius parochiani corpus quod spulerò *indebito* ex quavis causa fuerit traditum sive intra sive extra paroeciam in qua decessit, dum ad propriam sepulturam est transferendum,» eum Parochum iure illud associandi gaudere, in cuius paroecia decessit.

VI. In praesenti autem casu Livii corpus; indebitae sepulturae fuisse traditum cum propriam haberet, ideoque veluti depositi loco inula tumulatum censendum (1).

(1) **Ad rem facit** *Cap.* **3** *de Sepulturis in* **6°, in quo statutum legitur: « Si quis » habet domicilium in civitate vel castro, » quandoque ad villam ruralem se trans» fert recreationis causa, vel ut ruralia » exerceat in eadem: si non electa sepul» tura decedat ibidem, non in ecclesia di» ctae villae, sed in sua parochiali, vel » in ea potius, in qua maiorum ipsius » ab antiquo sepultura extitit, sepeliri » debebit: dummodo absque periculo ad » ipsam valeat deportan.»**

EX S, CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARI!!.

SEMINARII.

Die **3** *Septembris* **1864.**

Compendium facti. Adest aedificium in urbe N. una cum publico templo a loci Municipio in usum Clericorum Regularium aedificatum, iisdemque irrevocabili donatione concessum. Adveniente Regularium suppressione in usum Seminarii dioecesani fuit conversum, atque Parochus loci sua iura parochialia in eo seminario exercuit.

Regulares in pristinum restituti aedificium illud non multum curarunt, maxime ob aeris insalubritatem : tandem iidem Regulares hisce postremis annis ab Episcopo et suprema Auctoritate rogati, ut Seminarii curam suciperent, morem gerentes, idem aedificium numero duodecim inhabitarunt, ac Seminarii regimen et institutionem susceperunt.

Cum autem loci Parochus antea iura parochialia exercuerit, nominatim vero ius extrema sacramenta administrandi, funus peragendi, atque benedicendi Seminario sabato sancto, passus non est, ut, Clericis Regularibus advenientibus, ab his iuribus exercendis repelleretur. Quare Sacrae Congregationi Epis, et Regul. querelas admovit, ut sua iura sarta tectaque servarentur.

Itaque audito de more loci Episcopo, et Superiori Regularium, deductis a Parocho iuribus, causa in disceptationem venit. Quamvis autem quaestio non fuerit iuridice definita, Rescriptum enim SSmi D. N. causam interemit; tamen abs re non erit heic exponere, quae in disceptationem utrinque accurate deducta fuerant.

Disceptatio sy «optica.

Omittimus in hac disceptatione, ea quae, licet fuerint asserta vel deducta, tamen locum rationabili disputationi non dabant; quaestio autem quae mota est, quaeque consideratione est

digna, illa profecto est, quae versatur circa Parochi iurisdictionem in Seminariorum alumnos, quae Regularibus regendis traduntur.

Quaerebatur itaque I. An alumnis qui in morbum incidunt et moriuntur in Seminario Parochus assistere et administrare sacramenta debeat. II. An in casu mortis alicuius ex Alumnis Parochus celebrare possit in ecclesia Seminarii eiusdem, aut propriae Paroeciae, funus, et emolumenta funeraria exigere. III. An Seminario benedicere Sabato Sancto ad Parochum spectet, seu potius ad Superiores Regulares, qui Seminarium dirigunt.

EA QUAE FAVORE PAROCHI DEDUCEBANTUR.—Animadvertebat scilicet ille *qui"Consultationes ex officio* conscribit, Concilii Tridentini Patres in saluberrimo Decreto, quo Seminariorum erectionem praeceperunt, singulari diligentia iis omnibus prospexisse, quae ad propositum finem assequendum necessaria vel opportuna credita sunt. Iamvero de eximendis seminariis eorumque alumnis a iurisdictione Parochorum ne verbum quidem factum fuisse: proindeque sarta tectaque iuxta ss. Canones eorumdem iura servasse.

Id praeterea confirmari ex privilegiis peculiaribus, quae Summi Pontifices elargiri solent, tum cum agitur de Parochorum iurisdictione a Seminariis excludenda; uti ex. gr. praestitum est a SSmo D. N. in Constit. *Cum Romani* anno 1853 edita, in qua tum Collegium *Pium* ab Ipso munificentissime conditum, tum Seminarium Romanum a cuiuslibet Parochi iurisdictione disertis verbis immunia voluit et exempta.

Neque quidquam prodesse eam circumstantiam, qua Seminarium mutationem status passum fuisse existimetur, cum Regularibus Clericis regendum traditum est. Quamvis enim duo corpora moralia in eadem domo sedem habeant, et materialiter unam domum constituere videantur, nihilo tamen secius moraliter inter se adeo dividi, ut unum ab altero sit omnino distinctum atque diversum. Et sane; pro erectione Seminarii canonicum decretum requiritur, et certae quaedam solemnitates servandae sunt, quae faciunt corpus illud morale sui generis, quod *Seminarium* audit. Contra pro familia religiosa constituenda requiritur quidem canonica erectio et quarumdam solemnitatum observatio, quae tamen effectum dissimilem pariunt : faciunt

enim ut consistat corpus illud morale generis a Seminario plane diversi, quod familia religiosa vocatur. Religiosa autem familia praeter consueta perpetua vota peculiarem sui Ordinis Regulam et Constitutiones observat: Alumni vero in Seminario per aliquod tempus morantes, ut uteris, scientiis bonisque moribus imbuantur, constitutiones pii loci proprias sequuntur, quae cum Constitutionibus Religiosorum nihil commune habent.

Hinc (prosequebatur) non meliori consilio praesidium quaereretur a Trid. Conc. *in sess.* 24 *c.* 11 *de Ref.* ubi Regularium exemptio ad eos quoque extenditur, qui eisdem *actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident, suoque eorum obedientia vivunt.* Distinctio enim unius corporis moralis ab altero per se convincit, casum, de quo Concilium loquitur, esse omnino diversum; idcirco eam dispositionem praesenti casui non posse applicari. Cui et altera ratio accedit, videlicet non esse Seminarium propter familiam-religiosam, sed familiam religiosam esse propter Seminarium: ita ut quodammodo *principale* dici possit Seminarium, et familia religiosa *accessorium.* Maxime vero in praesenti casu in quo Seminarium iam canonice extabat : iamvero absonum est dicere accessorium suam naturam principali communicare.

Quod si Tridentinum Concilium *cit. loc.* exemptionem Regularium extendat ad eos, qui eisdem *actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt,* id non alia ratione fecit, nisi quod famuli partem familiae cui serviunt reapse faciant, quique quando intra septa degunt, disciplinae regulari obnoxii sunt. Quae quidem dici non possunt de Seminarii alumnis; namque hi Regularibus quidem obediunt, sed non serviunt, et obedientiam praestant non secundum Regularium constitutiones, sed secundum proprias Seminarii regulas.

Quae quidem 'confirmabantur quibusdam exemplis: ex causa scilicet *S. Iacobi de Chile, Erectionis Collegii,* in qua Prior et Vicarius Generalis Ordinis Praedicat. Sacrae Congregationi esponebat, sese cogitasse, non sine gratulatione civium et auctoritate Archiepiscopi, Seminarium seu Collegium erigere prope coenobii hortum, in quo pauperes nobiles, congrua soluta pensione alerentur, et in scientiis erudirentur. Unus e Religiosis munus Rectoris obiturus erat; alii vero Religiosi .Magistrorum officio

sedulo defunctum. Statutum erat ut Rector cum socio a duobus Religiosis laicis in Seminario vel Collegio viveret ac pernoctare t, Magistri autem suo officio functi in eo degere non deberent. Oratorium seu Cappella haberetur in qua convenirent non solum Alumni, sed etiam extranei qui possent satisfacere hoc pacto praecepto audiendi Sacrum diebus festis: scopus autem huius Collegii vel Seminarii esset inserviendi Religioni et Reipublicae, obsecundandi statutis Ordinis etc.

Ad hanc itaque rem absolvendam necessarias et opportunas facultates expostulabant. **S.** Congregatio, auditis supremis Ordinis Superioribus, nec non voto unius ex suis Consultoribus in generali conventu diei 6 Martii 1846 sequens dubium disceptandum aggressa est: « An et quomodo annuendum sit precibus » R. P. Magistri Francisci Alvarez Prioris et Vicarii Generalis » Ordinis Dominicanorum S. Iacobi de Chile in casu. » Emi Patres rescripserunt: *Affirmative, et ad mentem: mens est* I° *ut collegii tantum et non Seminarii nomine donetur* (1): *T ut ita stabiliatur Collegii existentia, ut'iurisdictionis collisio evitetur, suumque ius cuilibet, Ordinario scilicet, Parocho ac Religiosis sartum tectumque servetur:* 3° *ut domesticum non publicum intra aedificii septa erigendi Oratorium facultas concedatur.*

Alterum adducebatur exemplum in quadam *Pannen,* agitata pariter in S. C. Episc, et Reg. Hac in causa de Collegio agebatur a Maria Ludovica nuncupato, quod primitus a Presbyteris saecularibus gubernabatur, sed anno Î838 Clericis Regularibus s. Pauli vulgo Barnabiti (ita appellati ex eorum primo Collegio contiguo Ecclesiae s. Barnabae in urbe Mediolanensi) moderandum traditum fuerat, qui illuc ingressi sunt tali numero, quo familia religiosa conflari posset. Parochus cum ante, tum post eam traditionem in collegio libere sua omnia parochialia iura exercuerat. Sed sub annum 1847 Episcopus Decretum ediderat quo Barnabitis absque ulla dependentia a Parocho facultas fiebat

(1) Patres Tridentini usi sunt nomine *Seminarii* ad indicandum peculiarem fmem ob quem collegia in singulis dioecesibus instituenda erant, ut ea nimirum essent *Seminaria* Ministrorum Dei, ad quem linem plures ediderunt congruas ieges. Quare collegia ilia, quae cum mente Tridentinorum Patrum non omiiino cohaerent, melius appellantur generico nomine *collegia,* quam *seminaria,* ue identitate nominum rerum diversarum confusio inducatur.

administrandi sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis, itemque funeris exequias peragendi non solum pro Religiosis, Alumnis et eorum famulis; sed etiam pro hospitibus et quibuscumque personis repentino morbo forsitan in eodem Collegio correptis. Reclamante Parocho, suaque iura persequente tum ex iure canonum, tum ex consuetudine: et contra, adversantibus Barnabitis, Constitutiones Apostolicas praeseferentibus, quas Theatinis, Benedictinis aliisque ex communicatione iurium et privilegiorum sibi competere contendebant, nominatim vero Constitutionem s. Pii V. *Ad immarcescibilem,* et Gregorii XV. *Romanus Pontifex* (1), dubium in generalibus comitiis diei 21 Iulii 1848 in deliberationem adductum fuit: « An sustineatur » Decretum Episcopi Parmensis super exemptione a iurisdictione » parochiali totius Collegii a M. Ludovica nuncupati sub cura » Cler. Regularium s. Pauli.» Emi Patres rescripserunt: *Decretum Episcopi esse reformandum iuxta mentem:* « scilicet firmo » remanente tenore dicti decreti quoad omnes et singulos Clericos » et Fratres Congr. s. Pauli et quoad eorum domesticos et familia- » res, qui Religiosis actu inserviunt, comprehensis illis praefatae » domus qui intra eius septa resident, et sub eorumdem Religioso- » rum obedientia vivunt iuxta praescriptum S. Con. Trid. *cap.* 11 *a sess.* 24 de *Ref.* et Const. Greg. XIII. incip. *Circumspecta,* diei 25 » Nov. 1580, pro alumnis, seu adolescentulis, hospitibus, per- » petuis commensalibus aliisque personis in memorato decreto » enunciatis iura Parochi in casu mortis salva remaneant: ac » insuper Superior dicti Collegii notulam religiosorum, alumno- » rum, hospitum, famulorum et aliarum personarum in eadem » domo degentium Parocho quotannis dare teneatur.»

(i) S. Pius V. in *cit. Const.* **Clericis ftegularibus Tlieatinis concessit ut « tam Praepositi quam caeteri... ubique locorum degentes... Eucharistiae etiam pro Viatico, ac etiam, constitutis in articulo mortis, extremae unctionis caeteris Clericis et Fratribus Congregationis, ac etiam mercenarii^, famulis, operariis et servis eorumdem, ac quibusvis hospitibus etiam saecularibus et extraneis... Sacerdotum Curatorum ... aut aliorum quorumcumque licentia minime petita, nec obtenta ... sacramenta ministrare possint,** *v* **Gregorius XV. amplissimis clausulis concessit Barnabitis perfectam communicationem omnium privilegiorum quibus Theatini gaudebant.**

At Gregorius XIII. ut inferius videbimus, privilegium a *s.* **Pio V. concessum, iam coercuerat iuxta terminos tridentinae legis.**

Quoniam vero Conc. Trid. Decretum, et Const. *Circumspecla,* allegata fuerat, hinc tum unius tum alterius verba in nostra causa afferebantur, quorum in uno exemptio Regularium ut supra dictum est extenditur etiam ad eos, qui *praedictis locis...actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident, suoque eorum obedientia vivunt:* in altero vero eadem exemptio quibuslibet adimitur, *exceptis tamen iis, qui Ecclesiis aliisque locis dictorum Militum* (Hierosolimitanorum, de quibus proprie in ea Const. res erat, licet Const. ipsa deinceps ad omnes Regulares aptari consueverit) *actu serviunt et intra eorum septa et domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quae omnia simul concurrere intelligantur, sine iis, qui legitime et secundum regulam praedictae Religionis professionem fecerint de qua loci Ordinario constare debeat* (1).»

(1) **Tenor allegatae Constitutionis Gregorii XIII. est qui sequitur :** « *Circumspecla in omnibus actibus suis Romani Pontificis providentia, interdum ea quae certis etiam rationabilibus tunc suadentibus causis a Sede Apostolica emanata reperiuntur, alia superveniente ratione, qua praesertim populorum offensioni occurritur, et Episcoporum iurisdictioni rite consulitur, reducere, ac suam declarationem interponere consuevit, et alia desuper disponit, prout, temporum rerum et personarum qualitate pensata, perspicit in Domino salubriter expedire.*

» *Cum itaque compertum sit quamplurimos Clericos saeculares nec non laicos, gratiis et privilegiis, quibus Sedes Apostolica dilectos filios Magistrum, Conventum et milites hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani, de republica christiana optime semper méritos, ac eorum ecclesias et loca liberaliter prosecuta est, abutentes, unde sibi religiosius vivendi legem imponere deberent, inde laxioris vitae occasionem arripere, dum varios saepe eliam vanos, exemptionis libertatisque titulos praetexunt; alii quidem quod pro Vicariis, Cappellanis, Ministris et Inservientibus ecclesiis dicti hospitalis quomodolibet adscripti sint; alii vero quod Coloni Procuratores et Familiares ipsorum militum existant, quamvis in propriis domibus licenter degant, nihilominus ex praedictorum Militum privilegiis morumque confirmatione, etiam post Concilium Tridentinum a felicis recordationis Pio PP. V. praedecessore nostro, obtenta, praetendat se ab omni iurisdictione Ordinariorum exemptos esse, nec ab illis inquiri, visitari, puniri aut corrigi posse, eoque ipso, delictorum suorum sibi impunitate promissa, gravem in populo offensionem praebere, et in Episcoporum iurisdictione perturbationem in dies maiorem excitare dignoscantur.*

•»*Idcirco nos huic malo, quod a praedicto Concilio multo ante praevisum fuerat, salubriter providere volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate ac deliberatione et certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, exemptiones, gratias et indulta Magistro, Conventui, Militibus et Militiae dicti hospitalis*

Alias etiam, prosequebatur, occasionem S. C. Ep. et Reg. habuisse agendi de iuribus Parochorum super Seminariis. Id ipsum siquidem accidit in Decreto diei 15 Iunii 1860, quod pro Maristis edendum censuit, nec non in alio Decreto diei 17 Iunii 1863, quod pro Sulpicianis protulit: in hoc namque eadem ratione qua cum Maristis fecerat, iuri canonico et Concil. Tridentino derogans, eidem indulsit, ut in casu infirmitatis, tam sociis, quam Seminariorum Alumnis extremam unctionem cum licentia Ordinarii, salvis Parochorum iuribus, ad formam SS. CC. administrare possent; et insuper, adveniente Paschate, Alumni in Ecclesiis Instituti praeceptum sumendae Eucharistiae adimplere possent. Item indulsit potestatem acceptandi regimen Seminariorum absque ulteriori Apostolicae Sedis venia, eaque administrandi in spiritualibus ac temporalibus, sine Deputatorum interventu; ita tamen ut in omnibus ab Episcopo dependere, et in exitu anni rationem reddere coram duobus de Capitulo totidemque de Clero Rector deberet.

Haec quidem qui Consultationem ex officio conscribebat, ampliori quadam ratione confirmabat ex Apostolico Beneplacito, quod intercedere debet cum agitur de Seminariis alicui Ordini vel Instituto committendis. Legitur siquidem in *Animadvers. in Constitut. Congreg. Presbyt. Immaculatae Conceptionis a s. Mehenno*

per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros et Sedem praedictam in genere vel in specie quomodolibet concessa et confirmata, necnon dicti Pii V. litteras super eorumdem confirmatione emanatas sub datum Romae apud s. Petrum, sub annulo Piscaloris die XXIX. Novembris MDLXVIII. Pontificatus sui anno tertio, ad praedicti Concilii Decretorum terminos, tenore praesentium, reducimus, ac reducta esse, nihilque ex ipsis privilegiis, exemptionibus, gratiis et indultis, Ordinäriis locorum detractum esse, quominus ipsorum Militum Vicarii, Cappellani, Ministri, Servientes, Adscripti, Coloni, Procuratores et Familiares Militum huiusmodi, quibus ea iam concessa sunt et in posterum concedi contigerit, ab ipsis Ordinariis tamquam Apostolicae Sedis delegatis, de eorum excessibus, criminibus, et delictis, etiam extra visitationem, quando et quoties opus fuerit inquiri, visitari, puniri et corrigi possint, ipsorumque Ordinariorum iurisdictioni plene in praedictis subiecti existant (exceptis tamen iis, qui Ecclesiis aliisque locis dictorum Militum actu serviunt, et intra eorum septa et domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quae omnia debere simul concurrere intelligantur: sive iis qui legitime et secundum Regulam praedictae Religionis professionem fecerint, de qua loci Ordinario constare debeat). Et ita etc. **sequuntur clausulae praeservativae et derogatoriae.**

n. 5. « Cum ex Concilio Tridentino Seminaria ad Episcopos, ad-
» hibito Deputatorum consilio, omnino spectent, eorum curam
» non possunt alicui Instituto committere inconsulta Apostolica
» Sede, licet institutum ipsum in genere pro directione Semi-
» nariorum ab Apostolica Sede approbatum sit. Hinc oportet
» in singulis casibus Summi Pontificis licentiam obtinere. »

Idem observatum fuit in *Animad, super Appr. Piae Congr. Missionarior. n.* 4: « Non possunt Episcopi concredere directio-
» nem Seminariorum Ordinibus regularibus, aliisque Institutis
» sine venia Apostolicae Sedis (1). »

Et sane iuxta Trid. Concilium plura statuta esse quae sive oeconomiam ..sive disciplinam respiciunt, quae vix aut ne vix quidem cohaerere possunt cum regimine quod a Regularibus exercetur; proindeque disciplinam esse s. Congreg. Concilii, advertebat, ut, si quando ex Episcoporum relationibus super statu dioeceseos ipsa cognoscat, Seminarium dioecesanum Regularibus, aut religiosis Institutis esse commissum*, rescribere soleat, sibi persuasum esse Apostolicum Beneplacitum minime deesse, aut saltem res ita esse compositas, ut iura per Tridentinos Patres constituta sarta tectaque cuique permaneant (2).

QUAE IURA A REGULARIBUS SUI FAVORE PRODUCEBANTUR. — Qui iura Clericorum Regularium tuebatur, copiosam scripturam pro veritate exaravit, ac initio sibi viam aperiebat ad solvendam quaestionem, quasdam praemittens generales animadversiones: animad vertebat scilicet duplicem modum pertractandi praesentem quaestionem esse declinandum, alium nimis *complexivum,* alium vero nimis *genericum.* Et ad discussionem nimis complexivam quod attinet, observabat: I°. separandos esse Regulares proprie dictos a Congregationibus Presbyterorum saecularium, qui, quatenus tales sunt, non gaudent Regularium privilegiis: ideoque argumenta ex his petita, ad illos referri non posse. 2°. Distin-

(1) **Eiusmodi animadversiones reperiuntur in Opusculo cui titulus** *Methodus, quae a S. C. Negotiis, et consultationibus Epis, et Reg. praeposita servafer in approbandis novis Institutis votorum simplicium ab A. Archiepiscopo Philippen. secretario exposita ad usum secretariae pag.* **25** *et* **32.**

(2) **Haec necessitas Apostolici Beneplaciti sicut oritur ex Tridentina lege, eum de Seminariis agitur, ita oriri potest etiam ex parte Constitutionum Regularium, quae non cohaerent cum muneribus et officiis, quae cura Seminariorum secum fert.**

guendos esse modos diversos quibus Regulares suscipiunt Seminariorum regimen : namque identidem utraque communitas distincta manet cum habitatione seiuncta; identidem vero constituitur *vera unio,* cum ab utrisque domus in *solidum* possideatur, ita ut exerceri iurisdictio non possit in habitatione Alumnorum quin exerceatur in habitatione Religiosorum. 8°. Distinguendos esse casus in quibus aliqua peculiaris ratio concurrent, puta Consuetudinem, quam in supra allegata causa *Parmen.* favore Parochi concurrisse adnotabat : maxime cum *res inter alios iudicata aliis non noceat,* uti ex *Cap. il de sent. et Reiud., et tot. tit Cod. Res inter alios acta.*

Quoad modum pertractandi causam nimis *genericum,* animadvertebam cum de privilegiis agitur statim principium occurrere: *privilegium res odiosa :* at vero neminem ignorare in iure generalia principia exceptionibus redundare, ac proinde in examen revocandam esse naturam cuiusvis peculiaris privilegii. In examen autem revocabat verba Conc. Tridentini quibus privilegium de quo est quaestio continetur: *actu serviunt, et intra septa monasterii vivunt* ; ac observabat, personarum diversitatem, circa quas privilegium versetur, eiusdem privilegii naturam non immutare , maxime vero in personis de quibus agimus. Agimus enim de Alumnis Seminarii qui in eadem vivunt domo et multo maiori subiectione Regularibus qui eos dirigunt subiiciuntur, quam alii: namque qui serviunt, uti idem Iurisconsultus aiebat, simpliciter subiiciuntur *circa aliquid,* videlicet circa id cui se obligarunt: Alumnos vero Regularibus plene subsunt, ita ut quocumque se vertant, e! in quavis propemodum cogitatione a Regularibus pendeant: quae quidem eo maiori consideratione sunt digna, quia de *iuribus parochialibus* agitur, quae sua natura ad *spiritualem educationem* tendunt, dum illi qui serviunt, per se ratione officii seu contractus, Regularibus non subiiciuntur quoad *spiritualem subiectionem:* ac insuper animadvertens discipulorum conditionem, qui in Ecclesiae ministerium educantur, multo excellere piae servorum conditione, concludebat, existimari non posse Tridentinus Patres hos illis praedilexisse.

Sed quaerens quodnam fuerit iudicium Tridentinorum Patrum super natura huiusmodi privilegii, animadvertebat, scopum quidem misse exemptiones coercendi, ut ex illius Capitis verbis

constat: *Quoniam privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum iurisdictione excitare, et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur, decernit sancta Synodus etc.:* sed quamvis ad eiusmodi coercitionem Patrum mentes essent conversae, nihilominus ad verba: *actu serviunt et vivunt intra septa,* omnes quievisse et consensisse ut ex historia Concilii noscitur. Vidisse nimirum Patres, supposita Regularium exemptione, hoc vix dici posse privilegium, cum immediate sequatur ex dicta exemptione; quin imo esse bonum potius praecipiendum, cum Parochus nunquam posset eorumdem servorum spirituali bono consulere, quemadmodum ipsi Regulares eorumdem domini consulere possunt. Quod si non de servis, sed de discipulis Seminariorum sermo sit, quos canonica disciplina multis prosequitur favoribus, quique non pendent ut servi a Regularibus *circa aliquid,* sed *integre et plene,* praesertim in rebus spiritualibus, neminem *sinß* oppositione Patrum iudicio affirmare posse concludebat, eiusmodi privilegium esse odiosum. Et hanc esse S. Sedis etiam mentem eruebat ex facultatibus concessis Institutis Presbyterorum saecularium, quamvis hi privilegiis Regularium non gauderent: quin imo et ipsis Rectoribus, qui neque ad Institutum aliquod pertineant, ut quaedam exempla Romae habentur.

His generalibus animadversionibus praemissis idem Iurisconsultus magis ad quaestionem accedebat, considerans nimirum casum in quo utraque communitas, Seminarium scilicet et Regularium familia, ita sint iunctae, ut eamdem domum, ut in praesenti themate, *in solidum* habeant; atque animadvertebat hoc in casu exemptionem Regularium secum trahere exemptionem Alumnorum Seminarii; namque *exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteram secundum etiam civiles leges extenditur, eique communicatur,* ut ait Benedictus XIV. *de sijn. dioec. I. A* c. 6 *n.* 12 *in fine.*

Quam doctrinam confirmari posse observabat ex ipsa Apostolica venia, qua indigent Episcopi, qui Regularibus Seminaria regenda tradere cupiunt. Namque prout tradit Benedictus XIV. *oper. cit. I.* 5 c. 11 *n.* 9, hanc veniam Apostolicam necessariam esse cum de tradendis agitur Seminariis Regularibus, allegans causam quandam *Americanam* agitatam in S. C. C. die 13 Iu-

nii 1722. Scilicet, prout in ea causa legitur, « Episcopus civitati tis Conceptionis in America meridionali S. Pontifici literas » dedit, in quibus post enarratum deplorabilem suae dioecesis » statum, inquit omne malum processisse et procedere ex de- » fectu idoneorum Magistrorum, qui iuvenes Clero adscribendos » probis moribus et uteris excolere valeant, et se nullum aliud » efficacius remedium excogitare potuisse, quam Seminarii in- » stitutionem ad tramites Conc, Trid., et se iam a biennio fun- » damenta iecisse, ita ut, (verba sunt litterarum): *ex nane illius » fundamenta non contemnendo profectu a biennio facta sint, id-)) que linum cogito, haec mea prima sollicitudo et studium; in id)> omnia, quae divina providentia mihi largita est fortunae bona, » ne supellectili quidem necessaria servata, perlibenter impen- » dam.* » Sed his uteris idem Episcopus adiiciebat: «opus tanta » impensa, tantisque laboribus incoeptum et perficiendum, non)) esse permansurum nisi PP. Societatis iesu committatur, *cum)) homines ex Clero saeculari apti non inveniantur pro Seminarii » gubernio.*»

Proposito autem dubio: « An et quomodo petitis sit annuen- » dum in casu : » S. Congregatio respondit : *Pro facultate, ita tamen ut Alumni nominentur ab Episcopo, et Seminarium sit sub patrocinio, protectione et subiectione Episcopi.*

Ex qua declaratione S. Congregationis Iurisconsultus sequentia eruebat: cum ius commune exigat ut seminaria ab Episcopis pendeant: cumque per traditionem Seminarii alicui Ordini religioso subtrahatur Seminarium ipsum ab Episcopi iurisdictione, *hinc necessitatem oriri Apostolicae veniae:* cum autem haec omnia haud vera essent si regularis Ordo non communicaret propriam exemptionem Seminario; hinc eamdem Resolutionem implicite declarasse Regulares *vere communicare Seminario propriam exemptionem:* ideoque in hisce facultatibus concedendis necessariam S. Congregationem iudicasse expressam favore Episcopi reservationem ut salva eius iurisdictio maneat. Proinde concludebat, non posse Parochum sibi iurisdictionem in Seminario vindicare, quod Regularium Communitati sit coniunctum, cum neque Episcopus propriam exercere posset nisi haec reservaretur.

Sed mente iterum conversa ad privilegium Tridentinum, quod *odiosum* non esse supra contenderat, illud modo conside-

rabat tanquam privilegium quod praesentem casum comprehenderet: quaerebat nimirum quodnam esset obiectum eiusdem Decreti in quod Patrum mentes conversae essent: an esset conditio ipsa *inserventium,* seu potius duplex circumstantia simul iuncta, vivendi scilicet *intra septa,* et vivendi cum dependentia. Absonum autem esse primum affirmare ostendebat: ac comparatione instituta inter inservientes et Seminarii alumnos, utrosque intra septa viventes, cum multo maiori ratione a Regularibus pendeant Alumni, quam inservientes, ut supra adnotaverat, concludebat Seminarii Alumnos non posse censeri a Decreto exclusos.

Haec autem eoniirmabat ex praxi, praecipue vero ex causa *Colimbrien.* diei 12 Martii 1757, quae ter fuit proposita coram S. C. C, ac tandem cum clausula, *et amplius,* dimissa. In ea causa agebatur de Seminario erigendo pro dioecesi Colimbriensi. Episcopus e fundamentis muniiicenlissime extruere suis expensis illud cogitans, cum opus in longum tempus protraheretur, aedes quasdam conduxerat, in quibus interim iuvenes erudirentur. Cum autem Magistri è saeculari Clero vel non facile invenirentur, vel facile discederent, censuit satius esse advocare Pios Operarios Congregationis Aragonensis, eorumque Congregationi novum Seminarium perpetuo unire: nova itaque Episcopus statuta condidit, quibus Seminarium eidem Congregationi perpetuo univit illudque exemit a Parochi iurisdictione: haec nova statuta ac unionem confirmavit Summus Pontifex. Has exemptiones Parochus aegre ferens reclamavit, et deveniente causa ad S. C. C , cum Literae Apostolicae ne unum quidem verbum haberent de exemptione; cum confirmatio statutorum in *forma communi,* non vero *specifica* facta fuisset, trahi eas litteras non posse ad exemptionem parochialem contendebat: unionem vero Seminarii Congregationi Piorum Operariorum non esse *subiectivam,* sed *aeque principalem,* nihil proinde mutare circa iura utriusque loci seu communitatis.

E contra Rector Seminarii inquiebat id fieri potuisse ab Episcopo tamquam Fundatore, eoque magis quod nihil novi factum fuisset ab Episcopo, cum in Hispanus, et praesertim in dioecesi Toletana atque Oriolensi, ubi Seminaria unita sunt Regularium Ordinibus , aut Congregationibus, quae privilegia Regularium

habent, ita servetur; omnemque dubitationem adimi ex confirmatione Apostolica, cum necesse non fuerit, ut esset in *forma specifica,* satis enim erat ut Pontifex *unionem* expresse confirmasset ex qua sequuntur exemptiones Seminario datae : unionem autem subiectivam fuisse cum Seminarium *incorporatum* esset Congregationi. Proposito autem dubio: « An sit locus exercitio » iurium et functionum parochialium in Seminario Colimbriensi, » seu potius constet de libertate Seminarii in casu:» S. Congregatio respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Hac causa Colimbriensi enarrata, idem Iurisconsultus contendebat, unicam validamque decidendi rationem in ea causa fuisse unionem *subiectivam,* quae facta fuerat per traditionem Seminarii dictae Congregationi, cum reliquae, quae adductae sunt, rationes robore essent destitutae: namque Episcopus licet Seminarii fundator, ius Parocho *iam quaesitum* laedere non poterat; nec in *limine fundationis* id fecerat cum a pluribus annis Seminarium extiterit: nec litterae Apostolicae in *forma communi* statuta confirmantes ius Parochi laedere poterant; cum notum sit, confirmationem in *forma communi* factam rei valorem non immutare, neque privilegium convalidare, maxime contra ius alterius, Reiffenst. *tit. de Privil. n.* 76, Schmalzgr. *tit. de Confirm. utili n.* 4 Rota *coram Coccino decis.* 1573, *et* 1763 *etc.* Quare concludebat datam Resolutionem uni tantum rationi fuisse innixam, quae petebatur ex unione Seminarii dictae Congregationi facta, ita ut tenendum sit, non solum inservientes , sed etiam Seminarii Alumnos, qui cum Regularibus cohabitant, et ab iisdem pendent exemptionem eorumdem a parochiali iurisdictione participare.

Quae quidem amplius confirmabat ex praxi iuxta ea quae tradit Pellizarius, *Manuale Regularium in Tractatu* 8 c. 3 n. 302 *in fin.,* et nominatim Pichler, *ius Can. practice explicat, decis.* 177 et Schmalzgrueber *cons.* 32.

Post haec copiose adducta, ad alterum speciale argumentum Iurisconsultus gradiebatur, desumptum scilicet ex peculiari privilegio communicandi privilegiis Clericor. Regui. de Somascha. Et tria in hac quaestione quaerebat : I°. an certum esset privilegium Somaschensium : 2°. an regularis Ordo de quo agimus

eorumdem privilegiis communicaret: 3°. an eiusmodi communicatio aptari posset ad privilegium de quo agitur. Demonstrata affirmativa sententia circa duo priora, per pontificias Constitutiones, ad tertium sic procedebat: ex tribus capitibus difficultas posset oriri, vel *quia* privilegium communicandi somaschensi privilegio non adeo plenum esset, quo posset hoc comprehendere ; vel *quia* privilegium somaschense colligatum esset alicui peculiari loco; vel *quia* natura et qualitas privilegii eiusdem ita gravis et singularis sit, quod comprehensum in quovis communicandi iure praesumi non possit.

Porro nullam ex his tribus difficultatibus in praesenti casu locum habere ostendebat: non quidem primam, quia ius communicandi amplissimis verbis fuerat concessum: non secundam, quia privilegium somaschense tributum fuerat *omnibus et quibuscumque personis degentibus et commorantibus in Orphanotrofiis, Seminariis, Academiis, Collegiis:* non tertiam, quia agitur de privilegio, quod passim conceditur non solum Regularibus, sed etiam Presbyteris saecularibus, quodque, ad Regulares quod attinet, vix privilegium potest appellari, cum sit iuridica consecutio immediate derivans ex Regularium exemptione.

Hisce omnibus absolutis, in eo quod spectaret ad quartam funerum iusque sepeliendi in casu mortis alicuius ex Alumnis, non admodum iurisconsultus erat sollicitus, facile haec Parocho concedens.

Haec autem omnia circa praecipuum quaestionis caput copiose utrinque, subtiliterque disputata subiicienda erant Emorum Patrum iudicio: « At vero Rmus P. Generalis, (uti narrat » Angelus Lucidi *in Op. De VV. SS. LL. Vol. IL pag.* 357.) patì cis inter utrumque Clerum maxime cupidus aliam iniit viam. » SSmus D. N., haud inscio Praefecto S. C. Epis, et Reg. eidem » Generali autor extiterat, ut Seminarii moderamen assumeret. » Quoniam vero id in scriptis relatum nequaquam fuerat, ab » eodem Summo Pontifice ope eiusdem S. Congregationis supplex » expostulavit, ut quod oretenus permiserat, editae Rescripti » formulae consignare dignaretur. Quo circa in audientia diei 3 » Septembris 1864 sequens prodiit Rescriptum:

« SSmus annuit iuxta preces, cum exemptione tam Seminarii , quam adnexae ecclesiae una cum confraternitatibus ibi ere-

dis a iurisdictione Parochi, salva tamen eidem Parocho quarta funeraria in casu obitus Alumnorum et Seminario actu inserviendum, dummodo intra eiusdem Seminarii septa resideant, nec non praedictis Confraternitatibus adscriplorum, quatenus Confratres in enunciata ecclesia iure sepulturae gaudeant; ita tamen ut Seminarium et Confraternitates maneant sub patrocinio , protectione et subiectione Episcopi. Contrariis etc. et notificetur Episcopo. »

Ex DICTIS COLLIGI POTEST :

I. Patres Tridentinus statuentes Seminariorum erectionem in singulis dioecesibus, omnia disposuisse, ut Seminaria essent in Episcopi potestate, qui, ex praescripta lege, advocato in auxilium saeculari Clero, Seminaria in dioecesis bonum dirigeret (1).

II. Eosdem Patres nullimode cogitasse casum in quo Regularibus seminaria tradere, ex defectu praesertim idoneorum magistrorum, Episcopi cogerentur.

III. Quare sine Apostolica venia seminaria tradi Regularibus familiis non posse; quam quidem veniam ita concedi, ut salva expresse maneat Episcopi potestas.

IV. Quaestionem tamen ex deductis esse, an per traditionem seminarii alicui Regulari familiae, nulla facta mentione de iuribus parochialibus, iura parochialia laesa seu victa eo ipso maneant.

V. Praecisione enim facta a peculiari privilegio et consuetudine locorum, duo in conflictum venire; ius nempe commune quod Parochis assistit, et privilegium Regularium, ex quo, illi sunt a communi iurisdictione exempti, qui eis *actu serviunt et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt.*

VI. Congruum autem sententiae Tridentinae legis videri, seminaria Regularibus familiis rite constitutis dirigenda et educanda tradita, quae intra eorum septa cum iisdem degunt, a parochiali iurisdictione in sacramentorum saltem admnistratione esse immunia.

(i) Vide quae diximus circa Seminarii Deputatos in *Votum. I. pag.* **691.**

APPENDIX 1,

DE ORATIONE EPISCOPORUM AD li. PONTIFICEM, COLLATA CUM ENCYCLICIS APOSTOLICIS LITTERIS DIEI 8. DECEMBRIS 1864, AC ERRORUM PROSCRIPTORUM SÌLLABO IISDEM LITTERIS ADIUNCTO.

Episcoporum conscripta oratio R. Pontifici delata, quam *pag.* 17. dedimus, qua id quod universim Episcopi catholici in suis sedibus a Romano Pontifice gestientes exceperunt, iterum in praesentia coniunctim confirmant; in mentem nobis revocat dubitationes quasdam eo tempore a nonuullis Catholicis motas quibus dictae Encyclicae Litterae cum adnexo errorum Syllabo prodierunt. Quaesitum eo tempore fuit, et etiam nos per litteras ab amicis nostris rogati fuimus , an ea quae in Encyclicis Litteris et Syllabo reprobata damnataque erant, habenda essent tanquam locutiones R. Pontificis *ex cathedra* factae.

Rationes autem dubitandi petebantur tum ex extrinseca eorum documentorum forma, tum ex carentia qualificationis errorum : non enim per dogmaticam Bullam proscripti damnatique sunt; neque anathemate vel haereseos nota muniti.

Verum eiusmodi umbrae, si quae sint, submoventur, si quis animadvertat, supremum R. Pontificis magisterium divinitus eidem in persona Petri collatum, neque ab extrinsecis pendere formis, neque esse necessarium, ut erroneae propositiones ad quamnam errorum classem referantur, declarentur, aut aliqua speciali sanctione muniantur , ut damnatae et proscriptae haberi possint. Ex cathedra enim loqui dicitur R. Pontifex, quando uti universalis Ecclesiae magister Ecclesiam docet; quod facit sive proponendo Ecclesiae credendi, docendi, agendique normas, sive damnando doctrinas, quae cum normis credendi, docendi, agendique ut debet non cohaerent; quaecumque sint formae quibus utatur.

Sunt utique modi quidam solemnes , quibus R. Pontifex nunquam utitur , nisi loquendo ut aiunt ex cathedra; at inde non sequitur, absque illis modis et formis, tamquam universalem Ecclesiae Magistrum loqui, et hanc voluntatem manifestare non posse: quae quidem adeo sunt evidentia ut superflua quaevis alia observatio profecto sit; non enim vox supremi Magistri extrinsecis formis est alligata, eo vel magis quod et pro varietate adiunctorum, et pro errorum genere neque semper eadem lege possit, neque expediat loqui per dogmaticas Bullas.

Praeterea neque est necesse, ut quoties R. Pontifex ex cathedra loquitur, doctrinam propositam velit

directe definire tamquam de fide, et errores oppositos ut haereses damnare. Qui secus sentiret, affirmare cogeretur, Bullas plerasque solemnes dogmaticas, iude a tempore Concilii Coustantiensis editas, in expositis doctrinis, in damnationibus quas continent, magna ex parte locutiones non esse R. Pontificis ex cathedra loquentis. Quae quidem quam a veritate sint aliena, nemo est qui non videat.

His autem positis, iri Litteris Encyclicis , de quibus loquimur , ad omnes Ecclesiae catholicae Episcopos missis, manifestissime R. Pontifex universam voluit docere Ecclesiam, damnans quasdam propositiones, et praecipiens ne a quovis catholico uti verae haberentur.

In Syllabo autem commonefacere iussit omnes Episcopos de erroribus aliis occasionibus a se damnatis : quare singulae propositiones eo valore sunt in primis habendae, prout esse deprehenduntur ex documentis ex quibus sunt desumptae: at non satis ; accedit enim illis proscriptis propositionibus uova proscriptionis firmitas ex R. Pontificis iussu, quo illae in compendium redactae, ut damnatae et reprobatae universae proponuntur Ecclesiae.

Quaelibet itaque dubitandi ratio, quam supra exposuimus valore est destituta.

Sed dices: qui secus sentiret, ac doceret, quam R. Pontifex docuit, qua censura innodatus erit habendus? Habendusnc erit uti haereticus, aut communione fidelium privatus, aut de haeresi suspectus etc.? Cui interrogationi,-ut generali responsione fiat satis, dico, vi dumtaxat memoratae Epistolae Encyclicae, et Syllabi, qui secus assereret, gravissimae inobedientiae reum esse habendum : noti enim intellectum submitteret supremo Ecclesiae divinitus constituto Magistro eas propositiones reprobante et damnante: ad singulas autem propositiones quod attinet, ad Theologos pertinere definire, an praeter inobedientiae reatum. aliquid aliud concurrat quod hunc inobedientiae actum sive haereticum, sive proximum haeresi aliaque censura affectum praeterea reddat.

Haec quidem dicenda videntur, si in se consideretur tum dicta Epistola Encyclica, tum Syllabus : at nova lux his quae diximus accedit, si haec documenta considerentur hi ordine ad modum quo ab universo Episcopatu fueruut excepta. Publicum enim est factum: statim ac e Vaticano exierunt eiusmodi documenta quae , non sine multis praemissis precibus a R. Pontifice Deo effusi», fuerunt ad Episcopos missa, Episcopi singuli unanimiter in suis sedibus exultantes, quod in tanta errorum et tenebrarum congerie loquutus esset Petrus per Pium, gratias quamniaximas R. Pontifici egerunt et retulerunt.

Cui quidem celebri facto, novum vidimus splendorem confirmationemque accedere hodiernis diebus

per Orationem, quam Episcopi Romae coniuncti R. Pontifici detulerunt, dicentes: *Tu aeternas veritates annunciare, tu saeculi errores naturalem, supernaturalemque rerum ordinem, atque ipsa ecclesiasticae civilisque potestatis fundamenta subvertere minitantes, apostolici eloquii gladio configere, tu caliginem novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dispellere, tu quae necessaria ac salutaria sunt tum singulis hominibus, tum christianae familiae, tum civili societati intrepide effari, suadere, commendare, supremi Tui ministerii es arbitratus; ut tandem cuncti assequantur quid hominem catholicum tenere, servare ac profiteri oporteat. Pro qua eximia cura maximas Sanctitati tuae gratias agimus, habituri sumus sempiternas; Pelrumque per os Pii loquutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus annuntiamus, unoque ore atque animo reiicimus omnia, quae divinae Mei, saluti animarum, ipsi societatis humanae bono adversa, Tu ipse reprobanda ac reiicienda iudicasti. Firmum enim menti nostrae est alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto unionis unanimes definierunt: Romanum Pontificem.* « Christi Vicarium, totiusque » Ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem et Doctorem » existere, et ipsi in beato Petro » pascendi, regendi ac gubernandi » universalem Ecclesiam a Domino » Nostro Iesu Christo plenam potestate m traditam esse. »

Exceperunt itaque universim catholici Episcopi, moraliter saltem sumpti, doctrinas a R. Pontifice generali modo damnatas, quae in Encyclica et Syllabo plenius continentur, tamquam per Petrum damnatas; idque denuo unanimi consensu confirmarunt et subsignarunt: quare in praesentia qui contrarium assereret ac R. Pontifex docuit, et cum eo docet et docuit Ecclesia, eo ipso deveniret ad negandam R. Pontificis infallibilitatem etiam eo modo explicatam, ut eam admittunt, si qui sint, qui praeposteras gallicanas doctrinas hac in re sequantur: negare scilicet cogerentur ipsam Ecclesiae infallibilitatem, quod sane esset haeresis (1).

(t) Non inseruimus hactenus in nostris ephemeridibus laudatam Encyclicam et Syllabum, ea de causa, quia cum istae prodierunt ephemerides, tot iam exemplaria eorum documentorum impressa ac diffusa erant, ut superflua videbatur eorumdem insertio: sed cum ea documenta celeberrima sint et erunt, hac nova occasione capta, ea adducere non omittemus.

EX PARTICULARI S. CONGREGATIONE CONCILII.

IURISDICTIONIS ORDINARIAE VEL EXEMPTIONIS.

Die **27** *Novembris* **1856.**

Hanc gravem controversiam, quae circa exemptionem cuiusdam italici Capituli ab Episcopi iurisdictione tota versatur, acriter agitatam referimus, quae ob plura iuris principia in medium adducta et ob resolutionem viginti dubiorum non parum lumen afferet huius generis controversiis dirimendis.

Compendium facti. Canonici Cathedralis Ecclesiae Civitatis N. exemptione activa et passiva ab ordinaria Episcopi iurisdictione sese gaudere persuasum habebant: ubi primum novellus Episcopus ad eam dioecesim regendam accessit, cum rationum momenta, quae ad illa exemptionis privilegia tuenda proferebantur non satis clara ac valida uti par erat sibi viderentur, rem universam S. Congregationi Concilii detulit, ut omnia quaestionum capita, auditis utriusque partis deductionibus, matura deliberatione, definirentur. Quaenam fuerint eiusmodi quaestionum capita ex dubiis in calce positis et ex decursu disceptationis eruentur.

S. Congregatio suis uteris die 6 Maii 1852 ante omnia pro suo more, tum Capitulum, tum Fiscalem Curiae Episcopalis Promotorem moneri iussit, ut sua quisque iura deduceret circa assertam exemptionem, transmissis documentis quae exemptionem eomprobarent vel excluderent.

Itaque Capitulum antiquissimas quasdam plurium RR. Pontificum Constitutiones; itemque Statuta sua Capitularia ab Apostolico Delegato anno *i* 482 comprobata; nec non quasdam quae intercesserant inter Capitulum et Episcopos antecessores concordiae conventiones; et diplomata Imperatorum ac supremorum ditionis Ducum (tametsi hac in re prorsus incompetentium) in medium protulit.

Promotor etiam Fiscalis sua iura contra exemptionem Capituli deduxit, quae eo tandem redigebantur, ut quidquid in dioecesis ambitu contineretur, ex iure communi eius iurisdictioni obnoxium esset censendum, nisi aliter de manifesta et indubia exemptione constaret.

Cum de re gravissima, plurimisque difficultatibus implicata ageretur, ad SSmum D. N. negotium relatum est, qui pro sua sapientia particularem Cardinalium Congregationem ad eam causam diiudicandam deputavit, quos inter honoris causa nominamus'cl. mem. Emum Cardinalem Cagiano, S. C. Concilii eo tempore Praefectum, et Emum Cardinalem Caterini, qui Card. Cagiano eo immunere successit, magnamque in causae prosecutione partem obtinuit.

Coacto Conventu die 4 Septembris 1858 quatuor dubia resolvenda proposita sunt (diversa ab iis quae in calce hic subiicientur), quibus S. C. conglobatim respondit in hanc sententiam: privilegia quae Capitulum allegaret, haud satis comprobata reperta esse: ut cessarent controversiae, necessarium se existimare, ut Capitulum ad conficienda capitularia statuta deveniret ad normam Tridentini Concilii intra sex menses: ad haec conficienda idem Capitulum tamquam fundamentum haberet integritatem iurium Episcopi iurisdictionis et honoris, tum in ecclesiasticis functionibus, quas in quovis dioecesis loco Episcopus ageret, tum in personas Cleri nulla distinctione facta: ut Capitulo reservaretur ius superioritatis in minovi Clero in iis quae pertinent ad ecclesiae cathedralis servitium, nec non ius patronatus in Beneficiis et ecclesiis Capitulo unitis: ut eiusmodi capitularia statuta intra sex menses S. Sedi transmitterentur pro eorumdem examine et adprobatione.

Capitulum (silentio praeteriri nequit) nedum Episcopo sed et ipsius S. C. iussui non ita docile sese praebuit: nam primum in pendentia litis praetensae exemptionis actus contra Episcopum , nedum ut antea, sed et exorbitantius exercere perrexit, praeter alios contra obsequium Episcopo debitum patratos excessus: deinde nonnisi post repetitas urgentiores litteras tandem in anni exitu 1854 statutorum volumen S. C. exhibuit, in quibus menti S. C. die 4 Sept. verbis expressae nullimode Capitulum inhaesisse deprehensum est.

Singulis itaque horum statutorum articulis examini subiectis, cuncta ad canonici iuris trutinam revocata sunt, et correctione iuxta praefatum S. O. decretum facta, Constitutio Apostolica parabatur, quae statuta determinaret uti apparet ex formula secunda dubitationis in calce posita; cum autem super hac re disceptaretur, consultus existimatum fuit si concinnatis viginti dubiorum formulis, quibus singula quaestionum capita comprehendebantur, omnis quaestio a S. C. particulari dirimeretur.

Haec autem dubia in huius elucubrationis calce leguntur.

Disceptatio synoptica.

Quamvis iuxta nostrum institutum brevitati studere debeamus, quae claritati non officiât, tamen de quaestione agimus, cuius brevitati si nimis consulere vellemus, notionem potius historicam quam scientificam daremus: ne id eveniat brevitati quidem, in referendis animadversionibus ex officio factis, consulendus, sed amplitudinem ex causae natura derivantem, quam declinare non possumus, Lectores patientur.

DE QUAESTIONIS CARDINE.—Omnes resolutiones circa iurisdictionis materiam e certo derivare principio affirmabatur, quo Episcopi dicuntur fundatam habere intentionem in iure ad exercendam iurisdictionem ordinariam ecclesiasticam in omnibus ecclesiis, locis et personis in sua dioecesi constitutis: hac iuris praesumptione posita, ad eos qui ordinariam iurisdictionem impugnant, pertinere suam probare exemptionem: in hanc rem omnes convenire Auctores: neque dari exemptionis exemplum ante saeculum IX. uti in quadam causa *Parmen. Abbatiae* penes S. C. C. agitata die 19 Decemb. 1801 adnotatur cum Card. Baronio *ad annum* 676, et Benedict. XIV. *de Syn. I.* 13 c. 9 *n.* 2, qui exemptiones etiam Abbatum *nullius dioecesis* refert ad saeculum X. item in Const. *Causarum* et Const. *Inter multa.*

Hoc statuto principio S. Rotae decisionibus confirmato dubitari non posse in praesentia videbatur, quin Capitulum Ecclesiae cathedralis de quo agimus, eiusdemque Clerus intra dioecesim esset: quare consequens erat ut Capitulum probaret exemptionem sive *activam* prout eam habent Abbates *nullius,* sive exemptionem *passivam,* prout eam habent Praelati inferiores *secundae* vel *tertiae speciei,* iuxta ea quae docet Card. Petra *in*

Com. ad Const. Callixti III. tom. **5** *pag.* **127** *sect.* **2** *in princ.* Benedict. **XIV.** de *Syn. I.* **2** c. **11** *n.* **2:** causa *Parmen. kbatiae* **19** Decemb. **1801**; et *Nullius Ferentilli* **17** Septemb.**1814(1).**

Cum itaque in iure tres tantum Praelatorum inferiorum species agnoscantur, habentes sive iurisdictionem *activam* sive exemptionem *passivam,* scilicet sine iurisdictione ordinaria territoriali, Capitulum, quod Praelaturam *collectivam* se esse contendebat, ad quam ex triplici classe pertineret, ostendere debuisset : ad quod ostendendum triplicem adesse dumtaxat viam in iure cum Card. Petra animadvertebatur. Hic enim Auctor *loc. cit. n.* **1** docet: « Triplici modo acquiri potest iurisdictio per Praelatos » inferiores, *origine* scilicet, *privilegio* et *praescriptione. Nativa* » dicitur primo modo acquisita, *dativa* secunda, et *praescri-* » *ptiva* tertia: » docet insuper non posse Praelatos inferiores sibi vindicare nativam exemptionem, quasi vero in originaria dioecesium divisione aliqua loca acephala relicta essent, Episcopis videlicet non subiecta quos Christus D. posuit regere ecclesiam Dei. Quae quidem confirmabantur auctoritate Benedicti **XIV.** in Const. *Apostolicae servitutis,* **§. 2** ubi de quadam causa exemptionis agens sequentem tradidit doctrinam : « *Sane licet vetustissima huius contestatae litis primordia, si altius ab origine sua repetantur, prae vetustate admodum obscura et involuta sint : illud tamen certum firmumque et indubitatum est, Oppidum Putiniani situm esse in dioecesi Conversam, eiusque finibus contineri... Quo quidem posito... certi iuris est iurisdictionem in dicto Oppido exercendam acquiri potuisse tantum ex vi privilegii Apostolici adimentis Episcopo et tribuentis Praelato inferiori aliquam territorii partem a reliqua dioecesi prorsus separatam, et quodammodo avulsam, aut, deficiente privilegio expresso, ex vi consuetudinis immemorabilis stricte cum suis requisitis conditionibus comprobatae: continuala enim et pacifica atque hominum memoriam longe excedens omnium actuum iurisdictionalem exercita possessio, vidente et acquiescente Episcopo, tantae virtutis et efficaciae esse censetur, ut iurisdictio ordinaria et territorialis, quae privilegio expresso adscribi non potest, saltem praesumpto videatur referenda.))*

(i) Recole quae dicta sunt in causa *Exemptionis,* **quam adduximus** *Fol. U. pag.* **342** *et seqq.*

Eo vel magis quod exemptio *nativa* in praesenti themate satis aperte excludebatur; quamvis enim cum Ughelli in *italia Sacra* affirmaretur, antiquam traditionem esse, s. Prosdocimum s. Petri Apostoli alumnum, Patavio cruci subacto, praedicasse evangelium in dioecesi de qua agimus, et audito martyrio s. Petri, quod Deiparae templum destinarat, consecrasse Magistro; ac veterum Episcoporum nomina a Constantini M. tempore traderentur: nihilominus nulla mentio id temporis de Capitulo habetur. Quae quidem mentio haberi non poterat, cum Canonicorum institutio facta censeatur aetate Caroli Magni; Muratori *Antiqua, medii aevi Dissert.* 62 ; et antiquiores memoriae de eiusdem Capituli existentia ascenderent ad saeculum XI. Praeexistentia itaque Episcoporum, qui iuxta ss. canones Sponsi appellantur cathedralis ecclesiae, vix cogitare permittit, Capitulum acephalum prodiisse ab Episcopo perpetuo divortio seiunctum.

Quibus praenotatis, omnis de hac causa discussio coercenda erat ad examen *dativae* et *praescriptivae* exemptionis, quae quidem utpote laesiva ecclesiasticae Hierarchiae debito rigore erat ostendenda. Haec enim ad rem tradit Card. Petra *loc. cit. n.* 11. « Dativa exemptio quae est secundus modus acquirendae exem-» ptionis procedit ex concessione Papae et privilegio Apostolico » exemptivo Praelati et certi loci separati per privilegium ab » Episcopi iurisdictione, cuius privilegii forma attente debet » scrutari quomodo sit concepta *Cap. Porro de Privil.* . . . Ista » igitur exemptio si sit *simplex passiva* non inducit iurisdictio-» nem in alios, sed solum ut aliqui ab Ordinario eximantur, et » *Sedi Apostolicae* immediate subdantur, vel *alteri Praelato* con-» stituto Superiori. Prout si agatur de secunda specie exemptio-» nis *activae* et non sit facta separatio territorii et dioecesis, » remanet in dioecesi Episcopi locus ille exemptus : si vero ex » tenore privilegii inducatur vera separatio territorii, pro qua » verba debent esse clara, inducitur prima species, nempe vera » qualitas *Nullius.* Sed si actus sint compatibiles cum statione » in dioecesi et absque separatione non debent protrahi ad in-» ducendam istam separationem satis odiosam.»

CIRCA BULLAS PONTIFICIAS QUAS CAPITULUM ADDUCEBAT. — Ad probandam autem exemptionem ex privilegio sequentes RR. Pontificum Bullas adducebat Capitulum, nempe Alexandri III., qui

ad exemplar Eugenii III. sic ait: « *Dilecti filii ad exemplar Praedecessoris nostri praefatam ecclesiam S. Petri sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et praesentis scripti privilegio committimus. Communem vestram vitam confirmamus et nemini retro abire liceat. Propterea possessiones, bona vobis illibata permaneant, decimas, primitias, oblationes, sepulturas, subiectiones Cappellanorum et Clericorum in eadem civitate commorantium sicut eas hactenus possedistis. Ecclesias s. Nicolai, s. Ioannis Baptistae cum suis pertinentiis, terras aedificatus, clausuram, mensas,... praeterea omnes decimas,* quemadmodum Episcopus ecclesiae vestrae concessit, *Nos ea Vobis et per vos eidem ecclesiae auctoritate Apostolica confirmamus: nulli ergo etc.* » Alexander iii. iisdem verbis eadem confirmavit. Item Lucius III. et Urbanus III.

Idem fecit Urbanus IV. « *Ad exemplar Praedecessorum sub B. Petri et nostra protectione suscipimus,* - et iisdem verbis Pontifex prosequitur - *decimas, sepulturas, subiectiones Cappellanorum in civitate commorantium* - ac adiecit - *sine assensu Episcopi dioe cesani et vestro nemo Ecclesiam seu oratorium aedificare praesumat; et quod ad incommodum removendum ex distractione bonorum cum Vener. Fratre Nostro Episcopo vestro et quibusdam aliis suis Praedecessoribus communiter statuistis, ut unus assumatur, qui bona dispenset, nos annuentes confirmamus. »*

Demum adducebat Capitulum Bullam Leonis X. qui eam Ecclesiam declarat — *inter statum ecclesiarum cathedralium insignium* — statuit autem circa chorales distributiones — *et quod ad lites sustinendas honorem et iurisdictionem ecclesiae et Capituli concernentes, ex redditibus Canipae centum ducati auri extraherenlur, quare et ordinationibus huiusmodi robur Apostolicae confirmationis adiiceretur: Nos ordinationes praedictas tenore praesentium approbamus.*

Capitulum itaque argumenta exemptionis *activae* aut saltem *passivae* a proprio Episcopo desumebat *ex protectione S. Sedis,* ex *subiectione Cappellanorum et Clericorum,* ex *confirmatione expensarum pro tuitione bonorum et iurisdictionis* et ex honoris titulo illius cathedralis *insignis.*

At contra Episcopus animadverterat ipsas allegatas Bullas ostendere, Capitulum nunquam egisse tanquam ab Episcopo exemptum aut seiunctum; quin imo annuentiam Episcopi semper

praecessisse confirmationes a RR. Pontificibus factas. In singulis enim Bullis legi, *Episcopo Ecclesiae vestrae:* et in Bulla Urbani IV. excludi aperte *passivam* exemptionem ex verbis *Episcopo vestro et aliis praedecessoribus suis :* privilegium RR- Pontificum non eo esse directum ut Clericos ab Ordinario eximeret, qui subiecti Capitulo tantum erant *ratione muneris* quod in Ecclesia exercebant, cui quidem Ecclesiae utpote *receptitiae* omnes Clerici adscribuntur: quare non agi, inquiebat Episcopus, de iurisdictione punitiva et legislativa; et hanc iurisdictionem ordinariam in Clerum privilegium non secumferre eo ipso , quod disertis verbis de hac iurisdictione non loquatur : eo vel magis quod Sancta Sedes sine expresso Episcopi consensu eiusmodi iurisdictionem concedere non soleat, uti tradit Benedictus XIV. in Const. *Causarum, §. Subsequuntur.* Privilegia insuper esse directa ad bona et temporalia iura servanda , cuius generis sunt fere omnia privilegia medii aevi, quae concedebantur et ecclesiasticis poenis muniebantur, ad tuenda propriae Ecclesiae bona a vi armata, a Baronibus, ab Exactoribus Imperialibus, ab Advocatis, uti aiebant, ecclesiarum; Benedictus XIV. Const. *Inter multa:* idem probare confirmationes ecclesiarum earumdemque bonorum tamquam *filialium* et *succursalium* ecclesiae cathedralis iuxta veterem morem de quo loquitur Tomassin *veter. et nov. eccles, discipl. par.* 1. *c.* 21 *et* 22. Bergier *Diction, verbo, Paroisse.* Bingham *Orig. Christ, tom.* 3. *lib.* 19 c. 18 §. 1 *et seqq.* Nimirum in singulis urbibus unam extitisse tantum ecclesiam baptismalem, parochialem et cathedralem ex qua tanquam ex centro caeterae derivarent ab eaque penderet animarum cura, Sacramenta et Clerus, ita tamen ut Episcopus omnibus praesideret.

Ostendebat autem Episcopus ea verba *sub protectione S. Petri, et S. Sedis* nullimode secumferre exemptionem sive *activam.* sive *passivam.* Ad hoc probandum adducebat Benedicti XIV. Const. *Causarum,* de iurisdictione Episcopi Spirensis in Ecclesiam collegiatam B. M. V. in Bruchsal, g. *In duabus,* qua legitur: *In duabus Constitutionibus Honorii III. et Gregorii IX. altera . . . quibus Monasterii privilegia confirmantur, illud accipitur sub B. Petri et Nostra protectione. At vero hinc argui nequit exemptio ab Auctoritate Episcopi, ut diserte respondit Innoc. III.*

in cap. Ex parte 18, de Priv. *Ex parte tua fuit quaesitum utrum Clerici et Laici, qui Litteras Protectionis ostendunt, in quibus personae suae expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, a iurisdictione Episcopi dioecesani sint exempti: no£ respondemus quod per litteras huiusmodi ab Episcoporum suorum potestate minime subtrahuntur.* - Haec confirmant Pitonius *discept, eccl.* 01 *n.* 83, Rota *cor. Emerix dec.* 395 *et cor. Falconer. in Meliten, iurisdictionis* 1715.

Sed his omnibus uberius etiam lumen accedebat ex Bulla Eugenii III. ad quam caeterae referebantur, in qua haec expressa leguntur; « *Eugenius HI. Bonifacio Episcopo N. et successoribus eius. Iustis Fratrum nostrorum desideriis aures accommodare nos convenit. . . Ea propter dilecte in Christo Frater Bonifaci Episcope, postulationibus tuis clementer annuimus et ecclesiam B. Petri . . . cui auctore Deo praees, sub ipsius Apostolorum Principis et nostra protectione suscipimus: statuentes ut quaecumque bona largitione Principum possidet vel in posterum concessione Pontificum possidebit et oblatione fidelium vel aliis modis, firma tibi, tuisque successoribus illaesa permaneant. Nulli ergo etc. Datum anno* 1153. » Item Lucius III. Const In *Eminenti* , anno 1185. « *Quapropter Conrade Episcope Ecclesiam B. Petri cui auctore Deo praeesse dignosceris ad exemplar Eugenii III. sub B. Petri protectione suscipimus* » Has Bullas refert Ughelli in celeberrimo opere *Italia sacra* in qua pariter *anno* 1232 legitur « Titus de Vidoro Episcopus confirmat institutionem qua- » tuor Mansionariorum in cathedrali » iuridicum autem principium esse adnotabatur, ex actu Episcopi confirmantis institutiones et electiones exurgere Capituli subiectionem et excludi eiusdem exemptionem, Piton, *discep.* 24 *n.* 42.

CIRCA CAPITULARIA STATUTA. — Statutis capitularibus anno 1432 innitebatur praeterea Capitulum ad exemptionem demonstran dam sive *activam* sive *passivam* ; quare singuli statutorum arti culi in examen sunt revocati, omissis illis, qui communes solent esse Capitulis omnibus. Praemittebatur itaque Breve Eugenii IV. ad Cardinalem Bononiensem datum his verbis conceptum; *Exhibita petitio ven. Fratris Episcopi N. continebat, propter diversitatem statutorum Ecclesiae N., cui praeesse dignoscitur, inter illius personas contentiones et scandala suscitentur. Pro parle Epi-*

scopi fuit nobis supplicatum, ut ecclesiae, nec non personis praedictis providere dignaremur. Nos inclinati petitionibus per Apostolica scripta mandamus..... quae rationabilia fuerint, approbes, minus iusta et scandalorum productiva penitus reseces, casses et irrites.

Articuli autem Statutorum, prout ex mandato Pontificis fuerant a Cardinali Bononiensi reformati, sunt sequentes. Art. Ï. quoad negligentes in chorali disciplina *puniantur ad arbitrium Decani, vel ipso absente, antiquioris Canonici;* item *quoad delinquentes in choro.* At contra advertebatur cum S. Rota in *Dertusen. Iurisdictionis coram Pio* 1572. «Potestas concessa Archipresby- » tero in minimis, nihil operatur in gravibus, quorum cognitio)) totaliter debetur Episcopo. » Eo vel magis quod in Art. ii. statutum esset : *et si ipsi Canonici in praedictis negligentes fuerint per Vicarium D. Episcopi puniantur:* quo non excludebatur Episcopi iurisdictio. Art. Xl. *Rectores et Cappellani ecclesiarum Capitulo subiectarum accedant tempore quadragesimali ad scrutinium :* observabatur autem eiusmodi articulum conformem esse ss. canonibus *cap. His quae, de Maior, et obed.,* ibique Fagnanus ; ad hoc enim scrutinium convocabantur Rectores ecclesiarum Filialium ad iudicandum de admissione cathecumenorum ad Baptismum, an essent satis catechismo instructi etc.

In Art. XII. *Rectores dictarum ecclesiarum cum crucibus in festo s. Liber alis processionaliter debeant ecclesiam N. visitare :* et in Art. XIII. *Quod Primicerius et Cappellatius debeant interesse primis vesperis et Missae die S. Petri Apostoli . . . nec non in processionibus völuntariis, quas D. Episcopus N., vel Capitulum duceret ordinandas vel faciendas:* quocirca observabatur ad eiusmodi indictionem vocari Episcopum *praelative,* non autem Capitulum *privative.*

In Art. XXII. *Quilibet receptus \in Canonicum ad vacantem praebendam, iurare teneatur et debeat in manibus D. Episcopi praesentis, vel ipso absente, in manibus Decani, quod bona fide possessiones tractabit et statuta observabit:* quocirca nullum determinari iuramentum circa exemptionem sive *activam* sine *passivam ,* quin imo coram Episcopo iurare tenebantur.

In Art. XXIII. *Mansionarii et Praebendam* (scilicet minor Clerus) *promitten t observare reverentiam ct obedientiam Capitulo N. et statuta observare salvis in omnibus praerogativis D. Epi-*

scopi N. et iure episcopali. Et in Articulis XXIII, et XXIV. *Quilibet Mansionarius, Plebanus, Rector, Clericus in ecclesiis Capitulo subiectis iuret obedientiam et reverentiam et statuta servare Capituli, et bona conservare, salvò in omnibus iure et praerogativis D. Episcopi.* Et in Art. XXXIII. *Nullus Canonicus se absentet a residentia sine licentia D. Episcopi, et eo absente , Decani et maioris partis Capituli . . .* ei *super praedictis nulla fieri possit donatio fructuum, et si facta fuerit tamquam periurius puniatur arbitrio et discretione D. Episcopi.*

Simili tenore prosequuntur caeteri Articuli quos brevitatis causa relinquimus, ita ut ex iis eruatur ampla quidem facultas Capituli circa bonorum administrationem, circa electionem ad vacantes Ecclesias , circa sollecitudinem divini servitii; attamen amplis verbis reservatur semper ius Episcopi et ius episcopale. Sic, ut nonnullos alios articulos referamus ; in Art. LVII. *Cuilibet Canonico est potestas eligendi et praesentandi Rectorem et Clericum in ecclesia in eius parte contingente dum vacabit, et Decano ad eius praesentationem investire nomine Canonicorum honore obedientia iurisdictione, institutionem et destitutionem reservantes, salvo in omnibus iure Episcopi in visitationibus correctionibus et punitionibus et in praerogativis episcopalibus:* item : *De distributionibus eleemosynarum et Legatorum decedentium teneatur ipsum Capitulum D. Episcopo singulis annis reddere rationem et computum :* item ; *Quod alienationes factae de bonis ecclesiae sine auctoritate D. Episcopi sint ipso iure nullae, et alienantes puniantur arbitrio D. Episcopi.* Item. *Quod in singláis annis eligantur duo Canonici qui visitent possessiones ecclesiae et faciant reparare, consulto tamen D. Episcopo ; qui etiam intendant ad faciendum revocare alienationes damnosas , et faciant reparare domos canonicales: ita tamen quod in omnibus consulatur D. Episcopus et ipsius consensus expectetur.* Et hic quidem Articulus dicebatur speciali consideratione dignus, cum ex eo pateret, Canonicorum visitationem versari circa bona et possessiones temporales ; non autem esse *pastoralem* visitationem prout in praesentia praetendebat Capitulum.

Denique observantia Statutorum (irritis redditis praecedentibus) cum facultate interpretandi et declarandi Episcopo in iisdem statutis fuit reservata.

His caeterisque enarratis, quibus Capitulum innitebatur, et sub uno veluti adspectu recollectis, ostendebatur, haec omnia patefacere quidem ius matricitatis et superioritatis Capituli prae Clero inferiori cui tamquam Rector praeerat, quemadmodum in aliis Capitulis iuxta *cap. His quae, de Maior, et Obed.* viguit, nominatim vero Romae usque ad Constitutionem Leonis XII. nullimode vero secumferre ordinariam iurisdictionem, quae propria est Episcopi, aut, ex privilegio, Abbatis *Nullius,* qui territorium habeat proprium et separatum; Benedictus XIV. Cons. *Causarum:* quin imo neque *passivam* exemptionem, Benedictus XIV. Const. *Apostolicae §.* 16.

Circa modum sufficiendi personas vacantibus Beneficiis nominatim animadvertebam ex Statutis in solo casu *optionis* et nominationis Decanum dedisse *investituram* aut *provisionem.* Hoc autem licet posset referri ad actum immissionis in *possessionem* non autem ad actum *institutionis auctorizabilis* et *collativae* seu ad actum expediendi Bullas, et mandatum *de immittendo,* Piton. *Discept. Eccles.* 25 *n. 1 et o ;* tamen Episcopum invocare ius Tridentinum, et posteriorem Constitutionem *Pastoralis* Benedicti XIII.;.et *Cum illud* Benedicti XIV. in quibus tum pro Cura animarum, tum pro collatione in italia Praebendae Theologalis et Poenitentialis examen praescribitur et Episcopi iudicium exigitur (1). Et in iis quae ad curam animarum spectant, neque ipsos Exemptos liberos esse a potestate Episcopi circa idoneitatem electi. Et ad rem Pitonius *loc. cit. n.* 10. « institutio » debet reservari Episcopo et non alteri inferiori non obstante » contraria lege fundationis si fiat post Concilium Tridentinum. » Quod si ante Concilium facta fuerit fundatio, lex fundatoris » reservans ius instituendi Capitulo, licet sit contra Concilium, » interpetrari debet modo licito, ut nempe institutio spectet ad » Episcopum cum consensu Capituli, seu simultanea institutione.» Quae quidem in praesenti casu eo magis locum habere videbantur, ob verba: *salvo iure Episcopi.*

Quod si ex statutis favore Capituli exemptio aliqua subsisteret , prosequëbatur Episcopus, iam a duobus saeculis cum dimidio debuissent Statuta reformari ad normam Concilii Trid. *sess.* 24 *c.* 14. Quod si id suo tempore factum non fuerit, non

(1) De his Constitutionibus loqui contigit in *Fol. ILpagg.* **69,75, 211, 122, 573.**

tamen Episcopus ius ea reformandi amisit, cum Decreta Concilii decreto irritante fuerint munita iuxta ea quae tradit Pitonius *Discept. Eccles.* 112 n. 28.

Quod si exemptione praeditum iudicaretur Capitulum, postulabat Episcopus ad tot qui irrepserant, abusus removendus, ut Apostolica facultate reformarentur statuta ut antea factum fuerat.

CIRCA DIPLOMATA ET MANDATA AUCTORITATUM LAICALIUM. — Profecto melius sibi consuluisset Capitulum si ab his deducendis abstinuisset, tum quia quaedam nomina e somno mortis excitavit, quae perpetua oblivione sunt digna, cuiusmodi est nominatim Enricus IV. persecutor Gregorii Vii; tum quia haec diplomata non continent quod Capitulum intendebat; tum quia si aliquid continerent, imperitissimi in iure canonum illi sunt existimandi, qui ignorant, Principes laicos carere potestate exercendi iurisdictionem ecclesiasticam, proindeque eam aliis communicare non posse. Rota *coram Molines in Fulden. Iurisdictionis* 16 *Februarii* 1703 *apud de Prosperis de territ. sep. dec.* 20 *post tract, n,* 20 *et* 24.

DE CONCORDIIS INTER EPISCOPOS ET CAPITULUM. — Post quemdam actum permutationis anni 1312, adducebatur a Capitulo Monitorium anni 1613 ab Episcopo illius temporis factum « *ut Canonici debeant eligere duos e Capitulo, quorum consilio et assensu procedi possit in Processibus prout in sess.* 25 *c.* 6 *Concilii Trid.* (quod respicit Capitula passive exempta) : *alias solus Episcopus iurisdictionem exercebit.* »

Anno i 774 Episcopus id temporis Regularis instantibus quibusdam viris patriciis , subscripsit quamdam conventionem quae pastoralia quaedam iura Capitulo concedebat; praesertim circa visitationem, et exemptionem Seminarii; et inter alios conventionis articulos hic erat. « Rectores paroeciarum capitularium Episcopo » praesentati recipient dumtaxat ab eodem documentum examinis. » Capitulum gratum Episcopo semet exhibuit.

Anno 1789 ad pacem cum Capitulo habendam Episcopus convenit, ut « electi ad beneficia cathedralis , et promoti ad » Canonicatum obtinere deberent ab Episcopo documentum ho- » nestatis; et ut Canonicus electus, duobus adstantibus Canoni- » cis, actum reverentiae sua praesentia Episcopo exhiberet : ut » quoties supplicaretur S. Sedi pro dispensatione residentiae aut

» pro defectu aetatis, Curia episcopalis preces non admitteret sine » cognitione Capituli. »

Denique anno 1844. Episcopus approbavit ut Capitulum institutionem *auctorizabilem* daret ad beneficia ecclesiarum filialium « *ob iura ac privilegia ac tandem praescriptionem plusquam centenariam, et nihil esse innovandum, ac proinde ab Episcopo idoneitatis tantummodo electis a Capitulo dandum testimonium, institutionem auctorizabilem a Capitulo.* »

Ex quibus inferebat Capitulum, constare de *passiva* exemptione, nec non de aliqua partiali exemptione *activa,* et quidem *ob iura, privilegia, praescriptionem:* nulla enim maior datur probatio quam proprii oris confessio.

At vero quamvis ex huiusmodi episcopalibus actibus, si legitimi essent, derivaret exemptio *passiva* Capituli, nihilominus advertebatur, adductos titulos, *iura, privilegia, praescriptionem* in facto non existere, ita ut habeatur quidem *referens,* sed *sine relato.* Namque ante annum 1C13 nullus adductus est actus, qui *activam,* vel *passivam* exemptionem ostenderet. Postea vero adductae episcopales concordiae inducere exemptionem non poterant : tum quia eiusmodi concordiae quae circa magna Ecclesiae iura versantur sine Apostolico Beneplacito subsistere non poterant , *Extrav. Ambitiosae de Rebus Ecclesiis non alienandis:* tum quia Episcopi inferre non possunt suis successoribus praeiudicium , qui *iure proprio* in iurisdictionem succedunt. *Ad text. cap. Quisquis Episcopus; cap. Non liceat Episcopis q.* 2. ubi expresse legitur : *Episcopus non potest alienare res et iura suae Ecclesiae;* Fargna ¿?ar. 2 *can. 27 cas.* 4 *n.* 3. S. Rota in *Hispalen. Visitationis* 30 *Aprilis* 1700 *cor. Molines n.* 34. ubi legitur: « Miñusque refert usus cathedralis Caesaraugustanae qui invaluit » ex speciali concordia inita inter canonicos et Archiepiscopum, » cui si placuit iuri suo renunciare, *sibi soli* praeiudicium in» gessit, et incongrue afferuntur talia exempla in hypothesi in » qua Archidiaconus studet servare indemnes suas praerogati» vas iuxta censuram sacrorum canonum quorum custos est. *Cap.* » *Cum quibus caus.* 36 *p.* 3, nec valet agere contra canones. »

Et sane si Episcopis liceret iuribus episcopalibus abdicare, hierarchica Ecclesiae constitutio facile posset perverti : quare Pitonius *discept.* 37 *n.* 3 recte animadvertit: « Iura episcopalia

» sunt ss. Canonum leges perpetuae et iuris communis dispo-
» sitiones, quibus non licet contrafacere. » Unde indubitatum principium, exemptiones acquiri non posse, nisi ex Privilegio Apostolico, vel ex vi consuetudinis immemorabilis; Benedictus XIV. Const. *Apostolicae,* et Petra *loc. cit.*

CIRCA CONSUETUDINEM PRAESCRIPTIVAM. — Admodum prolixa fuit disceptatio circa praescriptionem ; contenti erimus praecipua indicare , ea praesertim quae iuris regulas respiciunt.

Cum itaque primo loco de exemptione activa ageretur, idest de plena iurisdictione ordinaria in clerum et populum, quae cum territorio separato congruit, ostendebatur necessariam esse ad praescribendum, consuetudinem immemorabilem: neque sufficere quadragenariam ; id enim decisum fuit in quadam Congregatione particulari deputata a Clemente XI qui eandem decisionem approbavit ac perpetuo custodiri mandavit, Petra *sect.* 2 *ad Const. Callixti III.,* Pitonius, qui historiam etiam refert, *discept, eccles.* 112 *in fin. post num,* 57/Benedict. XIV. in Const. *Apostolicae diei* 14 *Martii* 1743$. 3 (1).

Insuper animadvertebam, quaestionem in praesentia moveri non posse circa observantiam *interpretativam;* haec enim observantia, quae procedit declarando privilegium, ipsum supponit privilegium et quidem validum et sufficiens ad territorium separatum habendum, ita ut fundamentum acquisitae iurisdictionis dicatur consistere in titulo Apostolico, quo casu iurisdictio non desumitur a possessione , sed ab ipso explicato et declarato privilegio per observantiam, Pitonius *discept, eccl.* 112

(i) **Benedictus XIV. in Constit.** *Apostolícele servitutis* **die** 14 **Martii** 1743 §. 3 **scripsit: «** *Nos munere Secretarii fungentes S. C. Concilii rationum momenta expendimus pro utraque parte in tractatu in scriptis. Ut omnis iri posterum iudicandi ratio praecideretur, Congregatio particularis rimato nego lio, praemissas opiniones innixas quadragenariae cum litido colorato tamquam Canonicis sanctionibus adversas praesidio iuris destituías reiecit, et ad asserendam favore Praelati inferioris iurisdictionem ordinariam in aliqua parte Dioecesis expressum privilegium Apostolicum vel consuetudinem immemorabilem legitime probatam suffragari tantum posse decrevit, idem vero Clemens Xl. decretum diei* 3 *Ianuarii anno* 1721 *nedum approbavit, verum inter Apostolicas Constitutiones relatum, et typis impressum perpetuo custodiri mandavit.»*

Pitonius *loc. cit.* **integrum refert Decreti} m.**

n. 3. In praesentia autem eiusmodi privilegium Apostolicum validum et sufficiens ad territorium separatum non haberi. Ad exemptionem autem *passivam* quod attinet etiam cum aliqua exemptione activa, qua gaudent Abbates seu Praelati secundae speciei , hanc locum habere posse ostendebatur ex praescriptione quadragenaria, quae sequentes habeat characteres; nempe Prescribentem in iugi existimatione versari se habendi iustum titulum : eiusmodi titulum quamvis putativum seu coloratura, esse debere Apostolicum : possessionem esse debere tempore completam , actibus uniformem, constantem, ita ut ea interrupta censeatur per unum actum etiam extraiudicialem, quia Episcopus habet sui favore iuris assistentiam : vigente legitima hac praescriptione tantum censeri' praescriptum, quantum possessum; Petra *loc. cit. n.* 13. Rota *apud de Prosperis de territ. separ. dec.* 28 *post trac* Rota *cor. Ansaldo in Nullius, seu Tulden. die* 1 *Iunii* 1708.

Haec principia ad facta dein applicabantur, adducta utrinque prolixa serie particularium et discrepantium factorum, quae molestiam crearent Lectori si inferrentur; et ad primum caput quod spectat circa *activam* exemptionem, Capitulum nullimode ostendebat immemorabilem consuetudinem, quae ea dicitur, *cuius non extat memoria nec rumor nec fumus in contrarium.* Ad rem Benedictus XIV. in Constit. *Inter multa , « Cum sit de essentia immemorabilis, ut nihil contra eam auditum unquam fuerit, vel factum ; contra vero satis constet interruptio per alios actus intra territorium Cryptae ferratae ab Episcopis Tuscidanis exercitos, non modo exclusa remanet, quin potius favore Episcopi, qui pro se habet assistentiam iuris, ea regula suffragatio, quod unus actus dumtaxat ab ipso exercitus, totam ipsius ordinariam iurisdictionem praeservat integram. »*

Prolixior autem fuit disceptatio de praescriptione circa *passivam* exemptionem. Contendebat enim Capitulum sui favore militare consuetudinem immemorabilem , aut saltem quadragenariam quae ad praescribendum in re de qua agimus sufficiens censetur uti sensit S. C. C. in *Clusind* 1705 apud Pitonium *discept.* 112 *n.* 21 et ex superius adductis.

Titulum autem huius praescriptionis petebat tum ex Apostolicis Litteris, tum ex Principum civilium decretis, tum ex

conventionibus episcopalibus, ita ut ex hac praescriptione si Capitulum existimari non deberet gaudere plena exemptione *activa,* qua gaudent Abbates *Nullius,* qui territorium separatum habent, ipsum tamen gaudere exemptione *passiva* secundi generis cum aliqua exemptione *activa* , aut saltem tertii generis cum sola exemptione *passiva,* ab Episcopi iurisdictione.

At circa eiusmodi titulos animad ver tebat Episcopus, Bullas Pontificias anteriores fuisse statutis anni 14-32, quibus ab Apostolico Delegato irrita declarata fuerunt ea omnia quae praecesserant; atque in iisdem statutis iura episcopalia sarta tectaque servata fuisse : quare Apostolicas Bullas titulum coloratum ad praescribendum exhibere non potuisse, atque, Episcopi auctoritate servata, cessasse in Capitulo bonam fidem: eo vel magis quod in statutorum Articulo LXX1X. praescriptum fuerit: *Quod in prima hebdomada quadragesimae in singulis annis legantur* (statuta) *palam.* Ad rem Pitonius in simili casu, *Discept. Eccles.* 61 *n.* 39. « Occurrit responsio inevitabilis , quod praescriptio nunquam potuit introduci contra memoratas constitutiones, dum quolibet anno fuerunt lectae et renovatae in Capitulo annali, quae lectura semper interrumpit consuetudinem pro Capitulo praetensam, ita ut stante hac interruptione annali nunquam potuit inchoari praescriptio, ut in terminis lecturae in Synodo; *Gloss, magistral, in Cap. Sanctorum de Praescript.* et in terminis annuae lecturae Bullae *Coenae,* Felin. Pignatel. Lotterius. Quodque huiusmodi Constitutiones fuerint lectae in Capitulo annali probatur ex Constitutionibus, ubi Benedictus XIII. ordinavit legi debere in anno; quo casu stante hac Constitutione lectura praesumitur semper facta . . . . Propterea nunquam potuit praescribere neque per immemorabilem et centenariam quae etiam destruuntur ex mala fide iuxta communem Canonistarum sententiam . . . . » Quae quidem confirmabantur ex continuis molestiis et controversiis, quae adegerunt Episcopos ad subscribendas concordias.

At praeterea contendebat Episcopus in praesentia deficere etiam praescriptionem quadragenariam non solum ex defectu Apostolici tituli colorati cum in mala fide ex dictis versaretur Capitulum, sed ob interruptionem possessionis. Namque nullus Episcopus regimen illius ecclesiae tenuit per spatium 40 anno-

rum : ideoque electione novi Episcopi possessionem fuisse interruptam, cum hi veniant iure proprio nec teneantur concordiis Praedecessorum, quibus hac in re resistit iuris incapacitas; proindeque in qualibet nova Episcopi electione iurisdictionem reviguisse, Rota *dec.* 33 *n.* *%p.* 2 *Rec.* quam refert De Luca et Albitius *tract, de Iuris. q.* 5 §. *fin.*

Quae quidem confirmabat ex ipso actuum singularium syllabo quem deducebat Capitulum ab anno scilicet 1190 ad annum 1849 ex quo apparebat, mixturam quamdam iurisdictionis in hac serie actuum intervenisse, episcopalis, capitularis, et civilis.

Ita autem Episcopus concludebat, tempore publicationis Concilii Tridentini Capitulum nullum attulisse factum quod, ad exclusionem Episcopi, probaret exercitium et possessionem iurium quae modo praetendebat : post Tridentinum autem, Capitulum nec potuisse praescribere resistente Concilio, iuxta ea quae tradit Pitonius *discept.* 112 n. 28 Petra *loc. cit.*

Eo vel magis quod ea, quae ex potestate Ordinis derivant, sicut etiam *obedientia et reverentia* Episcopo debita, praescriptioni non subiiciuntur, Benedictus XIV. in *opere de syn.* L 5 c. 8 *n.* 7 ubi scripsit : « Inter episcopalia iura, quaedam ita sunt eius mu-
» neris propria, ut ne contraria quidem praescriptione possint
» illa amittere; ut etenim dicebamus, nullus unquam potest prae-
•)) scribere adversus subiectionem, obedientiam et reverentiam
)) debitam Episcopo.» Item Barbosa *de Offic, et Potest. Episc, per tot.* Et celebris est hac in re *Cap. Cum non liceat, de Praescript.* quod est Innocentii III. quodque interpretatur Gonzalez. Potest scilicet obedientia et subiectio Episcopo praescribi non quidem *directe* non obediendo, sed *indirecte,* alteri nimirum Superiori obediendo, quo subditi a priori Superiore ex iusto titulo et praescriptione eximantur. Non enim inobedientia potest esse titulus praescriptionis.

Quod si ea omnia quae adducta et disputata fuerant sufficientia visa non fuissent ad excludendam Capituli exemptionem, Episcopus exorabat ut privilegia revocarentur ad monitum per Card. De Luca *dise.* S *de Iurisd.* ubi ait: « Ob inconvenientem
» et scandalorum occasiones demandanda erit eiusmodi Praela-
» torum suppressio ubique dioecesium, ut fuit sensus Cardina-

» lium S. C. Conc. occasione causae *Mutinen. seu Nullius Carpen.* » Benedictus XIV. *de syn. I.* 13 *c.* 8.

His aliisque copiosissime disputatis sequentia dubia S. Congregatio dirimenda suscepit.

Dubia*

» J. An constet de bono iure Revmi Episcopi .... circa » pertinentiam iurisdictionis Ordinariae in omnibus Ecclesiis, » locis, et Personis Capituli in Civitate, et in Dioecesi... in » casu etc.

Et quatenus affirmative.

» II. An, et quomodo sit approbandis modulus Literarum » Apostolicarum cum insertis Statutis in casu etc.

Et quatenus negative ad utrumque.

» III. An constet de exemptione activa, seu iurisdictione » Ordinaria cum Territorio separato Capituli . . . circa Cathe- » dralem, et Ecclesias, res, loca, et Personas dependentes in » casu etc.

Et quatenus affirmative.

» IV. An, et quomodo sint approbanda vel reformanda Sta- » tuta a Capitulo modulata anno 1854 in casu etc.

Et quatenus negative ad L IL III. et IV.

» V. An constet de exemptione passiva Capituli... ab ordi- » naria iurisdictione Episcopi in casu etc.

Et quatenus affirmative.

» VI. An visitatio Cathedralis et filialium cum, et sine cura, » et quoad loca dependentia, Personas, et pia Legata, compe- » tat Episcopo, vel Capitulo, in casu etc.

» VII. An hoc ius visitandi competat privative vel cumula- » ti ve vel subiective, in casu etc.

» VIII. An, et cui competat ius instituendi ad Canonicatus, » et Beneficia iuris-patronatus et Choralia sine cura in casu etc.

» IX. An ius examinis et institutionis auctorizabilis cum cura, » et in Praebendis Theologali et Poenitentiali spectet ad Epi- » scopum, vel ad Capitulum in casu etc.

» X. An licentia abessendi a residentia pro Parochis, et Vi- » carus spectet ad Episcopum vel ad Capitulum in casu etc.

» XI. An ius deputandi Confessarios, et approbandi Concio- » natores spectet ad Episcopum, vel ad Capitulum in casu etc.

» XII. An ius indicendi Processiones extra septa Ecclesiae, » preces publicas, et orationes, quas vocant collectas, spectet ad » Episcopum, vel ad Capitulum in casu etc.

» XIII. An, et quomodo ius cognoscendi causas fori Eccle- » siastici civiles, criminales, mixtas spectet ad Episcopum, vel » ad Capitulum, in casu etc.

» XIV. An correctio morum, et mandata super Disciplina, » et habitu Ecclesiastico competant Episcopo , vel Capitulo, » in casu etc.

» XV. An Episcopo debeatur subiectio , et obedientia a Pre- » sbyteris, et Clero minori Cathedralis, et filialium in casu etc.

» XVI. An Seminarium dioecesanum in regimine, et oeco- » nomico subiiciatur iurisdictioni Episcopi , vel Capituli in » casu etc.

» XVII. An ius dandi dimissorias ad ordines spectet libere » Episcopo, vel Capitulo saltem quoad praesentationem Cleri » Cathedralis , in casu etc.

» XVIII. An Episcopo accedenti in solemnitatibus, et pon- » tificaliter agenti in Cathedrali debeatur a Capitulo receptio » honorifica e residentia Episcopali, assistentia, et usus Baldac- » chini, in casu etc.

» XIX. An ad tramites resolutionum a dubio V. ad XVII. » sint a Capitulo reformanda et exhibenda S. Sedi pro appro- » natione Statuta Capitularia anni 1432 in casu etc.

» XX. An ad tramites iuris sint reformanda eadem Statuta » anni 1432 quoad poenas privationis Praebendarum , aliena- » tiones , contractus, et licentias abessendi a residentia in » casu etc. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio, re mature discussa in comitiis habitis die 27 Novembris 1856, respondere censuit.

Ad L Affirmative iuxta modum infra exprimendum.

Ad IL Providebitur in XIX.

Ad III. Negative.

Ad IV. Providebitur in XIX.

Ad V. Supplicandum SSmo pro conservatione exemptionis passivae , servatis tamen moderationem a S. C. Trid. decretis.

Ad VI. Quoad curam animarum spectare privative ad Episcopum, quoad reliqua ad utrumque.

Ad VII. Ad utrumque cumulative, sed tamen seorsim ad formam c. III. sess. XXIV. C Trid. (1).

Ad VIII. Ad Capitulum si agatur de Canonicatibus et Beneficiis ante Conc. Trid. erectis.

Ad IX. Ad Episcopum,.

Ad X. Ad Episcopum.

Ad XI. Ad Episcopum.

Ad XII. Ad Episcopum, nihil tamen innovato quoad procèssiones Bectorum Ecclesiarum filialium ad visitandum Ecclesiam Cathedralem.

Ad XIII. Quoad causas civiles fori ecclesiastici spectare privative ad Episcopum ad formam cap XX. sess. XXIV. de reform. Quoad causas criminales spectare ad Episcopum ad normam Trid. sess. XXV. cap. VI. de reform, cap. IV. sess. VI. de reform, salvis tamen in omnibus modificationibus a novissimo concordato statutis.

Ad XIV. Ad Episcopum.

Ad XV. Affirmative.

Ad XVI. Affirmative favore Episcopi ad formam Concilii Trid. salvo tamen laudabili usu interventus Clericorum Seminarii statutis diebus ad Ecclesiam Cathedralem.

Ad XVII. Ad Episcopum.

Ad XVIII. Affirmative ad formam decreti Clementis VIII.

Ad XIX. Affimative.

Ad XX. Affirmative.

(1) In citato *c.* **3** *sess.* **24** *de Ref,* **haec leguntur:** *«Archidiaconi autem, Diaconi et alii inferiores in iis ecclesiis ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem assumpto Notario de consensu Episcopi deinceps per se ipsos tantum ibidem visitare ; visitatores etiam a Capitulo deputandi, ubi Capitulum ius visitandi habet, prius ab Episcopo approbentur ; sed non ideo Episcopus, vel eo impedito eius Visitator, easdem ecclesias seorsum ab his visitare prohibeatur, cui ipsi Archidiaconi vel alii inferiores visitationis factae infra mensem rationem reddere et depositiones testium ac integra acta ei exhibere teneantur ; non obstantibus quacumque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus et privilegiis quibuscumque. »*

Ex HIS COLLIGI INTER CAETERA POTEST *I*

I. Cum de exemptione agitur adversus Episcopi iurisdictionem generalia iuris principia quae eiusmodi causas moderantur esse sequentia: eum, qui exemptionem praetendit eamdem probare debere.

II. Exemptionem hanc triplicis esse speciei, aliam quae est Abbatum seu Praelatorum Episcopo inferiorum, qui dicuntur *Nullius Dioecesis,* habentium proprium territorium, quique, excepta ordinis potestate, iurisdictionem habent ordinariam in clerum et populum.

III. Secundae speciei eos Praelatos inferiores dici, qui licet in territorio Episcopo subiecto reperiantur, tamen et ab Episcopo sunt exempti, et aliquam praeterea iurisdictionem exercent in proprium clerum aut populum.

IV. Tertiae speciei eos esse, qui simpliciter aliqua exemptione gaudeant ab Episcopi iurisdictione quin ullam habeant in Clerum aut in populum iurisdictionem.

V. Exemptionem huius triplicis speciei duplici ratione posse demonstrari, ex privilegio nempe Apostolico, aut ex consuetudine sive praescriptione.

VI. Exemptionem primae speciei, non extante expresso Apostolico privilegio, demonstrari tantum posse per consuetudinem immemorabilem rite probatam, quae praesumere natura sua facit Apostolicum privilegium, eidemque aequiparatur.

VII. Ad exemptionem secundae et tertiae speciei ostendendam sufficientem censeri praescriptionem quadragenariam rite probatam , quae tamen innitatur Apostolico colorato privilegio.

VIII. Existente tranquilla immemorabili consuetudine aut constanti quadragenaria praescriptione, tantum iuris censeri acquisitum, aut praescriptum , quantum fuerit possessum.

IX. In praesenti casu privilegia Apostolica quamvis ex sese insufficientia ad ostendendam exemptionem, potuisse tamen suppeditare titulum coloratimi ad praescribendum.

X. Huius invectae praescriptionis indicia ipsa Capitularia Statuta ostendisse, quamvis in pluribus per Sacrum Tridentinum Concilium iisdem fuerit derogatum, aut per subsequentes Pontificias Constitutiones.

XI. Eamdem praescriptionem aliquo modo recognovisse Episcopos per concordias (1).

XII. Quare S. Congregatio passivam exemptionem in Capitulo reperit, dirigendam tamen iuxta Tridentinas normas (2).

XIII. Colliges insuper, quamvis ante" Tridentinum Concilium canonica institutio in Beneficiis posset pertinere ad alios quam ad Ordinarium, post Tridentinum tamen Ordinario institutionem esse reservatam (3).

XIV. Hanc dispositionem Tridentinam sic intelligi, ut qui iure instituendi fruantur in Beneficiis ante Concilium erectis, non censeantur in illis hoc iure privati.

XV. Privatos tamen hoc iure censeri, si agatur de institutione *auctorizabili* in Beneficiis curae animarum; nec non in Praebendis Theologali et Poenitentiali ex Constitutione Benedicti XIII. pro Italia edita.

(1) Quamvis concordiae ab Apostolica Sede non confirmatae iuridicum non habeant valorem et successores non obligent, tamen in praesenti casu afferri poterant tanquam aliquod argumentum ad probandum factum praescriptionis.

(2) Cf. *c. 4 sess.* 6, et *cap.* 6 *sess.* 25 *de Refor.* nec non *c.* 3 *sess. 14 de Ref.*

(3) Concilium Trid. *sess. 24 cap.* 12 *de Reform,* edixit: « *in casu autem fundationis aut dotationis huiusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori reservetur.* » Quare in Beneficiis post Tridentinum erigendis non amplius a Fundatoribus potest reservari ius instituendi favore alicuius Episcopo inferioris : quod si haec reservatio fieret, pro non facta esset habenda.

EX S, COHRHUTIOH CONCILII,

EPISTOLA EMI CARDINALIS S. C. C. PRAEFECTI AD EPISCOPOS QUI ROMAM CONVENERUNT, EX MANDATO SSMI D. N. DATA, QUA QUAESTIONUM QUARUMDAM SYLLABUS EISDEM PROPONITUR.

PRAENOTATIO. Removendae sunt ante omnia aequivocationes in quas inciderunt quaedam ephemerides praesertim ultramontanae in publicandis sequentibus documentis. Sibi enim finxerunt, ideo sequentes quaestiones fuisse propositas ut circa eas futura oecumenica synodus (quae suo tempore indicetur) versari deberet: hi qui talia cogitarunt, non intellexerunt has quaestiones propositas fuisse Episcopis illis qui Romam convenerunt, eo tempore quo de synodo oecumenica celebranda neque apex neque vola factum fuerat. In hac synodo fortasse eiusmodi quaestiones vel affines pertractari inter caeteras contigerit: at Spiritus Domini in coadunata universa catholica Ecclesia, sub B. Petro in suo Successore vivente, suggeret quid pertractandum, quid definiendum, quid statuendum, quamvis necessariae praeordinationes fieri debeant.

Sequens itaque earum quaestionum Syllabus, quae saepenumero agitantur et animos sacrorum Antistitum commovent, propositus est Episcopis illis, qui Romam convenerunt, ut quique pro sua dioecesi, quid cogitarent, panderent, et mala, quibus eaedem dioeceses afflictantur, patefacerent, et remedia suggérèrent.

Perillustris ac Riñe Domine

Die **6** *Iunii* **1867.**

« Quum SSmus Dominus Noster Pius PP. IX. in supremo Apostolici Ministerii fastigio Speculator a Deo datus sit domui Israel, ideo si ulla sese offerat opportuna occasio, qua veram populi Christiani felicitatem promovere , vel mala eidem illata ac etiam tantummodo forsan impendenda agnoscere queat, eam nulla interposita mora arripit ei amplectitur, ut providentiae et aucto-

ritatis suae studium impense collocet, aut aptiora remedia alacriter adhibeat.

» Iam vero in hac tanta temporum rerumque acerbitate nonnisi singulari Dei beneficio sibi datum iudicans, quod in proxima festiva celebritate centenariae memoriae de glorioso Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli martyrio, et canonizationis tot christianae religionis heroum, amplissimam pulcherrimamque solio suo coronam faciant nedum S. R. E. Cardinales, sed etiam Rmi Episcopi ex omnibus terrarum partibus profecti, periucunda eorumdem praesentia et opera sapienter sibi utendum statuit, mandavitque Episcopis in Urbe praesentibus quasdam proponi quaestiones circa graviora ecclesiasticae disciplinae capita, ut de vero illorum statu certior factus, id suo tempore decernere valeat, quod in Domino expedire iudicaverit.

» Quae sint huiusmodi disciplinae capita, super quibus ex mandato Sanctitatis Suae haec Sacra Concilii Congregatio ab Amplitudine Tua relationem et sententiam, quantum ad tuam Dioecesim pertinet, nunc exquirit, luculenter prostant in syllabo quaestionum quem hic adnectimus. Si quid vero aliud forte sit, quod abusum sapiat, aut gravem in urgenda sacrorum canonum executione difficultatem involvat, tibi exponere et declarare integrum erit: Apostolica namque Sedes, re mature perpensa, succurrere et providere, prout rerum ac temporum ratio postulaverit, procul dubio non remorabitur.

)) Ne autem ad hanc relationem cumulate perficiendam Dominationi Tuae congrua temporis commoditas desit, trium vel quatuor, si opus fuerit, mensium spatium a die praesentium Literarum conceditur. Caeterum eamdem relationem mittendam curabis ad ipsam Sanctitatem Suam, vel ad hanc S. Congregationem.

» Interim impensa animi mei sensa ex corde profiteor Amplitudini Tuae, cui fausta quaeque ac salutaria adprecor a Domino.»

Amplitudinis Tuae.

Datum Romae ex S. C. Concilii, die 6 Iunii 1867.

Uti Frater

P. Card. CATERINI Praefectus.

PETRUS *Archiepiscopus Sardianus*

Pro-Secretarius

QUAESTIONES

Quae ab Apostolica Sede Episcopis proponuntur.

1. « Utrum accurate serventur canonicae praescriptiones, quibus omnino interdicitur, quominus haeretici vel schismatici, in administratione baptismi, patrini munere fungantur ?

2. » Quanam forma et quibusnam cautelis probetur libertas status pro contrahendis matrimoniis: et utrum ipsimet Episcopo vel eius curiae episcopali reservetur iudicium super status cuiusque contrahentis libertate. Quidnam tandem hac super re denuo sancire expediret, prae oculis habita instructione die 21 Augusti 1670 , s. m. Clementis X. auctoritate edita?

3.» Quaenam adhiberi possent remedia ad impedienda mala ex civili quod appellant matrimonio provenientia?

4.» Pluribus in locis, ubi haereses impune grassantur, mixta connubia ex Summi Pontificis dispensatione quandoque permittuntur, sub expressa tamen conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, iis praesertim, quae naturali ac divino iure in hisce connubiis requiruntur. Minime dubitari fas est, quin locorum Ordinarii ab huiusmodi contrahendis nuptiis fideles avertant ac deterreant, et tandem, si graves adsint rationes, in exequenda apostolica facultate dispensandi super mixtae religionis impedimento, omni cura studioque advigilent, ut dictae conditiones, sicuti par est, in tuto ponantur. At enimvero postquam promissae fuerint, sane tene diligenterque adimpleri solent, et quibusnam mediis posset praecaveri, ne quis a datis cautionibus servandis temere se subducat?

5.» Quomodo enitendum, ut in praedicatione verbi Dei sacrae conciones ea gravitate semper habeantur, ut ab omni vanitatis et novitatis spiritu praeserventur immunes, itemque omnis doctrinae ratio, quae traditur fidelibus, in verbo Dei reipsa contineatur, ideoque ex Scriptura et traditionibus, sicut decet, hauriatur ?

6.» Dolendum summopere est, ut populares scholae quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur plu-

ribus in locis ab Ecclesiae auctoritate moderatrice, vi et inflxu, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita, et ad communium aetatis opinionum amussim: quidnam itaque effici posset, quo congruum tanto malo remedium afferatur, et Christifidelibus suppetat catholicae instructionis et educationis adiumentum ?

7.» Maxime interest, ut adolescentes clerici humanioribus litteris severioribusque disciplinis recte imbuantur. Quid igitur praescribi posset ad Cleri institutionem magis ac magis fovendam accomodatum , praesertim ut latinarum litterarum, rationalis philosophiae ab omni erroris periculo intaminatae, sanaeque theologiae iurisque canonici studium in seminariis potissimum dioecesanis floreat ?

8.» Quibusnam mediis excitandi essent clerici, qui praesertim Sacerdotio sunt initiati, ut emenso scholarum curriculo, studiis theologicis et canonicis impensius vacare non desistant ? Praeterea quid statuendum efficiendumque, ut qui ad sacros ordines iam promoti, excellentiori ingenio praediti, in decurrendis philosophiae ac theologiae stadiis praestantiores habiti sunt, possint in divinis sacrisque omnibus disciplinis et nominatim in divinarum scripturarum, sanctorum Patrum, ecclesiasticae historiae sacrique iuris scientia penitius excoli ?

9.» Iuxta ea, quae a Concilio Tridentino c 16, sess. 23 de reform, praescribuntur, quicumque ordinatur, illi Ecclesiae aut pio loco, pro cuius necessitate aut utilitate assumitur, adscribi debet, ubi suis fungatur muneribus nec incertis vagetur sedibus : quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit: ei sacrorum exercitium interdicitur. Hae praescriptiones nec plene neque ubique servantur. Quomodo ergo his praescriptionibus supplendum , et quid statui posset , ut clerici propriae dioecesi servitium , et suo Praesuli reverentiam et obedientiam continuo praestent ?

10.» Plures prodierunt et in dies prodeunt congregationes et instituta virorum et mulierum , qui votis simplicibus obstricti piis muneribus obeundis se addicunt. Expeditne ut potius congregationes ab Apostolica Sede probatae augeantur latius, et crescant, quam ut novae eumdem prope finem habentes constituantur et efformentur?

'.li. » Utrum Sede Episcopali ob mortem vel renunciationem vel translationem Episcopi vacante, capitulum Ecclesiae cathedralis in vicario capitulari eligendo plena libertate fruatur ?

12. «Quanam forma indicatur et fiat concursus, qui in provisione ecclesiarum parochialium peragi debet, iuxta decretum Concilii trident, sess. **24** de reform, c. **18** , et constitutionem s. m. Bened. XIV. quae die **14** Decembris **1742** data, incipit *Cum illud?*

13. » Utrum et quomodo expediret numerum caussarum augere, quibus parochi ecclesiis suis iure privari possunt: nec non et procedendi formam laxius praestituere, qua ad huiusmodi privationes facilius, salva iustitia , possit deveniri ?

14. «Quomodo executioni traditur quod de suspensionibus *ex informata conscientia* vulgo dictis decernitur a Concilio tridentino c. 1 , sess. **14** de reform. Et circa huius decreti sensum et applicationem estne aliquid animadvertendum ?

15. » Quonam modo Episcopi iudiciariam qua pollent potestatem in cognoscendis caussis ecclesiasticis, potissimum matrimonialibus, exerceant, et quanam procedendi atque appellationes interponendi methodo utantur ?

16.» Quaenam mala proveniant ex domestico famulatu, quem familiis catholicis praestant personae sectis proscriptis vel haeresi addictae, vel etiam non baptizatae: et quodnam hisce malis posset opportune remedium afferri ?

17.» Quidnam circa sacra coemeteria adnotandum sit: quinam hac de re abusus irrepserint et quomodo tolli possent ? »

Die **16** *Februarii* **1867.**

Compendium facti. Exsecutor testamentarius cuiusdam nobilis mulieris tres cappellanias in templo s. Caroli urbis N. erexit; ius nominandi Cappellanos Parocho cum Praefectis fabricae eiusdem templi tribuit, atque inter caeteras, quas Cappellanis imposuit, leges, hae reperiuntur in hanc sententiam : *Cappellanus qui in urbe N. non resideat neque Missam celebret in dicto templo, ipso facto, possessionem Cappellaniae amittet, aliusque poterit nominari: quisque Cappellanus teneatur Missam celebrare diebus festis hora quae Parocho magis' placebit: Parocho auxilium praestabunt in iis omnibus quae opportuna Parocho visa fuerint, ideoque nominandi erunt Cappellani viri idonei ad excipiendas sacramentales confessiones, ad praedicandum etc. Quodvis dubium aut quaestio quae temporis lapsu fortasse insurget, sicuti etiam quodvis statutum aut moderatio causae piae utilior a Parocho pro tempore definietur, semper favore cappellaniarum, commendatione Parochis facta ut augere enitantur fundum causae piae...*

Iuxta has normas et obligationes erectae fuerunt Cappellaniae, et Cappellani suo munere cum priori Parocho functi sunt. At Parochus successor, quod forte aliquis abusus irrepserit, quasdam alias dispositiones anno 1852 edidit, inter quas sequentes articuli leguntur : « Cappellani Missas sive diebus festis sive » diebus ferialibus celebrare tenentur in templo s. Caroli: Mis» sam quae legitur hora decima, et decimaprima, celebrare de» bent alternis vicibus .duo Cappellani cum obligatione se ad » invicem subrogandi si morbo unus detineatur, quin ius habeant » ad eleemosynae augmentum quod dari solet iis qui dictis ho)) ris celebrant. »

Dein unus ex Cappellanis secum reputans Parochorum arbitrium non esse adeo indefinitum ut certis quibusdam limitibus ex lege fundationis non circumscriberetur, querelas admovit Curiae episcopali ob impositum onus celebrandi determinatis horis: cum autem Curia, quaestione seposita, charitatis et obedientiae

officia commendare!;, Cappellanus querimonias movit coram S.C.C, et huic quaestioni duas alias adiecit, an scilicet, si legitime non impeditus, teneretur singulis diebus Missam celebrare in templo s. Caroli: et an ipse, qui, utpote idoneus, exhibere teneretur Ordinarii adprobationem ad audiendas sacramentales confessiones et praedicationis officium exercendum pro paroeciae necessitate.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE FAVORE CAPPELLANI MILITABANT CIRCA PRIMUM DUBIUM.— Militare scilicet videbatur principium iuris: onera Beneficiorum iuxta fundationis leges dimetienda esse, ita ut nec in melius easdem leges immutare liceat: cum autem in praesenti casu lex fundationis horas celebrandi Missam non determinasset, non videbatur eandem statis horis celebrandi servitus posse induci in detrimentum libertatis, in qua fundator Cappellanos reliquerat.

Et sane de servitute agebatur, de qua licet Auctores disputaverint, an ab ipsis Episcopis induci posset, tamen sententia praevaluit neque locorum Ordinarios posse hanc servitutem Cappellanis apponere quando ex lege fundationis ea non fuerit imposita: quam quidem sententiam S. Congregatio Concilii admisit, ut videre est in alia huius generis causa, quam adduximus in *Vol. IL* harum ephemeridum *pag.* 297 (1).

Atqui in lege fundationis statutum non fuisse, Cappellanus animadvertebam ut Missae feriales ad libitum Parochi celebrentur. Quod enim testator voluit per Executorem expressit, quod non expressit, noluit, atque arbitrio Cappellanorum reliquit.

(i) Hanc quaestionem ex professo pertractat Pignatelli *t.* **9** *Consul.* **III, et notabilis est illa distinctio, quam tradit www. Í4. «Fateor equidem, Episco» pum pro illis diebus, quibus libere » celebrantur Missae iuxta mentem fun» datoris, posse statuere tale tempus, ta» lem horam ut per celebrationem hu» iusmodi non impediatur, aut pertur» betur Ecclesiae servitium ac providere, » ne illae celebrentur tempore sive hora « universalis ecclesiae ritu ac consuetu» dine vetitis. Tunc enim agit ecclesia** *» de damno evitando,* **quod sibi afferri ➤ non potuit per institutionem celebra» tionis Missarum , /.** *Non debet ff . de » Reg. iur...* **At nego posse Episcopum » suis ordinationibus augere ipsius ec» clesiae commoditatem in praeiudicium » dictae libertatis, iure competentis Re» ctori. Nam ecclesia hoc casu agit** *de » lucro captando* **maioris sui commodi, » quod fieri non non debet cum aliena » iactura...»**

Quamvis autem arbitrium Parochis Exsecutor reliquerit dirimendi quaestiones, non tamen novum officium imponendi facultatem eisdem fecisse: eo vel magis quod dictum arbitrium Parochis fecerit ad redditus potius augendos melioremque reddendam Cappellanorum conditionem.

Quod si dubium etiam esset, an Parochorum arbitrium ex vi legis fundationis ad rem de qua agimus posset trahi, iudicandum esse pro eiusdem arbitrii exclusione: Cappellani enim agerent de damno vitando, Parochi vero de lucro captando; quo casu favendum est libertati, *arg. ex I.* 41 *ff. de Reg. iur.* §. 1, qua legitur: « *In re obscura melius est favere repetitioni, quam adventicio lucro* » item in /. 9 *ff. h. t.* « *semper in obscuris quod minimum- est sequimur.*

Eo vel magis quod post fundationis legem Cappellani celebraverint ante horam decimam, statuto Sacerdote extraneo, qui augmento eleemosynae ad tardiorem horam sacrificium litaret.

EA QUAE MILITARENT FAVORE PAROCHI. — Contra haec Parochus ad sua iura tuenda duplici argumento est usus: statuit scilicet I°. naturam cappellaniarum ad tramites fundationis esse mere, ut ipse aiebat, mercenariam; ideoque immerito Cappellanum ea argumenta obiiecisse quae favere possunt Cappellanis, qui titulo proprie dicto ct perpetuo suas habent cappellanias. Hoc autem ostendebat ex eo quod in earum erectione nullum Decretum Ordinarii intervenerit, quod quidem necessarium fuisset, ut Beneficii naturam acquirerent, Ferraris *Bibi. v. Beneficium;* neque canonica Cappellanorum institutio facta fuerit, cum ipsi ad simplicem nominationem Parochorum cum fabricae ecclesiae Deputatis ad Cappellani munus exercendum admittantur: proindeque concludebat, eos omnino pendere a Parocho, quemadmodum in ipsa fundationis lege expresse cavetur.

Insistebat 2°. Parochus in facultate sibi ex lege fundationis concessa dirimendi omne dubium sicut etiam quodvis statutum vel utilius causae piae moderamen definiendi: unde facultatem datam esse animadverterbat ordinandi functiones et Missarum celebrationes in ecclesiae commodum et fidelium utilitatem.

Restrictionem autem reiiciebat quam Cappellanus inducere enitebatur, ad quam excludendam tum Ordinarii litteras tum

ipsas dispositiones a Parocho antecessore factas anno 1852 sufficientes esse arbitrabatur.

QUOAD SECUNDUM DUBIUM. — Post haec nonnulla observabantur circa caetera dubia. Quoad secundum scilicet dubium, perlectis fundationis articulis, perpensisque dispositionibus Parochi anni 1852 et constanti observantia, dubium secundum affirmativo responso videbatur dimittendum.

QUOAD TERTIUM DUBIUM. — Pro affirmativa responsione tertii dubii praeter alias iuris sanctiones militabat Conc. Trid. *sess.* 23 c. 15 *de Refor. et sess.* 5 *cap. de Ref.*

Dubia.

« I. An Cappellanus (N.) cogi valeat ad Missas horis a Pa-
» rocho determinatis celebrandas diebus ferialibus in ecclesia
» sancti Caroli in casu. »

« H. An idem Cappellanus, nisi legitime impeditus, teneatur
» singulis diebus Missae sacrificium peragere in ecclesia sancti
» Caroli in casu. »

« III. An et quomodo idem Cappellanus exhibere debeat Or-
» dinarii approbationem ad excipiendas sacramentales confessio-
» nes, et exercendum munus praedicationis in ecclesia sancti
» Caroli in casu. »

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii in comitiis diei 16 Februarii 1867 re cognita respondere censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative.*

Ex HIS COLLIGI POTEST:

I. Quamvis onera Cappellaniarum, quae conditiones habeant Beneficiorum, dimetienda sint iuxta leges fundationis: nihilominus non omnino parem esse rationem Cappellaniarum, quae laicales censentur, quarum Cappellani non sunt ex ecclesiastica lege inamovibiles (1).

II. Prioris enim generis cappellaniae locum et officia Clerico in ecclesia perpetuo determinant, interveniente formali ratione

(i) Recole quae adduximus in *votum. II. in indice sub verbo Cappellaniae.*

ecclesiae auctoritate, a quo loco seu officiis recedere non potest Clericus sine legitima causa ab eadem auctoritate probata et admissa ; neque potest removeri nisi ex causis in iure statutis legali processu interveniente.

III. Secundi generis cappellanias reduci ad pia legata, quibus haeredes testatoris gravantur ad faciendum satis voluntati defuncti.

IV. Quare non omnes leges, quae vigent in primo cappellaniarum genere, extendi indiscriminatim posse ad cappellanias secundi generis.

V. Eo vel magis in praesenti casu, in quo lex fundationis facultatem Parocho reliquerat moderandi pro opportunitate cappellanorum officia.

VI. Colliges insuper, eos, qui Parochi non sunt, quamvis ex munere suscepto Parochos coadiuvare teneantur, ad excipiendas tamen sacramentales confessiones adprobatione Ordinarii indigere Parocho patefacienda.

VII. Item ad praedicandum verbum Dei venia Ordinarii indigere Parocho seu ecclesiae Rectori ostendenda.

MISSAE PRO POPULO.

Die 30 *Martii* **1867.** *Sess.* 23 *c. i de He/or.*

Compendium facti. In relatione status ecclesiae N. Episcopus exposuit, antiquam vigere consuetudinem, ut Parochi in dominicis aliisque festis diebus de praecepto cantent Missam Confraternitatum quae in eorum paroecialibus ecclesiis erectae sunt, eamdemque Missam non quidem pro populo ipsis commisso applicare, sed iuxta mentem eorum quibus solemnitates celebrant.

Cum vero Episcopus in una pastorali encyclica huiusmodi consuetudinem abusum vocaverit, Parochosque vel per se vel, si impediti fuerint, per alium Missam pro populo applicari teneri declarasset, Parochi non pauci repraesentarunt id fieri non posse ; quare visum quodammodo est Episcopo posse Parochos Cantare Missam Confraternitatum, eamdem applicantes pro Populo , et aliam Missam celebrare die feriali infra hebdomadam cum applicatione iuxta intentionem Confraternitatum.

SSmum itaque D. N. **adprecatus est ut declarare dignaretur, an dicta agendi ratio probari mereretur, secus provideret sapientia sua, prout melius in Domino expedire iudicasset.**

Disceptatio nynoptiea.

Commemorato Trid. Concilii *capite* 1. *sess.* **23** *de Ref.* **nec non Constitutione Benedicti XIV.** *Cum semper oblatas,* **et Const. SSmi D.** N. *Amantissimi Redemptoris,* **ac multis S. C. Concilii Resolutionibus, quae obligationem celebrandi applicandique Missam pro populo diebus festis in Parochos incumbere declarant, inter caetera animadvertebatur, consuetudinem contrariam ut irrationalem esse reiiciendam : agi enim de obligatione, quae ex iure divino derivet; quaeque personalis sit; nec per alios impleri possit nisi legitimis de causis iuxta Const. Benedicti XIV.** *Cum semper oblatas,* **neque in alias dies posse transferri nisi ob rationem in eadem Const. expressam. De qua re**

cum in *Fesulana* die 16 Iunii 1770 S. Congregationi Concilii proposita essent dubia: a I. An Parochi in dominicis aliisque fe- » stis diebus praesente cadavere possint celebrare Missam pro » Defuncto, et in alium diem transferre Missam pro populo ap- » plicandam in casu. » - Et quatenus negative - H. « An saltem » applicationi Missae pro populo suppleri possit per alium Sa- cerdotem in casu: » responsum prodiit: ad I. et II. *negative.* Item in *Mechlinen.* die 25 Sept. 1847 *per summaria precum* ex- posita, cum quaesitum fuisset an Parochi Missam pro populo offerre debeant si legitima causa non impediantur; an vero per alium huic muneri satisfacere possint, responsum est: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu verae ne- cessitatis"et concurrente causa canonica.*

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sustineatur consuetudo in casu. »

RESPONSIO. — S. Congregatio Concilii petitione Episcopi per- pensa in comitiis diei 30 Martii 1867 respondit: *negative et ad mentem.*

Ex DICTIS COLLIGI POTEST :

I. Obligationem applicandi Missam pro populo declinad non posse vi consuetudinis.

II. Eamdem obligationem esse personalem simul et realem, ita ut interveniente canonica causa aut necessitate qua Parochus eam celebrare non possit, per alium eam applicare teneatur.

III. Eamdem obligationem urgere Parochos diebus dominicis et festis, neque in alios dies posse transferri nisi ex causa le- gitima.

IV. Neque eam consuetudinem probari, commutandi scilicet intentionem, ita ut Missa, quam diebus festis solemniter cele- brari pro aliquibus fidelibus contingat, pro populo applicetur; et pro iisdem fidelibus infra hebdomadam alia Missa celebretur et applicetur (1).

(i) Confer quae collegimus *Fot. II pag.* 203.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM,

CIRCA ALTARIA FIXA DECLARATIO.

Die **26** *Martii* **1867.**

Beatissime Pater.

SUPPLICES PRECES. **« Leo XII. san. mem. rescripto S. Congregationis de Propaganda Fide diei 18 Decembris 1825 concessit Missionariis Oblatis B. Virginis Mariae sine labe conceptae indultum erigendi Altare privilegiatum in qualibet eorum Ecclesia; verum Superiores locales ad erectionem Altarium, etiam mobilium, absque- Ordinarii designatione devenerunt; deinde vero hac sujier re nonnullis subortis dubiis, Sacerdos Iosephus Fabre Superior Generalis eorumdem Missionariorum Oblatorum mense Februario proxime elapso supplicem libellum porrexit, ad obtinendam solutionem dubii circa validitatem erectionis Altarium privilegiatorum per Superiores locales sine interventu Ordinarii factae, nec non facultatem pro semetipso designandi in futurum Altaria quae S. Sedis gratia privilegiata esse debent.**

» Nunc vero Orator iterum exponendum curat, quod, investigatione facta, inventum sit nullum esse generatim Altare vere fixum in Ecclesiis suae Congregationis, sed tantum Altaria portatilia super mensam lapideam, vel etiam ligneam accomodata, prout est consuetudo in Gallia. Hinc suppliciter rogat Sanctitatem Vestram, ut dignetur benigniter sancire, ut in omnibus Ecclesiis suae Congregationis, Altare maius habeatur in posterum tamquam privilegiatum pro cunctis Missae Sacrificiis, quae in suffragium Defunctorum celebrantur, etiamsi Altare illud sit tantummodo mobile: rogat quoque Orator, ut ubicumque extat in Ecclesiis suae Congregationis Altare in honorem Beatae Mariae Virginis sine labe conceptae erectum vel erigendum, etiam illud tamquam privilegiatum habeatur, etiamsi non sit fixum.

Pro qua gratia etc.

RESCRIPTUM. « *SSmus* D. *N. Pius PP. IX. in Audientia habita ab iñfpto Card. Praefecto die* 26 *Martii* 1867 *volens specialibus favoribus prosequi Congregationem Missionariorum Oblatorum B. Virginis Mariae sine labe conceptae, omnes defectus, qui in celebratione Missarum in praefatis Altaribus illegitime erectis irrepserunt, quoad applicationem Indulgentiae plenariae per modum suffragii pro animabus defunctorum, de Thesauro Ecclesiae benigne supplevit; et insuper praevia revocatione Indulti Altaris privilegiati per Rescriptum a S. Congregatione de Propaganda Fide die* 18 *Decembris* 1825 *expediti, clementer in perpetuum concessit, ut in singulis ecclesiis, dummodo sint publicae, et saltem benedictae, tam erectis quam erigendis, quae ad praefatum Institutum, seu Congregationem Missionariorum Oblatorum* B. *Virginis Mariae sine labe conceptae in praesens spectant, et in posterum spectabunt, Altare Maius, quatenus fixum fuerit, et nullum aliud inibi privilegiatum Altare concessum reperiatur, privilegio Apostolico condecoratum et illustratum sit, ut quandocumque Sacerdotes saeculares vel regulares Missam pro anima cuiuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum Altare Maius praefatarum ecclesiarum celebrabunt, anima ipsa de Thesauro Ecclesiae per modum suffragii plenariam Indulgentiam consequatur. Ne autem dubium circa qualitatem Altaris fixi exoriatur, Sanctitas Sua edixit et declaravit sufficere, ad costituendam qualitatem Altaris fixi, ut in medio Altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur. Quod vero ad secundam precum partem spectat, scilicet ad declarandum privilegiatum aliud quoque Altare, quod* B. *Mariae Virgini sine labe conceptae dicatum sit, eadem Sanctitas Sua minime annuendum esse existimavit. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.»*

» Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 26 *Martii* 1867.»

IOSEPHUS **Card. B**IZZARRI **Praefectus.**

A. COLOMBO **Secretarius.**

Ex HIS COLLIGES:

I. Altaria quae dicuntur *fixa* **duplici ratione intelligi posse, vel per oppositionem ad altare quod transfertur, ver per oppositionem ad altare quod consecrationis solemnis sit incapax.**

II. Altaria primi generis vere et proprie *fixa* **esse et dici, illa nempe quae structuram habent stabilem et immobilem sive cum suo fixo lapide consecratam, sive non consecratam, in cuius medio lapis consecratus etiam amovibilis ponatur.**

III. Secundi generis altaria fixa ea dici, quae lapidem cum suo stipite coniunctum habent, caeterasque servant conditiones, quibus solemnis consecrationis capacia redduntur.

IV. Indulgentias vero, quae dicuntur *altaris,* **quae altaribus fixis universim adnectuntur, non ideo adnecti propter solemnem altarium consecrationem, sed propter locum quem in ecclesia firmiter occupant (1).**

V. Quare sufficere ad indulgentiam *altaris* **consequendam, ut altaria simpliciter fixa sint.**

(1) Ad rem facit alia declaratio quam S. C. I. dedit in *Mechlinien,* die 20 Martii 1846. Namque die 15 Decembris 1841 rogata fuit super dubio: « Quaeritur si a » Sancta Sede Indultum locale Altaris » privilegiati conceditur, neque ulla facta » sit mentio nec in supplici libello, nec » in Rescripto de qualitate Altaris, sitne » fixum scilicet vel portatile, an altare P censeri possit privilegiatam, etiamsi sit » portatile.» Cui respondit: *negative, excepto casu indulti altaris privilegiati » personalis, quo frui potest Sacerdos » in quocumque altari sive fixo sive » portatili celebraturus.* •<> Cum autem idem Orator die Í5 Decembris 1841, iterum S. Congregationem rogavisset: « I. Quid intellexit S. Congregatio per » verba: *aliare fixum seu locale.* II. Quid » per vocem *altare portatile?»* S. Congregatio respondit : Ad I. *Inteltexisse altare fixum quidem, quod a loco dimoveri non possit, sed non tamen cuius superior pars, sive mensa sit ex integro lapide, vel adeo calce coniuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari, quod privilegiatum concessum erat ob alicuius Sancti imaginem, post novam constructionem novo indigeret privilegio.* Ad II. *Inteltexisse altare quod dicitur* VIATICUM , *quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis,ut Calicis pedem cum Patena saltem quoad maiorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur.*

Hinc nota consequentias diversas, quae descendunt ex diverso conceptu altarium fixorum. Si altare privilegiatum removeretur ex uno in alterum locum cessaret privilegium: si altare consecratum per *modum unius* de uno loco in alium transferretur, non amitteret consecrationem , Cardellini in *Decretum diei* 15 *Maii* 1819: item si de altari consecrato submoveatur pars superior, esset iterum consecrandum, Gar dell ini *loc. cit.* e contra si altare privilegiatum diruatur,et in eodem loco construatur, non amittit privilegium, ut ex hoc Decreto.

PJETROCOREN.

DUAS GENERALES DISPOSITIONES REFERIMUS QUAE AD INDULGENTIARUM THESAURUM RITE IN ECCLESIA GUBERNANDUM CONSTITUTAE SUNT.

Pie **22** *Ianuarii* **1858.**

Beatissime Pater

« In Decretis de libris prohibitis quae post Regulas Indicis addita sunt, haec leguntur «§. HI. N°. 12 » ***Indulgentiarum libri omnes, Diaria, Summaria, Libelli, Folia etc. in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia Sac. Congregationis Indulgentiarum.*** **« Cum vero circa huius regulae interpretationem plura dubia exorta sint,, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Episcopus Petrocorensis et Salatensis in** Gallus **ab Ipsa efflagitat humillime.**

I. « Utrum praefata Regula ita intelligenda sit ut nulla Sum- » maria, Catalogi, Folia Indulgentiarum ipsa auctoritate Ôrdina- » rii imprimi possint, absque speciali licentia Sac. Congregatio- » nis Indulgentiarum, etiam quando ipsi certo constat authen- » ticas esse illas Indulgentias, verbi gratia, quia penes se habet » Catálogos aut Summaria Romae impressa ?

II. « An vero haec impressio et evulgatio solum prohibeatur » Ordinario quando non ipsi certo constat iam a Sac. Congregatione Indulgentiarum evulgatas fuisse has Indulgentias?

» Exhibitis ab Episcopo Petroeorensi duobus supraenunciatis dubiis in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, quae apud Vaticanas Aedes die 14 Decembris 1857 habita est, Eminentissimi Patres, audito prius S. Congregationis Consultore ac rebus mature perpensis, fuerunt in voto quoad utrumque dubium ut infra « ***Articulum*** **12 §.** ***III. Decretorum post Regulas Indicis editorum ita esse intelligendum, et in praxim deducendum, ut si agatur de edenda concessione alicuius Indulgentiae, vel Summarii Indulgentiarum, quod ex Brevi Apostolico, vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate Sacrae Congregationis iam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem Indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et***

expressa prohibitio); e contra vero si sermo sit de Summario vel antea collecto, sed numquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa Sacrae Congregationis Indulgentiarum licentia.)) Addita tamen conditione *«Facto verbo cum Sanctissimo »*.

« Factaque per me infrascriptum Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX. fideli relatione in Audientia diei 22 Ianuarii 1858 Sanctissimus votum Emi^ nentissimorum Patrum approbavit. »

«Datum Romae ex Secretaria praefatae Sac. Congregationis Indulgentiarum. »

F. Card. ASQUINIUS Praef.

Loco **SJ** Signi

A. COLOMBO **Secretarius.**

Praestationes a Consultore propositae.

Ea quae Consultor praenotaverat ad haec facile reducuntur. Inquiebat nimirum duo in praesenti quaestione inter se quodammodo confugere prima fronte videri; officium nempe Episcoporum quoad Indulgentiarum publicationem, et officium S. Congregationis.

Constat enim apud omnes, Episcopum iure suo publicationi Indulgentiarum invigilare debere, ne falsae, vel dubiae temere evulgentur, sive id scriptis, sive e suggestu in concionibus fiat. Quam quidem vigilantiam Concilium Tridentinum *sess.* 21 *c.* 9 commendat, ac simul edixit : *Indulgentias vero aut alias spirituales gratias quibus non ideo Christifideles decet privari, deinceps per Ordinarios, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo praedicandas esse decernit.* Neque Romani Pontifices destiterunt ab eiusmodi saluberrimis praeceptis varia ratione inculcandis, ut videre est in Decreto S. C. diei 14 Aprilis 1856; quod infra referimus.

At vero haec duo officia ostendebat Consultor nullimode esse opposita, neque eum esse sensum, ut locum habeat Indicis regula, quando non fuerit per Episcopum suo muneri satisfactum;

sed eam ita intelligi debere, ut, salvo manente Episcopi officio, locum habeat simul S. Congregationis officium.

Quod quidem consonum est Decreto S. Congregationis S. R. U. Inquisitionis diei 6 Augusti 1653, antequam scilicet instituta esset S. C. Indulgentiarum, quo declaratum fuit: « ***approbationem Indulgentiarum et licentiam illas imprimendi spectare ad Ordinarios, sed eosdem Ordinarios teneri communicare tenorem earumdem Indulgentiarum imprimendarum Inquisitoribus ut concorditer videant an sint verae vel falsae.»***

Ad hunc autem finem dein a Clemente IX. institutam fuisse S. hanc Congregationem, eidemque attributam auctoritatem per Const. ***In ipsis Pontificatus primordiis,*** **die 6 Iulii 1669,** ***«falsas, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi*** **eie.»**

Quas quidem curas et praescriptiones per quam providas esse Consultor ex facto ostendebat: constare enim plures repertos fuisse libellos et Indulgentiarum elenchos usque ad praesentes dies, cum adprobatione Episcoporum, formis etiam solemnibus facta, qui in examen per S. C. I. revocati gravibus scatebant defectibus.

Quare non esse dubitandum, concludebat, Indulgentiarum libros imprimi non posse sine venia S. C.

Ad maiorem autem rei declarationem circa dubia proposita distinguebat Indulgentiarum summaria et catálogos iam impressus cum venia S. Congregationis, ab aliis absque ea venia impressosi quoad primos opinabatur Consultor in potestate esse Ordinarii dandi licentiam eos iterum imprimendi si eidem de dicta S. C. venia constet: non autem quoad caeteros, quamvis etiam Romae sint impressi; namque sola impressio horum summariorum Romae facta non semper est argumentum obtentae adprobationis a S. C, cum interdum acciderit, ut non servatis omnibus praescriptionibus, eiusmodi catalogi temere Romae sint impressi.

Aliam praeterea distinctionem tradebat Consultor; scilicet distinguebat impressionem Indulgentiarum quae ex aliquo Brevi aut Rescripto Pontificio illico eruuntur et in vernacula lingua publicantur ad fidelium utilitatem, ab Indulgentiarum collectionibus sive summariis aut catalogis, quamvis ex Brevibus aut Rescriptis erutae dicantur: opinabatur autem, cum de primis agitur, posse Ordinarium absque alia licentia impressionem per-

mittere si nihil aliud peculiare obstet (1); non autem de caeteris; his enim publicandis nominatim obstare Indicis Decretum.

Ex HIS COLLIGES:

I. Tum ex Indulgentiarum indole, quae utpote in sese pretiosae facile appetuntur, et sive ex bona sive ex mala fide extenduntur et adulterantur ; tum ex difficultate documenta authentica habendi et rite intelligendi ; tum ex difficultate cognoscendi quaenam lapsu temporis vel cessaverint vel abrogatae fuerint; tum denique ex defectu iustae normae ad distinguendas veras ab indiscretis indulgentiis, Indulgentiarum collectiones defectibus pluribus facile scatere et saepe revera scatuisse (2).

II. Quare hanc edendarum indulgentiarum provinciam Apostolicae Sedis vigilantiam peculiarem iure merito excitasse ut abusus, quoad fieri posset, remo verentur.

III. Sanctam Sedem, post Tridentinum Decretum *de Indulgentiis* variis modis ad submovendos abusus vigilasse, prius per Episcopos una simul cum Inquisì toribus haereticae pravitatis ; dein per peculiarem Congregationem Indulgentiis praepositam, sine cuius adprobatione Indulgentiarum collectiones modo evulgari non possunt.

IV. Non tamen Episcopo, cui vigilandi officium non est submotum (3)**, prohiberi quominus eas Indulgentias evulget quae propius ad pastoralis muneris exercitium in sua dioecesi pertinent** (4).

(1) Vid. ex. gr. elenchum Indulgentiarum quem adduximus in *Fol. I. pag.* **57** *in ultima paragrapho.*

(2) S. Tridentina Synodus Decretum de Indulgentiis edidit prope finem sessionis 25 , et hac ratione abusus, qui irrepserant, reprimere curavit: « *Caeteros vero* (abusus) *qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocumque provenerint, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus Episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus ee* clesiae suae colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, ut, aliorum quoque Episcoporum sententia cognita, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate et prudentia quod universali Ecclesiae expediet statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.»*

(3) Vide Decretum quod huic immediate adiicimus.

(4) Ad rei illustrationem confert Decretum sacrae Congregationis Indulgentiarum die 24 Iulii 1673 editum ob quaestionem ortam inter Episcopum et

URBIS ET ORBIS.

Die Í4 Aprilis **1856.**

DECRETUM. **« Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, quae iuxta institutionem a sa. me. Clemente PP. IX. peractam Constitutione quae incipit:** *In ipsis Pontificatus primordiis,* **sub die 6 Iulii 1669,** *facultate* **instructa est** *omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis, aut Indulgentiis emergentem expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos.... corrigendi, et emendandi... falsas, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi,* **pluries Indulgentiae typis impressae delatae sunt, quae licet falsae omnino, apocryphae et indiscretae, attamen huc illuc, sive hominum malitia, sive incuria, et absque ulla prorsus auctoritate typis mandantur et circumferuntur. Unde illud haud parum detrimenti provenit, <quod in errorem inducantur Christifideles, et apud S. M. Ecclesiae hostes Indulgentiae ipsae irrisionibus pateant.**

)) Quapropter S. Congregatio, in generalibus Comitiis in Palatio Apostolico Vaticano die 31 Martii proxime elapsi habitis,

inquisitorem, quo tempore, prohibitio expressa a S. C. Indicis facta, de qua loquuti sumus, non extabat; Decretum huius est tenoris: « Inter Rifium Episco-
» pum et Inquisitorem Cremonae con-
» tentío de imprimendis Indulgentiis est
» orta, cum ille dicat, quidquid Indul-
» gentiarum est ad episcopale Forum per-
» tinere, cuius rei arbitrium et iudicium
» integrum Episcopo relinquit sacrae In-
» quisitionis edictum: hic vero affirmet,
» id sibi tribui, decima Regula Indicis
» librorum prohibitorum, ut nullus liber,
» nullave scriptura sine ipsius permissu
» imprimi possit. Quaestionem ad sacram
» Congregationem delatam et diligenter
» exammatam, eadem S. G. censuit adhibita distinctione dirimendam esse : *Indulgentiae quas subditis suis Episcopus concedit et imprimendas curat, tum litterae pastorales, quibus indulgentias a summis Pontificibus concessas populo denunciai, aliaque denique scripta ad regendum populum suum, vel officialium eius nomine promulganda, quae omnia proprie sunt fori episcopalis, in quo iniunguntur Poenitentiae et per Indulgentias remittuntur, praecepta et edicta feruntur, libera sunt ab Inquisitoris iurisdictione et auctoritate, quo etiam inscio imprimi possunt: sed de reliquis Episcopus ad Inquisitorem communicare debet antequam imprimantur. »*

plures huiusmodi Indulgentias typis excusas tamquam apocryphas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et locorum Ordinariis, per quorum Dioeceses Indulgentiae eiusmodi circumferuntur, commendandum censuit, ut Sac. Congregationis Decreta in hanc rem edita omni studio observari curent.

» Quum vero incongruum prorsus sit omnia semper summaria, libellos, folia etc. persequi, quae indiscretas, falsas, apocryr phasque Indulgentias descriptas continent, et qualibet vice prodierint specialibus decretis eliminare, SS. D. N. Pius PP. IX. in Audientia diei 14 Aprilis 1856 praemissam Eminentissimorum Patrum sententiam auctoritate Sua Apostolica adprobando, cupiens insuper ut ad *inaestimabilem* Indulgentiarum *thesaurum* quod attinet, omnia pie, sancte et *incorrupte fiant,* mandavit ut hoc Decreto omnes per orbem Ordinarii hortentur, ut ^ro ea qua pollent, et qua uti debent sollicitudine in Dominici gregis bonum usque procurandum, invigilent non modo uti eiusmodi Indulgentiae falsae et apocryphae, quantum fieri potest, minime circumferatur, easque e fidelium manibus removeant, verum etiam satagant, ut Decreta a Sac. Congregatione salubriter edita, ac praesertim super earumdem Indulgentiarum publicatione et impressione observentur, in. primis vero Decretum sub die 19 Ianuarii 1756 latum, ei a sa. me. Benedicto PP. XIV. die 28 eiusdem mensis adprobatum, quod ita se habet « *cum experientia » quotidie comperiatur, complures Indulgentiarum concessiones ge- » nerales expediri inscia ipsa Sacra Congregatione, ex quo multi » promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti » Decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales con- » cessiones, teneri, sub nullitatis poena, gratiae obtentae exemplar » earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem .Sac. Congre- » gationis deferre.*

***» Caeterum ad falsas apocryphasque Indulg. a veris et genuinis haud difficili negotio internoscendas, ea etiam recolere locorum Ordinarios iuverit, quae sapienter, de more, et hac in re idem fel. me. Pontifex Benedictus XIV. in opere de Synodo Dioecesana edocuit. Et si praeterea aliquibus in rerum adiunctis super Indulgentiarum qualemcumque authenticitate ac genuini-**

tate dubii haererent, ad Sac. Congregationem recurrant, ut inde opportunam dubiorum resolutionem assequantur.

» Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die U- Aprilis 1856. »

F. Card. Asoirraios Praefectus

A. COLOMBO *Secret.*

Ex HIS COLLIGES:

I. Officium Ordinariorum esse, ut pro sua sollicitudine invigilent, non modo ut indulgentiae falsae et apocryphae non circumferantur, et e fidelium manibus submoveatur; sed etiam ut Decreta sacrae Congregationis.super Indulgentiarum publicatione exsecutioni mandentur.

II. Inter eiusmodi decreta illud reperiri, ut qui impetraverint *generales* **concessiones teneantur sub poena nullitatis gratiae, exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem sacrae Congregationis deferre (1).**

(1) Indulgentiae obtineri a Romano Pontifice possunt per Secretariam Brevium, vel etiam alia ratione: cum agitur de indulgentiis generalibus, quae scilicet lucrifieri possunt a fidelibus ubique locorum, exemplar concessionis exhiberi debet Secretariae sacrae Congregationis Indulgentiarum, de qua re non desunt exempla in nostris ephemeridibus; vide *vol. I. pp.* 323, 388, 690.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

Praeter duo Consistoria publica, die m. et vi. Iunii habita quae praeordinata sunt ad solemnem Canonizationem, alia duo semipublica Consistoria Sanctissimus D. N. habuit, quorum primum die XII. Iunii locum habuit: in eo consederunt non solum Emi Cardinales, sed etiam Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, qui Romam convenerunt.

SSmus D. N. postquam brevi gravique Allocutione martyrium exposuisset B. Iosaphat Kuncevich, B. Petri d' Arbues, et B. Nicolai Pich cum duodeviginti ; qui in passione eidem fuerunt socii desiderium expromsit eosdem in albo Sanctorum adscribendi, atque rogavit congregatos Patres, ut quid in hac re sentirent libere patefacerent.

Tum Emi Cardinales, Patriarchae et Primates singillatim voto perlecto suam affirmativam exprompserunt sententiam: cum autem, omnia vota Archiepiscoporum et Episcoporum ob magnum eorumdem numerum audiri non potuissent, sex Archiepiscopi, et decem Episcopi antiquiores cuiusque ordinis sua scripta vota legerunt, annuentibus singillatim caeteris verbo *Placet,* cui addiderunt, *ob rationes a me in voto scripto et subscripto allatas,* quae Quidem vota delata sunt R. P. D. Secretario SS. RR. C. aut Caeremoniario Apostolico.

Quibus affirmativis auditis suffragiis, SSmus Pater in alio Consistorio semipublico de quatuor aliis Beatis catalogo Sanctorum adscribendis suffragia auditurus, omnes interea ad Deum fundendas preces hortatus est. Atque dein solemnitates habitae sunt, ut ea quae gesta essent, publicis actis mandarentur.

Simili forma die xiv. Iunii habitum est secundum Consistorium semipublicum de aliis quatuor ad publicos Sanctorum honores evehendos.

Die xxvi. Iunii SSmus iterum publicum tenuit Consistorium ut pileo Cardinalitio Emum Ludovicum *âe* la Lastra y Cuesta donaret, qui Cardinalis creatus fuerat in Consistorio secreto

die xvi. Martii MDCCCLXUI. **Interea Advocatus Consistorialis R. D. Philippus Ralli secunda vice causam peroravit ven. Mariae Rivier Fundatricis Sororum a Praesentatione B. M. V.**

His confectis Solemnitatibus, SSmus Allocutionem habuit, quam retulimus *pag.* **3.**

Die XII. **Iulii secretum Consistorium convocatum est in quo SSmus Pater inter caetera, praemissa Allocutione super electione seu postulatione ab Episcopis catholicis facta armeni ritus, qui comitia habuerunt in ecclesia Bzommar in Libano die xiv. Septembris** MDCCCLXVI. **praesente antistite Valerga Hierosolymitano Patriarcha pro-Delegato Apostolico in Syria et speciali auctoritate ad Jbunc actum donato; proposuit ecclesiam Patriarchalem Armenorum in Cilicia, ad quam transtulit Antistitem Antonium Hassun dudum Archiepiscopum Primatem eiusdem ritus Bizantin. qui nomen sibi assumpsit Antonium Petrum IX.**

Dein alia Brevi Allocutione SSmus Pater notam faciens violentam mortem Maximiliani I. Mexicani Imperatoris, solemnes indixit exequias in sua Sixtina Cappella celebrandas.

Tum sequentes proposuit ecclesias:

ECCLESIAM METKOPOLITANAM SENONEN. vacantem per dimissionem a R. P. D. Mellono Jolly ultro libenterque in manibus SSmi D. N. peractam et ab eodem admissam, ad quam translatus est R. P. D. Victor Felix Bernardou hactenus Episcopus Vapincensis ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem Seremi Gallorum Imperatoris.

Senones urbs Galliae Lugdunensis in provincia Icaunae ad Itunam fluvium, in planitie ac optimo sub dio aedificata a decem et amplius catholicorum incolarum millibus inhabitatur sub temporali gallico dominio.

Metropolitana Ecclesia magnificae, gothicaeque structurae, s. Stephani protomartyris titulo gloriatur, tresque eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum decem, recenset cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos titulares, plures honorarios, aliosque presbyteros et pueros de choro, queis adiunguntur solemnioribus festis alumni magni seminarii pro divino servitio.

Per Canonicum Archipresbyterum animarum cura in metropolitana exercetur, ubi fons adest baptismalis etc. et inter insignes Sanctorum reliquias capsula s. Thomae Cantuariensis religiosissime adservatur: extra urbem extat coemeterium.

Quatuor aliae praeterea recensentur Senonensi in urbe paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae: una Carmelitarum et quaedam mulierum religiosae domus, aliquot laicorum sodalitates, nosocomium, magnum seminarium, et parvum in archidioecesi; mons autem pietatis desideratur.

Archidioeceseos ambitus ad triginta fere leucas in longitudinem, ad viginti

in latitudinem protenditur, totam Icaunae provinciam et plures sub se complectitur urbes et loca.

Ecclesiam Obanen. per Literas Apostolicas « *Supremum pascendi munus* » datas octavo Kalendas Augusti 1866 a SSmo D. N. ad Cathedralis honorem evectam et a primaeva erectione sua vacantem, ad quam promotus est E. D. Ioannes Baptista Callot Presbyter Lugdunensis archidioeceseos ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem Sereñi Gallorum Imperatoris: dictus promotus in officiis ecclesiasticis obeundis navavit operam, inter honorarios Canonicos Lugdunenses cooptatus, et Parochi munere ad Bonum Pastorem Lugduni hactenus est perfunctus.

Oranum urbs Africae, et eiusdem nominis provinciae caput in Algerii regno ad litus maris mediterranei partim in plano, ac partim in colle sita, moeniis munita, arce et portu gaudet, ac triginta circiter continet incolarum millia, quorum fere media pars catholicam religionem profitetur sub temporali gallico dominio.

Templum inibi extans sub invocatione S. Aloisii, ex praecitatis Apostolicis literis ad Cathedralitatis honorem evectum est, priscis retentis titulo ac paròchialitate, Iuliae Caesareae Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quoad numerum Capitularium ad normam aliorum in Gallia extantium Capitulorum erit erigendum ; interea tamen iuxta memoratas Literas Apostolicas duo ex Canonicis erunt dignitarii, Praepositus nempe post pontificalem prima dignitas et Archidiaconus, ac duo alii Theologus ac Poenitentiarius, ac interim ob deficientiam Presbyterorum tribus tantum Canonicis, quos inter Praepositus, constabit.

Per Parochum animarum cura in Cathedrali exercetur, ubi fons adest etc. et nonnullae Sanctorum reliquiae decenter adservantur.

Deficientiae Episcopalis palatii consultum erit per gallicum gubernium.

Altera insuper Ecclesia recensetur Orani S. Andreae dicata , et quaedam pro viris ac mulieribus religiosae domus; ast seminarium erit erigendum, ac interim dioecesani alumni in Algeriano seminario erunt instituendi.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Orani civilem provinciam et plura sub se continet loca.

Ecclesiam Episcopalem Cinnensem sub Archiepiscopo Ancyrano in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Episcopi Petri de Alcantera Zimenes, ad quam promotus est R. D. Ioseph Cybichowski Presbyter archidioeceseos Posaaniensis , atque in suffraganeum deputatus ad pontificalia caeteraque pastoralia munia in civitate et archidioec. Gnesnensi obeunda, qui iamdudum licentiae gradu donatus in ecclesiasticas peragendas functiones sedulo incubuit, in Seminario S. Scripturae Professor olim adlectus, pro libris typis edendis revisor, pro-synodalis examinator, Seminarii Regens, nec non Collegiatae et paroeciali Ecclesiae in Chodziez Praepositus olim renunciatum est.

Cinna urbs Galatiae meridionalis in Asia minori prope lacum Ascanium et in limite Phrygiae sita, adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Interea SSmus Pater volens honoris significatione prosequi Patriarcham Armenorum Ciliciae, disposuit ut ab eodem Postulatio sacri Pallii fieret. Antistes igitur Patriarcha medius inter duos

eiusdem ritus Episcopos in Consistorii Conclave deductus est, ubi Pontificis Solio insidentis pedes osculatus sacrum Pallium latina lingua expostulavit: cui Postulationi illico Pontifex respondit: *Propediem dabimus.* Tum novus Patriarcha quod fieri solet iuramentum pronunciavit, egitque latina lingua Pontifici gratias. Cui soJemnitati interfuerunt omnes Episcopi Armeni, qui Romae aderant, nec non Antistes Patriarcha Antiochenus Syrorum-Maronitarum, aliique Praesules eiusdem orientalis ritus.

Exeunte e Consistorii Conclavi novo Patriarcha caeterisque eiusdem ritus, facta est postulatio Sacri Pallii pro Ecclesia Archiepiscopali Senonen. cum praesens esset in Curia romana Antistes Benardou, nec non pro metropolitana ecclesia Quiten, cui successit Antistes Iosephus Yerovi, ex renunciatione emissa ab Antistite Iosepho Riofrio,- quam S. Pontifex in acceptis habuit.

Die vero xv. Iulii SSmus Pater in suis aedibus sacris, Eucharistico Sacrificio peracto, cui novus ipse Patriarcha adstitit, eoeremoniam complevit. Hic enim proprii ritus vestibus ornatus, mitram manibus gestans ad Summum Pontificem accessit in Faldistorio, medio altari, sedentem, adstantibus hinc antistite de Merode Archiepiscopo Meliten, inde vero Antistite Marinelli Episcopo Porphirien. Ipse Patriarcha humi flexus genibus iterum latina lingua Postulationem et iusiurandum renovavit : et SSmus Pater adiuvante Praesule Caiani Auditore Sacrae Romanae Rotae et Praelatitii Collegii Camerario, Formulam, uti assplet, recitans, qua patriarchalis dignitatis plenitudo exprimitur, sacro induit Pallio.

Sacrae caeremoniae interfuit praeter nobilem pontificiam familiam, Emus Card. Barnabò Praefectus generalis S. C. de Propaganda Fide ; Antistes Mashad Patriarcha Antiochenus Syrorum-Maronitarum, Antistes Valerga Patriarcha Hyerosolimitanus prae* ter multos Archiepiscopos et Episcopos orientales diversi ritus, nec non Praesules Capalti a secretis dictae Congregationis, et Simeoni a secretis eiusdem S. C. pro negotiis ritus Orientalis.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

M I

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XX. SEPTEMBRIS MDCCCXXVII.

Venerabiles Fratres.

« Universus catholicus orbis noscit, Venerabiles Fratres, maxima damna, gravissimasque iniurias Catholicae Ecclesiae, Nobis, et huic Apostolicae Sedi, Episcopis, Sacrisque Administris Religiosis utriusque sexus Familiis, aliisque piis institutis a Subalpino Gubernio pluribus abhinc annis illatas, omnibus divinis humanisque iuribus conculcatis, et ecclesiasticis poenis, ac censuris plane despedís, quemadmodum saepe lamentari, et reprobare coacti fuimus. Idem vero Gubernium quotidie magis vexans Ecclesiam , eamque opprimere contendens post alias editas leges ipsi eiusque auctoritati adversas , et iccirco a nobis damnatas, eo iniustitiae devenit, ut minime exhorruerit legem proponere , approbare, sancire, et promulgare, quae in suis, et usurpalis regionibus temerario ac sacrilego prorsus ausu Ecclesiam propriis omnibus bonis cum ingenti ipsius quoque civilis societatis damno spoliavit sibique vindicavit , et eadem bona vendenda constituit. Omnes profecto vident quam iniusta, et-quam immanis sit haec lex, qua et inviolabile possidendi ius,,quo Ecclesia ex divina sua institutione pollet, oppugnatur et omnia naturalia, divina et humana iura proculcantur, omnes utriusque Cleri viri de re catholica et humana societate optime meriti, et Virgines Deo sacrae ad tristissimam egestatem, ac mendicitatem rediguntur.

»In tanta igitur Ecclesiae ruina, omniumque iurium eversione, Nos, qui ipsius Ecclesiae, et iustitiae causam pro supremi Apostolici Nostri Ministerii officio studiosissime tueri, defendere et

vindicare debemus, nullo certo modo silere possumus. Itaque in hoc amplissimo vestro conventu Nostram extollimus vocem et commemoratam legem auctoritate Nòstra Apostolica reprobamus, damnamus, eamque omnino irritam, et nullam declaramus. Ipsius autem legis auctores, et fautores sciant se misere incidisse in ecclesiasticas poenas et censuras > quas sacri Canones, Apostolicae Constitutiones et generalium Conciliorum Decreta ipso facto incurrendas infligunt contra Ecclesiae, eiusque iurium ac bonorum usurpatores et invasores. Paveant insuper et contremiscant hi acerrimi Ecclesiae hostes, ac pro certo habeant, gravissimas severissimasque eis a Deo Ecclesiae sanctae auctore et vindice poenas parari, nisi vere poenitentes redierint ad cor et illata eidem Ecclesiae damna resarcire, ac reparare studuerint, quemadmodum Nos vel maxime optamus et a miserationum Domino humiliter enixeque exposcimus.

» Hac autem occasione sciatis velimus, Venerabiles Fratres, mendacem quemdam libellum gallice scriptum et Parisiis recens editum fuisse, quo cum summa perfidia et impudentia in lectoris animum dubia insinuantur, ut luctuosissimae rerum in Mexico vicissitudines huic Apostolicae Sedi aliquo modo attribuendae sint. Quod quidem quam falsum, quam absurdum sit, omnes certe noscunt, atque id luce clarius apparet, inter alia documenta, ex epistola Nobis die xviii, superioris mensis Iunii ab infelicissimo Maximiliano in carcere scripta, antequam indignans et crudelem mortem obiret.

» Hanc ipsam vero nacti opportunitatem continere non possumus , quin meritas amplissimasque laudes tribuamus clarissimae memoriae Ludovico Altieri , Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali , et Albani Episcopo. Ipse enim, ut optime nostis, summo loco natus, claris virtutibus ornatus gravissimisque muneribus perfunctus nobisque carus ubi primum accepit, horrificum cholerae morbum Albanum grassari, sui omnino immemor, et charitatis aestu iii commissum sibi gregem flagrans, illuc statim advolavit. Ac nullis laboribus, nullis consiliis, nullisque incommodis et periculis parcens , dies noctesque sine mora et requie miseros infirmos et moribundos spiritualibus quibusque praesidiis et omni alia ope suis propriis manibus iuvare, reficere ac solari nunquam cessavit, donec horribili morbo

correptus, veluti bonus Pastor dedit animam suam pro ovibus suis. Equidem illius memoria in Ecclesiae fastis semper in benedictione erit, quandoquidem christianae charitatis victima fortunatam obiit mortem et maximam ac nunquam interituram gloriam sibi, Ecclesiae ac nobilissimo vestro omniumque catholicorum Antistitum Ordini comparavit. Nos quidem etiamsi gravi moerore affecti fuerimus, vix dum eiusdem Cardinalis obitum audivimus, tamen magna consolatione sustentamur, quod certam spem habemus illius animam ad caelestem patriam pervenisse, ibique in Domino exultare ac férvidas Deo pro Nobis, Vobisque et universa Ecclesia preces offerre. Debitam quoque laudem tribuimus utrique Albani Clero, qui illustria sui Antistitis vestigia sequens cum ipsius vitae discrimine omnem, religiosam praesertim , operam aegrotantibus , morientibusque sedulo navare non destitit. Omnibus etiam praeconiis digni sunt Nostri milites ibi morantes tum a publica securitate servanda, vulgo ***Gendarmi,*** tum qui ***Zuavi*** appellantur -, nam vitae periculo plane spreto, in defunctorum potissimum humandis corporibus praeclarum christianae charitatis praebuerunt exemplum.

» Denique, Venerabiles Fratres, ne desistamus levare animas Nostras ad Dominum Deum Nostrum . qui est multae misericordiae omnibus invocantibus eum et ipsum iugiter oremus, et obsecremus, ut strenue Vobiscum stantes in praelio atque opponentes murum pro domo lsrael et Ecclesiae suae Sanctae causam viriliter propugnare, et omnes Ecclesiae inimicos ad iustitiae salutisque semitas reducere possimus. »

EX S, CONGREGATIONE CONCILII.

RESTITUTIONIS IN INTEGRUM ET NULLITATIS SEU DISPENSATIONIS SUPER PROFESSIONE RELIGIOSA.

Die **16** *Februarii* **1867.** *Sess:* **2$** *c. 19 de Rêfor.*

Compendium facti. Titius emissa anno 1843 solemni professione in domo Regularium N., post sexennium perpetuae saecularizationis indultum ab Apostolica Sede obtinuit, quam demum anno 1864, idest post vicennium ab edita professione, iterum adiit, professionem eandem triplici ex capite nullam irritamque proclamans. Oblatis nimirum SSmo D. N. precibus asseruit ante praescriptam a Tridentina synodo aetatem, interrupto ob arreptam non semel fugam e novitiatu, demum causa metus a Patre illati, solemnia vota nuncupasse; ideo beneficium petiit restitutionis in integrum, ut posset de his audiri adversus lapsum quinquennii, quod a S. Concilio Trid. ad reclamandum praefinitur.

Remissae fuerunt preces S. Congregationi Concilii, quae Ordinario et Priori Generali Ordinis rescripsit, ut super Titii precibus informationem et votum darent, transmissis etiam scitu necessariis super antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus professionem religiosam, nec non super causa retardatae reclamationis. Receptis ab Ordinario responsionis uteris, Rescriptum prodiit ad Titii preces: *utatur iure suo coram Curia Archiepiscopali ad formam Constitutionis Benedictinae:* Si datam.

Confectus itaque est in Curia processus, et ab Archiepiscopo, qui sententiam non emisit, remissus est ad S. C. C, indulgente SSmo D. N., ut causa *oeconomice* proponeretur, exquisitis scilicet de more votis pro veritate tum Theologi, tum Canonistae, et animadversionibus Defensoris *ex officio* religiosae professionis.

Ex processu ab Ordinario confecto sequens factorum historia eruebatur. Titius die 27 Febr. 1827 ortus, paucos post men-

ses matre sua orbatus in tutelam devenit avi paterni, quo etiam e vivis sublato in paternam transiit domum novem annos natus; non videtur Titius probam indolem ostendisse. Indubium tamen est adolescentem Titium sub iracundo patre perpetuas passum fuisse vexationes, easque adeo barbaras et crudeles, ut non solum vultu aspero et infestis semper oculis ab eo aspiceretur, sed praeterea continuis contumeliis cruentisque identidem flagellis caesus, famem etiam pati cogeretur, ita ut panem a consanguineis et vicinis quaeritaret.

Uno verbo exoptabat Pater ut filius domesticos lares sua praesentia liberaret, sive suscipiendo religiosum statum, sive cingulum militarem, sive quodvis aliud desperatum consilium: quae quidem verba Pater, ut praesentia filii liberaretur, continenter in ore habebat.

Quatuor circiter post annos videtur Titius nomen militiae dare statuisse, at perperam. Die itaque 9 Octobris 1842, annos quindecim menses septem diesque quatuordecim natus, ingressus est in Presbyterorum Regularium congregationem, a se ipso postulatione facta.

In tyrocinio non probe Titius se gessit, divinaque vocatione se destitutum esse satis ostendit. Referunt etiam unus vel duo testes, eodem tyrocinii tempore Titium noctu linteorum ope e fenestra descendisse in contiguae domus tectum, ex quo in terram facile cum devenisset, ad patrui domum confugisse; idque duabus vicibus: prima quidem vice parum extra claustra commoratum, secunda vero ab hora undecima noctis ad quartam usque diei insequentis. Rediit nimirum illico prima vice in claustrum, ob patris timorem, qui forte apud patruum eodem tempore erat: secunda autem vice reagisse dicitur ob patrui suasiones et promissiones, quibus hic spondebat se effecturum, ut, annuente patre, e religiosa familia discedere posset.

Hosce tamen discessus nocturnos inverisímiles esse inquiebat Superior Regularis, quamvis argumenta quae adduceret non satis excludebant probabilitatem facti.

¿Adveniente tamen die professionis, ad quam Titius fuit admissus cum explevisset annos sexdecim et menses octo, in eodem actu Titius dicitur procaciter cum suis sociis confabulatum fuisse et risisse, ioci causa alterum acu punxisse.

Professione emissa aversio religiosi status adeo crevit, ut susceptarum obligationum oblitus, si unquam cognoverit, penitus videretur: ob improbitatem enim morum fere ad septem religiosa collegia successive translatus est, quin spes emendationis affulgeret. Sexto itaque ab emissa professione anno suffragantibus Superioribus perpetuae saecularizationis indultum a S. Sede rogavit et obtinuit.

Religiosa dimissa veste Patrem adiit, at saevissimis minis repulsus Corsicam insulam petiit, a qua nonnisi post mortem patris est reversus, ubi hodie mercaturam et publici tabellara munus exercet.

Cum itaque reprobatis amoribus cum muliere esset implicatus , uxorem ducere optabat, quod fuit motivum oblatarum precum.

Totum Canonistae in compendium redaetum.

Theologus in suo voto inspecta generica factorum serie pro nullitate professionis concludendum esse opinabatur: Canonista autem singula perpendens non solum testium depositiones, sed etiam auctoritatem cuique testi adscribendam iuxta tramites iuris, tactu quodam iuridico singula concise quidem persequens, pro dispensatione dumtaxat certo concludebat (1).

Omisso priori nullitatis capite in precibus a Titio exposito, quod, ipso non refragante, falsum est repertum, Canonista gradiebatur ad alterum nullitatis caput quod Orator de fuga bis arrepta sub iuramento in iudicio asseruerat. Haec autem praeclare circa facti existentiam praenotabat Canonista: « Iuratam Ora-
» toris depositionem confirmat patruus Franciscus... qui primam
» nepotis fugam ex propria uxore noverat, sed altera vice fugien-
» tem domi suscepit, et tum minis tum suasionibus in coeno-
o bium ipse restituit. Testis, inspecta morum qualitate, non vi-
» detur fide dignus; sed quoniam in aliis suae depositionis par-
li tibus veridicus reperitur et conveniens cum aliis probatae fidei
» testibus, in hac quoque parte forte erit audiendus; maxime
» cum factum sit prorsus secundarium, ex quo certe non pen-
» deat quaestionis decisio, nec alia adesse videatur in deponente

(i) Canonistae munus gessit cl. Tancredes Fausti Professor in interpretatione civilis iuris.

» specialis mentiendi ratio. Nec unicus testis est, accedente ni-
» mirum duarum mulierum testimonio, quae laudantur probatae
» fidei, quarum una utramque fugam noverat tempore non su-
» specto ex dicti Francisci uxore modo defuncta ; altera *Titium*
» vidit noctu per viam publicam transeuntem, cum furtim e
» coenobio egressus retento habitu domum patrui petebat.

» Fugam *Titii* e novitiatu in dubium revocant tum Vice-Pro-
» curator Generalis in uteris ab eo datis S. C. tum etiam R. Pa-
» ter ***N.;*** uterque tamen leviter rei veritati se opponit, nec ulla
» probabili adducta ratione.» Haec quidem quoad propositi facti existentiam: de iuridico autem eius valore animadverterat, in hac disquisitione factum posse spectari aut per se, quasi peculiare nullitatis caput constituat ob interruptum novitiatum, vel cum aliis argumentis consociatum, ex quibus invalidae professionis probatio possit exurgere, vel demum non quidem quoad nullitatem, sed quoad gratiam dispensationis.

Opinabatur autem, factum ut supra per se spectatum tantas vires non habere, ut ex eo, interruptus probationis annus censeatur, nec facile de nullitate professionis ex eo solo capite esse iudicandum. Facit enim quod tradit Card. De Luca *Disc.* 46 *de Regul.* ubi ait, *auctores morales et Canonistas etiam post Concilium Tridentinum scribentes in varias hac de re abiisse sententias.* Doctissimus Pichler *lib.* 3 *tit.* 31 *de Reg. n.* 7, docet: *si novitius non dimisso habitu cum dicta intentione* (deserendi religionem) *egrederetur et statim reverteretur, non interrumpí novitiatum, aliqui non improbabiliter autumant.* Nec alia est praxis S. C. quam testatur Resolutio in *Neapolitana* 28 Aprilis 1736.

At vero licet per se sumptum eiusmodi factum nullitatem professionis non demonstret, tamen (prosequebatur Canonista) metum prius illatum purgatum non fuisse ex permanentia in religione ostendebat: Titius rediisse videtur ad claustra ex solo metu crudelissimi patris, qui desertionem istam aegre tulisset: vel demum, licet fingas deesse argumenta meticulosae professionis, hoc factum utile haberi debere ad postremum effectum obtinendae dispensationis, cum, inter praecipuas eius causas, recenseatur *actus imperfectus* emissae professionis.

Hisce a Canonista praemissis ad tertium caput deveniebat, quod est metus a patre illatus, quod quidem iuxta S. Congre-

gationis morem sub triplici adspectu solet considerari nempe *restitutionis in integrum, nullitatis atque dispensationis.*

Concilium Trid. *sess.* 25 c. 19 *de Reg.* statuit: *Quicumque Regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse religionem non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis.* Re quidem vera huiusmodi Decretum, ducta interpretatione ex eius sententia, aliquam patitur exceptionem, quae tamen, ut monet Lessius, cum de facto non soleat probari, Tridentinum Decretum fere nunquam cessaret. Verum Benedictus XIV. Const. *Si datam. §. At vero,* testatur, huius disciplinae rigorem decursu temporis iustisque de causis immutatum fuisse inductumque remedium .adversus lapsum quinquennii, nimirum beneficium restitutionis in integrum, quod remedium utpote extraordinarium Romano Pontifici est reservatum ac conceditur I° cum, deficiente formali reclamatione, indubia adfuerint contrariae voluntatis indicia, aut frequentes protestationes: 2° cum constat de impotentia reclamandi. Quae quidem causae innituntur ipsi Tridentino Decreto : namque ideo Concilium post quinquennium Regularem audiendum non esse edixit, quia post illud temporis spatium praesumendus est Religiosus ratam habuisse suam professionem. At vero cum praesumptio cedere debeat veritati, merito iuxta Pignat. *Cons.* 173 *t.* 9 *n.* 10 Doctores tenuerunt: *Continuae et nunquam interruptae conquestiones supplent defectum formalis reclamationis.*

His in iure positis, ostendebat Canonista non defuisse in praesenti themate contrarias animi significationes, frequentes querelas, sive quae antecedunt, sive quae comitantur, sive quae subsequuntur professionem religiosam, sive verbis, sive demum factis, quae eloquentiora sunt, expressis. Quamvis autem Canonista non facile admitteret alteram exceptionem, seu reclamandi impotentiam ex metu, sustinebat tamen admitti posse eamdem impotentiam ex ignorantia, quod quidem evincebat tum ex facto, tum ex iure. Namque Titius quindecim annos natus, nulla certe eruditione praeditus religionem ingressus est, neque in ea per spatium temporis perseveravit quo ea studia conficere potuerit, ex quibus notitias ad rem opportunas addisceret, nullitatem scilicet religiosae professionis, remedium iure concessum ad eam obtinendam, tempus ad instituendum iudicium praefi-

nitum. De iure etiam eiusmodi impedimentum admitti posse ostendebat, quia licet iuris ignorantia invocari non possit a maioribus, minores tamen semper excusat, iuxta *leg.* 9 *ff. de iur. et fact. ignor.*, et quandoque etiam in maioribus toleratur, quando certant *non de lucro captando, sed de damno vitando (leg.* 8 *ff. de iuris et facti ignorantia) :* de damno autem vitando agere illum esse censendum, qui queritur adversus professionem non libere emissam, quoniam vindicat ius sibi ademptum libere eligendi vitae statum ex quo pax conscientiae, humana felicitas, ac saepius ipsa aeterna salus pendet.

Hisce iuxta Oratoris mentem positis , animadvertebat praeterea Canonista valorem harum querelarum seu excusationum maioris vel minoris momenti esse habendum, prout maior vel minor sit metus probatio, iuxta Constit. *Si datam:* ex qua, de restitutione in integrum concedenda vel deneganda ita inquirendum ac disceptandum est, ac si de merito intrínseco nullitatis vel validitatis emissae professionis agatur : cui consonae sunt Resolutiones S. C. C. in *Gratianopolit.* die 24 Novemb. 1770, in *Theanen,* die 23 Novemb. 1782, quae docent: restitutionem in integrum concedi semper verificata vi et gravi metu cadente in constantem virum, sicut, ipso concludenter non probato, denegari.

Enarratis vexationibus continuis ab inhumano patre iniuste Titio illatis, quae ipsum ad claustra coegerunt, perpensa simul auctoritate testantium, doctrinam denique adducebat, quae verissime traditur in causa *Verdunen.* die 24 Febr. 1720 *num.* 3, ubi legitur: « Certum esse videtur, quod metus licet cadens in » constantem virum, ct licet proveniat ab extrinseco et a causis » liberis non irritat professionem , nisi constet quod fuerit in- » cussus ad effectum illam extorquendi. » Item Fagnanus in *cap. Si quis, num.'Si,* et in *cap. Sicut nobis num.* 29 *de Regni.* Congruit decisio Rotae 798 *n.* 58 *et* 59 *coram Molines.* « Quando » etiam minae et effectivae castigationes essent nedum leves, ut » in casu, sed gravissimae adhuc, cum non fuerint illatae ad » illum praecise finem extorquendi consensum vel professionem, » non sunt in consideratione habendae, neque irritant profes- » sionem. » Neque hoc in sola professione religiosa aut iure tantum canonico statuitur, sed in quocumque alio actu de cuius

libertate quaeritur, et iure etiam civili, auctore Donneilo *lib.* ***i*** 5, *cap.* 29, *num.* 12, *tom.* 4.

Quamvis autem in testium depositionibus non deessent indicia, quae innuere viderentur patrem coegisse *directe* filium ad consensum vel professionem religiosam emittendam, optavisset tamen Canonista, ut super hac re distinctae interrogationes testibus propositae fuissent a Defensore religiosae professionis; ex quibus colligi certe potuisset, an occasione tantum paternae crudelitatis filius statum religiosum amplexus fuerit, vel potius coactus a patre qui ea voluntate et ea de causa metum intulerit. Si enim distincte testes hac in re fuissent interrogati, plenam fortasse vim obtinuisset id quod unus enarravit testis, his verbis: *Pater Titii mihi dixit: scis me secreto allocutum esse Superiorem congregationis, ut habitum concedat Titio? Et cum ego subiunxissem: et si ipse ßeri religiosus nolit ? mihi respondit : ipse voluntatem meam faciet, secus e domo ipsum expellam;* maiorem vim pariter acquisivissent verba haec filii ad patrem crudeliter saevientem: *Heu! pater mi, ne me interficias; nam religiosus fiam.* Quae forte per se sumpta explicari possent, vel quod filius occasione tantum paternae crudelitatis sponte religiosum statum elegerit, vel quod suo tantum iudicio hanc esse iudicaverit patris voluntatem.

item cum plures testes traderent patrem in aestu furoris frequenter filio proposuisse aut statum religiosum, aut militarem, aut aliud desperatum consilium, animadvertebat Canonista huiusmodi propositiones per se spectatas vel tanquam formas loquendi et irati animi manifestationes accipi debere, vel si de aliqua seria voluntate intelligantur, ostendere patrem in desperationem filium adducere voluisse, eumque cogere ad paternam deserendam domum.

At vero non defuit alia interrogatio ab eodem professionis defensore facta, quae rem hanc videtur attingere. Interrogatio enim ita se habet: *an verum sit Titium demonstrasse patri suam aversionem a statu religioso, et quomodo et quando id patefecerit?* Cui Franciscus, Titii patruus de quo supra mentionem fecimus respondit: *Titius me praesente quater vel quinquies ostendit patri suam aversionem a religioso statu dicens : cur Pater vult me fieri religiosum ? Ego nolo, et mallem studia prosequi et aliquod amplecti officium.*

Atque alia adducebat Canonista testimonia, quibus confirmari videbatur, Titius a patre fuisse *directe* coactus ad statum religiosum amplectendum, nominatim vero, quae referebat Patruus de fuga, cum tamen adversus desertprem non videretur prorsus iniusta patris offensio: nec non alterum factum ab eodem patruo enarratum; scilicet ipse Patruus deposuit, se duxisse fratrem seu Titii patrem ante mensem circiter professionis ad coenobium. Descendit novitiatu Titius, qui ad patrem conversus dixit: *tolle me ab hoc statu, ego nolo amplius hic stare.* His prolatis a Titio verbis pater violento ictu filium in terram deiecit **et** abiit. Itaque cum apprime **ex** omnibus deductis constaret ***de*** *imperfectione actus* emissae professionis, concludebat Canonista: si hactenus exposita minus valerent ad meticulosam professionem concludenter probandam, ut affirmativa proderet responsio ad primam et,secundam propositam quaestionem: valere omnino debere ad excitandum grave dubium super eius actus invaliditate, quod sufficiens est, iuxta vigentem disciplinam, ad ostendendam convenientiam apostolicae dispensationis.

EA QUAE ANIMADVERTEBAT DEFENSOR RELIGIOSAE PROFESSIONIS. **TotUS** erat initio defensor ut ostenderet, neque probum fuisse Titium, neque religionem ex coactione amplexum fuisse, sed cum meliores noluisset induere mores, statum religiosum elegisse , ne vitam perennaret inter verbera et famem; susceptionem habitus sponte ex se petiisse: neque esse **fidem** praestandam patruo de fuga nepotis e coenobio, cum **duo** Parochi de eius inhonestis moribus testati essent.

Negabat autem dandam esse restitutionem in integrum: **nam**que ignorantia iuris neminem excusat : quod si excusentur quodammodo minores, vel milites, vel rudes, tamen Titius factus maior et literatus altum silentium tenuit **per** decem **suc**cessivos annos.

Peremptoriam autem esse inquiebat legem Tridentinam **his** severis verbis conceptam: *Quicumque Regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse religionem* NON AUDIATUR *nisi intra quinquennium tantum a die professionis.* Quem textum exornat Card. De Luca *de Regul. disc.* 41 *et alibi.* Quamvis enim, **cum** de civilibus actibus agitur, *fumus iustae causae* censeatur **suf**ficiens ad dandam restitutionem in integrum, tamen ubi agitur

de restitutione *Professi* ad impugnanda vota religiosa post inducias quinquennales, maiorem urgere rigorem inquiebat ex dicta Tridentina lege, quae ita est concepta, perinde ac si post elapsum quinquennium nata sit *praescriptio* adversus actionem querelae contra ipsam professionem: nec secus statuisse Benedictinam Constitutionem, *Si datam.*

Hinc deveniebat defensor ad causae meritum: inquiebat autem, si quid timuerit Titius non erant nisi verbera et subtractio cibi, haec quidem eidem contigisse, non ut religiosus evaderet, sed quia iam a puero turpia et obscoena patraret, vel quia in plateis et vicis cum effraenis consociis colluderei, ut unus vel alter testis- aliqua vice contigisse enarrabat; quare habuisse patrem iustam causam filium corrigendi, quo casu non intrat gravis metus.

Non autem coactum fuisse Titium ad habitum religiosum suscipiendum eruebat defensor, tum ex eo quod illum elegerit, ne alia laboriosa ratione panem sibi compararet, tum ex spontanea petitione a se facta, tum ex hilari animo quo professionem emisit, tum ex sequentibus annis, quibus in religione vixit, septies renovans professionem, quin unquam in dubium vel minimum revocaverit validitatem professionis.

Ex his autem erudite disceptatis concludebat, neque esse dispensationi locum, cum deessent causae; non solum enim deerat causa publica, sed neque illa, ex hactenus dictis, quae petitur ex dubio de validitate professionis.

Dubia.

I. « An sit locus restitutioni in integrum in casu.

)) Et quatenus affirmative.

II. » An constet de nullitate professionis religiosae in casu.

» *Seu potius.*

III. » An sit consulendum SSmo pro dispensatione votorum » solemnium in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa discussa die 16 Februarii 1167 respondere censuit:

Ad L et II. providebitur in III. Ad III. affirmative.

Ex HIS COLLIGES:

I. In quaestionibus, quae in facto consistunt, ut recte definiantur, ponderandum in primis esse, iuxta tramites iuris, testium auctoritatem, ut eorum testimonia iuste aestimari possint (1).

II. Religiosum, validitatem suae professionis oppugnantem causa vis et metus post quinquennium, non esse audiendum, nisi in promptu habeat argumenta, quae praevidere faciant bonum causae suae exitum.

III. Hisce argumentis extantibus S. Sedem concedere beneficium restitutionis in integrum, quo scilicet facultas tribuitur, elapso licet quinquennio, pertractandi coram propriis iudicibus causam iuxta Benedictinam Constitutionem: ***Si datam,*** nisi S. Sedes, regulari processu in curia peracto, integrum negotium pertractandum statim suscipiat (2).

(i) Cum agitur de aliquo puncto quaestionis a quo causae decisio pendere possit per applicationem iuris ad factum, ante omnia in tuto ponenda est facti existentia. Certitudo autem non oritur semper ex testimonio seu ex enarratione quam faciunt testes; sed saepe inspicienda est qualitas testium utrum fidem mereantur, praesertim quando ex dictis unius vel duorum tantum testium factum eruatur. Quamvis enim in ore duorum aut trium testium stet omne verbum : tamen de testibus id est intelligendum qui fidem mereantur , quique scilicet non sint alicui exceptioni obnoxii. Putamus autem in praesenti causa ideo S. Congregationem non respondisse ad secundum dubium affirmativo responso, quia testimonia ex quibus eruebatur, vim directe illatam fuisse Titio ad extorquendam professionem, non fuisse prolata a testibus plena fide dignis. Quamvis enim Titii pater initio unice intendere videretur expulsionem praesentiae Titii e propriis oculis; nihilominus postquam Titius, ut iram paternam declinaret, Religionem sit ingressus, patris voluntas in eo tota erat intenta, ut filius in novitiatu persisterei, ac Religiosus fieret; quae profecto est coactio directa. At vero facta, quae haec ostenderent, testabatur potissimum Titii patruus, qui ob suos mores non videbatur fide dignus.

(2) Haec praxis iam invaluerat penes romanam Sedem, antequam Benedictus XIV. per Constitutionem: *Si datam,* id sanciret, ut idem Pontifex declarat, de qua re legi etiam possunt ea, quae enarrat Cardinalis De Luca *de Regul. disc.* 41. Enarrat scilicet, causas restitutionis in integrum, quam non concedit nisi S. Sedes, remitti consuevisse S. Congregationi Concilii, in qua fere ex professo de ipso puncto principali nullitatis, seu de merito causae in huiusmodi disputationibus ageretur, ita ut quando, praevia hac formali" cognitione, iudicium S. Congregationis prodiret, tunc apud Iudices causa principalis videretur frequentius decisa, eorumque processus quodammodo caeremoniales : aliquando autem, sed raro, contigisse enarrat, ut diversus esset causae eventus, quando scilicet S. Congregatio, processu formali

tV. Non quamlibet vim et metum, licet atrocem, nullam reddere professionem; sed tantum illum, qui *directe* ostendatur incussus ad extorquendam professionem.

V. Grave dubium de professionis invaliditate suppeditare causam posse obtinendi dispensationem.

VI. Colliges insuper, fugam novitii e coenobio non semper interrumpere novitiatus annum qui continuus esse debet ad valide profitendum.

non facto, attendent tantum probabilem eventum, seu, ut aiunt, fumum bonae causae.

Proponi itaque solebat coram S. C. C. unicum dubium: an concedenda in integrum restitutio : et si affirmativum prodibat responsum, causa in merito super nullitate professionis ex vi et metu agitabatur coram propriis iudicibus. Cum autem deinde praeter declarationem nullitatis frequentius petita etiam fuisset Apostolica dispensatio super professione religiosa, quatenus sufficienter non constaret de nullitate professionis, saepius eiusmodi causae penes Sanctam Sedem statim pertractantur cum tribus dubiis ut in praesenti causa. Fatendum quidem est, ut nobis videtur, cum eiusmodi causae pertractantur illico apud S. Sedem , primum dubium proponi potius pro forma ut servetur scilicet ritus, cum causa integra in uno iudicio statim sit disceptanda. Statim .enim disceptatur secundum dubium, quod si favore reclamantis resolvatur, causa finita, est, et Religiosus reclamaos non indiget beneficio ut audiatur, cum iam fuerit plus quam auditus, uti patet: si vero favore Religiosi hoc dubium non definiatur, frustra quaerit Religiosus restitutionem in integrum, ut possit audiri, cum iam auditus succubuerit.

ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM ET FUNERUM.

Die **8** *Iulii* **1865** *et* **16** *Febr.* **1867** *Sess.* **24** *c.* **13** *et Sess.* **25 c. 13 efe Äf?/.**

Compendium facti. Ineunte nostro saeculo post hórridas illas belli clades , quae Galliam universam vast^vèrant, rebus dein compositis, pacta inita sunt inter Apostolicam Sedem et Gallicum Gubernium circa religionis cultum. In Articulo IX. huius Concordati legitur : *Episcopi in sua quisque dioecesi novas paroecias circumscribunt.*

Episcopus N. suam civitatem in tres regiones distinxit, et tribus adsignatis templis, cuique regioni Parochum praefecit. Non est praetereundum, inter haec tria templa comprehendi ipsum cathedrale templum, ex quo tertius Parochus titulum habet.

Paroeciis in ea civitate tali modo constitutis, Episcopus animum convertit ad statuta condenda pro suo cathedrali Capitulo.

Inter capitularia Statuta haec reperiuntur: Art. I. *Capitidum ecclesiae cathedralis constat octo Canonicis et duobus Vicariis generalibus Episcopi:* **Art. IV.** *Parochus B.* **(idest Parochus cui adsignatum fuit cathedrale templum)** *et Rector Seminarii locum obtinent inter Canonicos, quando choro intersunt :* **denique Art. XV.** *exequiae , baptismi, matrimonia, officia et praedicationes ordinariae fient a Parocho vel eius vicariis.*

Canonicis insuper titularibus alii accensentur Canonici honorarii, qui ex loci consuetudine eodem modo eodemque ritu in possessionem admittuntur, ac Canonici titulares, et auxilio veniunt iisdem titularibus Canonicis eorumque vices gerunt, praesertim diebus dominicis et festis.

Haec praemisimus, ut quaestio inde exorta inter Parochum B. et Capitulum clarius intelligeretur.

« Duodecim abhinc annis (ut Episcopi verbis utar) exorta » est gravis dissensio inter Capitulum Cathedralis ecclesiae et » Curatum (seu Parochum B.) paroeciae huic ecclesiae adnexae » circa Sacramenta moribundis Canonicis administranda et illo-

» rum funera exequenda, Capitulo affirmante sui esse hisce mune-
» ribus fungi, Parocho vero illa sibimet vindicante. »

Laudabili studio quamvis Episcopus vel ab initio huiusmodi dissentionem removere curaverit , tamen nova data occasione controversia recruduit, praesertim anno 1864 quo Canonicus titularis decessit. Pars nimirum maior Canonicorum innitebatur praerogativis quibus a pluribus saeculis gaudere contendebat et saltem a quadraginta et amplius annis post Concordatum 1801 sine dissidio servatis, tum consuetudini universim in Gallia admissae: Parochus autem cum tribus aliis Canonicis, Decretis SS. Rituum Congregationis suffultus , ad se pertinere contendebat sacramenta Canonicis moribundis administrare, illorumque funera exequi.

Deveniente causa ad S. C C - audito de more Episcopi voto, auditisque Partibus contendentibus, quaestio proposita fuit sub sequentibus dubitandi formulis: I. « An et cui ius competat ad-
» ministrandi ultima sacramenta Canonicis titularibus et hono-
» rarus in paroecia *(B)* habitantibus in casu : IL An et cui ius
» competat levandi corpus Canonici in paroecia *(B)* habitantis
» et ad ecclesiam cathedralem et inde ad publicum coemete-
» rium ducendi in casu. Et quatenus affirmative favore capi-
» tuli: III. an Parochus *(B)* in funeribus Canonicorum in sua
» paroecia decedentium intervenire possit cum stola et pluviali
» in casu: » Hisce dubiis die 8 Iulii 1865 S. C. C respondens, distulit resolutionem his verbis: *Ad L H. et III. dilata, et praefigatur terminus Parocho ad deducendum iura sua, coadiuvatis probationibus etiam ex parte Capituli quoad consuetudinem.*

Novis itaque habitis deductionibus causa iterum in disceptatione posita est.

Breviter in sequenti disceptatione colligimus quae utraque vice fuerunt disputata.

Disceptatio «ynoptlca.

EA QUAE MILITABANT FAVORE PAROCHI. — Parochi favore militabat commune ius, *diem.* 1. *de Privilegiis* in qua legitur: « *Religiosi qui clericis aut laicis sacramentum unctionis extremae vel eucharistiae ministrare.... non habita super his parochialis* Pre-

sbyteri licentia speciali.... excommunicationis incurrant sententiam. » Ex qua principium eruitur, exclusivum esse Parochorum ius extrema sacramenta suis paroecianis conferendi.

Porro sola habitatione aliquem Paroecianum effici cum Fagnano in *cap. Significavit* 5. *de Parochiis* adnotabatur. Quare qui intra paroeciae ambitum Parochi B. habitabant, sacramenta extrema ab eodem Parocho B. suscipere tantum debuisse. Cui consonae sunt S.C.C. Resolutiones, ut in *Eugubina* die 2 April. 1729 in qua ad dubium: « An Parocho Cathedralis Eugubii licitum sit sub- » ministrare Sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus » infirmis et in alienis parochiis etiam morantibus, an vero per- » tineat privative ad proprium Parochum domiciliarium *a* responsum prodiit: *Negative et spectare privative ad Parochos domiciliarios.* Quin imo neque Canonicos posse sibi parochialia haec iura vindicare, quamvis animarum cura resederit penes Capitulum , eaque per Vicarium exerceatur, ut eruitur ex *Mediolanen.* 26 Aprilis 1732.

Quoad ad alterum quaestionis caput, notum esse principium advertebatur, eos omnes qui non electa sibi sepultura- decedunt, et sepulcro maiorum carent, in ecclesia parochiali esse sepeliendos: clericos insuper alicui ecclesiae addictos in eaque titulo perpetuo residentes, si in eadem ecclesia peculiare et distinctum sepulcrum pro Canonicis et Beneficiariis extet, in eo, sepultura non electa, esse sepeliendos , de qua re consulenda est S. Rotae decisio *in Hydruntina Sepulturae* 27 *Nov.* 1713 *coram Arvaldo* ac constans fuit S. C. C. praxis.

Omnia autem , quae ad funera spectant, ius commune Parochis favere, eiusmodi sunt iura associandi cadaver, deferendi stolam, aspergendi Defunctum, praecinendi antiphonam - Exultabunt Domino etc. - unde in *Callien.* die 20 Decemb. 1828 proposito dubio: « an et ad quem spectet ius deferendi stolam, » aqua benedicta aspergendi cadaver, et praecinendi Antiphonam » *Exultabunt Domino* in funeribus Canonicorum ecclesiae ca- » thedralis in casu. » Emi Patres responderunt : *Affirmative ad Parochum defuncti.*

Sed ne a Capitulo obiiceretur contraria consuetudo, quae in hac praesertim materia magnum habet valorem, Parochus B. contendebat in praesenti casu consuetudinem contrariam penitus

deesse. Consuetudo enim debet esse immemorialis aut quadragenaria cum titulo quae praescriptionem inducit: neutram vero in cathedrali vigere inquiebat: non quidem *immemorialem,* hodiernum enim Capitulum initium sumpsit anno 1802, vetere suppresso cum suis iuribus, privilegiis ac praerogativis cuiuscumque generis per Bullam: *Qui Christi Domini:* neque *quadragenarium* praescriptionem, cum semper, aut fere semper, ultima sacramenta Canonicis titularibus administrata fuisse non ab aliquo Canonico, sed a *Vicario generali:* Canonicos autem honorarios saepe saepius sepulturae esse datos ab unoquoque civitatis Parocho, tribus humationibus exceptis, quae contigerunt annis 1834 et 1836 : denique Capitulum non posse afferre praescriptionis titulum; eo vel magis quod capitularia statuta anno 1802 edita soli potius Parocho, eiusque Vicariis sepeliendi facultatem assignarent, nihilque décernèrent vel quoad sacramenta Canonicis aegrotantibus ministranda, vel quoad eorum funera : quare concludebat Parochus ius commune esse servandum.

EA QUAE MILITABANT FAVORE CAPITULI. — Capitulum per Defensorem sua iura dedueebat; ac contendens Canonicos esse paroecianos suae ecclesiae, quamvis intra paroeciae septa non habitent , inter eaetera adducebat Defensor causam *Berthonensem* die 3 Dec. 1718 coram S. C. C. agitatam; in ea enim agebatur de collegiata ecclesia cui praeerat Archipresbyter, et munere Parochi fungebatur : cum autem adessent aliae parochiales ecclesiae in quibus Collegiata ius superioritatis exercebat, multae quaestiones motae sunt; inter quas in dubio XV. haec proposita fuit: « An Canonicus ecclesiae collegiatae habitans in domo » sita intra fines alterius paroeciae , ex quo dicta ecclesia Collegiata caret aedibus canonicalibus, teneatur in ultima iniirmitate recipere sacramenta ab ecclesia collegiata, vel potius » a Parocho domicilii: » Cui S. Congregatio respondit: *affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam* (1).

(i) Saepenumero nihil est fallacius in materia iuris quod ad factum fuerit applicatum, quam Resolutiones adducere SS. Congregationum sine eiusdem facti enarratione. Cum enim facta sint indefinite variabilia, ius quod est applicandum, temperamenta suscipit pro varietate adiunctorum: haec temperamenta non sunt quidem arbitraria, sed pendent ab aliis regulis iuris quae in conflictum veniunt, puta ex consuetudine ex praescriptionibus , ex pactis legitime ini-

At vim orationis eruditissime collocabat Orator in consuetudine , quae in universa Gallia ab antiquis temporibus invaluit, neque per Concordatum supradictum revocata: namque Cardinalis Caprara in rebus Capitulorum in Gallia post devastationem ordinandis inter caetera edixit : « *Archiepiscopis et Episcopis primo futuris curae erit, et quae pertinent ad Capitulorum sic erigëndorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium -, directionem, diurnorum officiorum celebrationem____ac alia quaelibet per eorumdem Capitulorum Dignitates et Canonicos obeunda munia, eorumdem Archiepiscoporum et Episcoporum arbitrio et prudentia definiantur et constituantur, relicta tamen eorumdem Successoribus Statutorum illorum jmmutandorum facultate, requisito prius Capitulorum respectivorum consilio.... In ipsis autem Statutis vel condendis vel immutandis usuum ac consuetudinum laiidabilium antea vigentium ratio habeatur.* »

Quae ultima dispositionis verba ad rem nostram maxime faciebant. Namque, uti ostendebat Orator, quamvis in Statutis capitularibus sermo non fieret de hac consuetudine de qua agimus servanda, tamen in universa Gallia semper, nemine reclamante, servata est.

Quam quidem consuetudinem laudabilem esse ostendebat Orator. Consuetudo autem quam enarrabat et documentis muniebat

tis etc. Eiusmodi enim regulae iuris, quae pro varietate adiunctorum in quaestionibus subintrant, saepe resistunt generali principio iuris quod videretur applicandum , illudque si vincant aut feriant, contraria aut saltem temperata Resolutio prodeat necesse est. Quod contigit in allegata Resolutione *Derthonen.* **Cum enim ad normam iuris saepe S. C. C. responderit, ius administrandi sacrameöta Canonicis et Beneficialis ecclesiae cathedralis infirmis et Habitantibus in alienis paroeciis, spectare ad Parochum domicilii seu habitationis, non vero ad Parochum cathedralis ecclesiae, ut in** *Mantuana* **die 16 Martii d 680, in** *Tiburtina* **die 12 Maii 1685, in** *Tolentinaten.* **die II Septemb. 1694, in** *Novarien.* **17 Septemb. 1695, in** *Narnien.* **die 26 Septemb. 1699 , et in superius allegata** *Eugubina* **die 2 Aprilis 1729; apparet quo pretio habenda sit Resolutio in contrarium adducta in** *Derthonen.* **Cuius quidem Resolutionis, quamvis non referatur factum in** *Thesauro Resolutionum S. C. C,* **tamen indicia habentur, eamdem Resolutionem emissam fuisse ratione vel consuetudinis vel legitimae praescriptionis : namque interveniente appellatione, iterum proposita fuit causa die 7 Decembris 1720, et ad dubium XV: an standum esset in decisis, responsum prodiit :** *quoad XV. examinentur Testes formiter, et interim servetur sententia anni* **1649. Ex quo indubie apparet, in ea** *Derthonen.* **actum fuisse de consuetudine aut praescriptione, quae per testes erat probanda, quaeque fortasse innitebatur alicui iudiciali sententiae.**

est huiusmodi : Canonicus quisque vel titularis vel honoratus, si infirma valetudine laboret et in extremo vitae periculo versetur, quovis loco civitatis degat , et cuilibet paroeciae sit addictus, extrema sacramenta et pietatis officia a suismetipsis collegis habet et recipit : Vicarius scilicet generalis, qui in Capitulo de quo agimus Canonicis accensetur, aut Capituli Decanus vel alius quisque Canonicus titularis, comitante fere semper Capitulo extrema Sacramenta infirmo Canonico vel titulari vel honorario suppeditare solet : eique Canonico defuncto exequias solemni ritu peragit ipse Canonicus hebdomadarius deferendo prius ad ecclesiam cathedralem Defuncti cadaver, deinde ad commune sepulcrum, quod civilibus legibus (iuxta progressum nostrae aetatis ad ethnicos mores) proprio Canonicorum sepulcro , quod in Ecclesia extabat, suifectum est.

Hanc quidem consuetudinem , quae in universa fere Gallia laudabiliter invaluit, quaeque confert ad extrinsecam divini cultus pompam, et ad fraternam charitatem fovendam, peculiaribus copiosisque documentis invaluisse ostendebat Orator in civitate de qua agimus; a quibus documentis afferendis, ut breves simus, abstinemus.

Itaque proposita fuerunt denuo resolvenda

Dubia.

I. « An et cui ius competat administrandi ultima sacramenta » Canonicis titularibus et honorariis in paroecia *(B.)* habitanti- » bus in casu.

II. » An et cui competat levandi corpus Canonici in paroe- » cia *(B.)* habitantis, et ad ecclesiam cathedralem, et inde ad » publicum coemeterium ducendi in casu.

» Et quatenus affirmative favore Capituli.

III. » An Parochus *(B.)* in funeribus Canonicorum in sua » paroecia decedentium intervenire possit cum stola et pluviali » in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii, causa discussa die 16 Februarii 1867, respondere censuit :

Ad I. *Affirmative favore Capituli quoad Canonicos titulares; quoad Canonicos honorarios coadiuventur probationes.*

Ad II. *Affirmative in omnibus favore Capituli ut in primo.*
Ad III. *Negative.*

Ex HIS COLLIGES:

I. Quamvis a primis Ecclesiae saeculis distinctione paroeciarum facta et per Concilium Trid. c. 13 *sess.* 24 *de Refor.* iterum inculcata, cuilibet paroeciae praepositus sit Presbyter cui animarum cura omnium ibi degentium sit speciali ratione commissa: tamen rationabilem consuetudinem, quae aliquo modo huic universali disciplinae deroget, non reprobari.

H. Rationabilem censeri consuetudinem legitime invectam, qua Canonici Cathedralis ecclesiae ultima sacramenta suis Gollegis administrent, funera peragant et humi tradant defunctos Canonicos independenter a proprio Parocho.

III. Hanc consuetudinem in tota fere Gallia vigere, quae et confert ad divini cultus pompam et ad fraternam charitatem inter Canonicos fovendam, qui senatum constituunt Episcopi et Dioecesis.

EMPTIONIS VENDITIONIS.

Die 1 Dec. 1866 et 16 Febr. 1867. *Sess. 25 c. 11 de Ref.*

€onpendinm facti. Ex iniqua demagogorum lege quaedam Religiosa Regularium domus cum adnexo praedio fuit Gubernii dominio vulgo *Demanio* mancípala. Religiosi viri, qui in ea degebant, in adsignata parte domus eiusdem manserunt. Cum autem haec domus peculiari Ordinis memoria esset insignis, non omiserunt Regulares, eo modo quo poterant, eam ex naufragio tutam reddere. Virum scilicet Pomponium elegerunt, eumque invitarunt ad instituendum ipsorum expensis collegium - convictum , dummodo hoc constitueretur in ea domo, inito quodam ut videtur societatis contractu : eamque domum locationis contractu , tempore quo fieri posset diuturniori duraturo, a Gu-

bernio acciperet, conditione ipsi Pomponio apposita coadiuvandi Regulares quavis ratione ut emere dein possent domum praediumque adnexum.

At paulo post cum publicae venditioni domus proponeretur, alius contractus initus fuit, scilicet: « Superior Regularium au-
» etoritatem facit Pomponio emendi proprio nomine Religio—
» sam domum et praedium » et vicissim « Pomponius ratus eos
» Regulares coram Ecclesia et Deo dici posse dominos illius
» domus, promittit se ipsis restituturam, tempore quo eam pos-
» sidere poterunt facta sibi expensarum dumtaxat restitutione. »

His ita compositis , obtentisque necessariis facultatibus ab auctoritate ecclesiastica, Pomponius ad emendam domum concurrit.

Inter alios, qui eam Regularium domum ad rectum quidem finem affectabat, erat Sacerdos quidam; qui tamen Regularium suasionibus motus, et noscens Pomponium inter licitatores nomine Regularium agere ut domum Regularibus ipsis servaret a suo proposito discessit.

Hoc obice itaque remoto, Pomponius accepta a Regularibus vi pecuniae libel. 25000 , coram tabellione declaravit: « se pa-
» ratum esse ad emendam domum proprio nomine , sed ta-
» men ut in utilitatem cederet Regularium , eamdem domum
» emere pretio et conditionibus quibus Regularibus placuisset..,
» Se eam interim ad usum et plenam dispositionem relinquere
» familiae Regularis.... se suo tempore *retrocessionem* prout de
» iure esse facturum Regularibus quando et quomodo ipsis pla-
» cuerit aut convenerit. »

Cum autem non expediret ut omnes conditiones in hac publica declaratione exprimerentur , peculiaria pacta occulte inire placuit. Ideo, prout in praesens Regularis Superior narrabat, parata fuît quaedam Scriptura a Religiosis, in qua clare elucebat, eam emptam domum esse in pienissimo Regularium dominio, ita ut Pomponius simplex administrator appareret.

Sed haec scriptura in qua articuli conventionis clare erant expressi , fatente Regulari Superiori, non placuit Pomponio, ideoque altera conventio intercessit in qua fuit declaratum: « Cum
» Pomponius non emerit sibi, sed Regularibus ecclesiae N. a
)> quibus pecuniam quam solvit, habuit, qui et aliam promiserunt,

» quam adhuc solvere debet ... Cupientes partes, ut clara prae-
» cisaque ratione de conventione statuta constet.... declarant ac
» statuunt quod sequitur: Pomponius emit domum Religiosam et
» praedium pecuniis a Regularibus habitis ut eas pecunias ad-
» ministret in commodum et utilitatem eorumdem'Regularium, et
» tamquam absolutus dominus coram lege: primo manente propo-
» sito, quo coram Ecclesia et Deo fundi proprietas integre per-
» tineat ad dictos Regulares , et ita ut Pomponius erga eos sit
» simplex administrator. »

Post haec et similia cohaerentia factorum adiuncta, quae ex documentis a Regularibus allegatis hauriebantur, ita negotium processisse narrabat Regularis Superior: « Consilium definitorium
» illius provinciae erigere statuit Collegium nauticum suis eipen-
» sis cuius Rector, annuo honorario libell. 2400 praeter alia
» emolumenta , idem Pomponius esset. At duos post annos Pom-
» ponius officium simplicis Procuratoris confidentialis posthabens,
« sine Regularium consensu per actum Tabellionis suo fratri ces-
» sit Collegii directionem et usum domus. Consilium definitorium,
» cum incassum cessissenl quaerelae et conciliationis proposi-
» tiones, audito iurisconsultorum voto, Pomponium e suo Re-
)) ctoris Collegii oflicio et Administratoris domus locorumque ad-
» nexorum cecidisse declaravit. Res eo usque processit ut coram
» civili Tribunali Pomponius fuerit citatus.... idemque tamquam
)) Dominus etiam coram Ecclesia se gesserit innixus quibusdam
» theologorum opinionibus. »

Audita itaque relatione Ordinarii, auditisque partibus contendentibus, quaestio proposita est S. Congregationi sub dubio quod in calce prostat.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE ADDUCEBANT sui FAVORE REGULARES. Quoniam cardo quaestionis in eo consistebat, an Pomponius regularem domum cum adnexo praedio emerit pro Regularibus ita ut ipse non esset nisi simulatus emptor, observabatur ad contractus simulationem adstruendam satis esse ut constet de causa simulandi duabus praeterea vel tribus coniecturis concurrentibus ut tradunt Mascard. *de Proh. conci.* 438 *n.* 3 *et seqq.* Farinacc. *Var. quaest, de fais.*

simul. q. **162** *n.* **9, Rota in dec. 262** *n.* **17** *p.* **11** *rec. in Ferrarien. Immissionis* **12** *Ianuar.* **1749** *n.* **7 etc. Ast in praesenti themate causam simulandi adesse hinc in iniqua civili lege quae Gubernii dominio aliena bona addicebat, inde vero in Regularium cura et studio servandi Conventum praeclarissimum: coniecturas pariter scatere ex pactis initis erigendi in ea domo collegium cuius ipse Pomponius conductor apparere debuisset, licet realiter non esset nisi Regularium Delegatus et Procurator eorundem.**

Sed haec omnia in plena luce ponebantur ex apertis variorum pactorum verbis, quibus Pomponium non aliud esse constabat, nisi emptorem, qui bona Regularium acquisierat, non sibi sed ipsis Regularibus.

QUAE ADDUCEBANTUR FAVORE POMPONII. **Pomponius conabatur Regularium argumenta evertere. Quae enim emptionem praecesserant societatis contractum respicere testabatur quoad collegii erectionem: pacta vero inita circa emptionem, peculiaria quidem emolumenta Regularibus tribuere, minime tamen impedire quominus controversa bona religiose sibi acquirere potuisse, scilicet cum omnibus conditionibus ab Ecclesia nunc temporis praefinitis, quarum vigore dominium resolubile favore religiosae familiae remaneret, quoties religiosa familia eorum bonorum possessionem habere civili lege non prohiberetur. Idest quadam abstracta seu sophistica loquendi ratione intelligebat Pomponius sibi pertinere eorum bonorum dominium, acquisitum sibi ut iuvaret Regulares iuxta Ecclesiae (ut inquiebat) spiritum, ita ut, quoties Ecclesia secus non disposuerit, cum irrita et nulla sit suppressio a civili auctoritate facta, hoc tantum sensu** *fortasse* **posse eosdem Regulares uti dominos reputari. Ita Pomponius.**

His aliisque similibus adductis , propositum est ex parte Regularium

nubium,

« **An emptio venditio sit facta favore** *(Pomponii),* **seu potius » favore Patrum** *(Regularium)* **in casu.** »

RESOLUTIO. — **S. Congregatio Concilii, die 16 Februarii 1866 causa cognita, respondere censuit :** *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* **Reproposita causa die 25 Maii 1867 , S. C. stetit** *in decisis* **adiecta clausula** *et amplius.*

Ex HIS COLLIGES /

I. In publica et iniqua bonorum Ecclesiae compilatione quae licitationi exponuntur posse eadem bona redimi, debitis conditionibus servatis ab ecclesiastica auctoritate impositis.

II. Non enim est illicitum, ut ille qui bona ecclesiastica iure possidet, eadem e suis manibus, iniqua lege, erepta, alieno nomine redimat, dummodo scandalum simulatus emptor a se avertat.

III. In hoc agendo negotio probos viros esse quaerendos, ne damnum legitimo possessori sit duplex (1).

(Ì) Ad declinandam confusionem,quae ex variis actibus inter Regulares et Pomponium gestis oriebatur, a qua confusione neque ipsa dubitandi formula a Regularibus proposita videtur immunis, hic emptionis contractus potest considerari sub triplici generali ratione, 1. quatenus esset emptio Religiosae domus cum praedio in licitatione facta a Sempronio ut ea bona, nulla facultate habita, sibi acquireret: 2. quatenus esset emptio cum facultate Apostolica ea tantum de causa concessa ut declinentur censurae, et ad bona ecclesiastica ecclesiae ipsi tutius servanda: 3. quatenus esset emptio hac secunda ratione considerata, cui praeterea adiecta fuerint specialia pacta.

Sub hac triplici ratione emptio considerata, in primo casu praeter *nullitatem contractus* **Sempronius incidisset in censuras ecclesiasticas ; in secundo casu, in censuras quidam non incidisset, sed simplex eorumdem bonorum custos et administrator evasisset, qui eadem bona cum suis fructibus servare ecclesiae debuisset; in tertio casu praeter haec, Sempronius pacta servare tenebatur , quae in favorem Regularium seu causae piae inita fuerint, nunquam vero vindicare sibi potuisset dominium, quod quidem dominium in rebus Ecclesiae nemo ex contractu potest acquirere, nisi eiusdem Ecclesiae, interveniat specialissima approbatio; quae nunquam conceditur, nisi aequitate contractus accurate perpensa et canonica interveniente causa. Quare ipsa dubitandi formula a confusione quadam non est immunis, quae supponit emptionem fieri potuisse favore Sempronii. Quidquid itaque conventum fuerit inter Sempronium et Regulares, nunquam Sempronius rerum dominium quodvis vindicare sibi poterat; eo vel magis quod ex multiplicibus actibus nihil aliud esse appareret, quam Regularium negotiorum gestor vel Procurator.**

Caeterum cum Sempronius ad *Ecclesiae spiritum* **appellaverit, abs re non erit eidem commemorare, hunc esse spiritum illius qui iuxta** *Apoc. cap.* 19 *v.* 11 *et seqq.* **est «** *Fidelis et Ferax et cum iustitia iudicat et pugnat.... et de ore eius procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat Gentes, et ipse reget eas in virga ferrea, et ipse calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis, et habet in vestimento et femore suo scriptum:* REX REGUM KT DOMINIIS DOMINANTIUM.»

Die 6 Iulii 1867.

SUPPLICES PRECES. — Beatissime Pater. « Cum Dignitates ac Canonici in Metropolitana ecclesia N. impares sint numero, quo sacrarum functionum solemnitas saepe indiget, providere oportet de Canonicis ad honorem, qui cum titularibus concurrant. Quapropter sacrae Concilii Congregationi sequentia dubia pro resolutione submittere decrevi:

I. « An Archiepiscopus privative a seipso Canonicos ad ho» norem nominare, etiamque hunc honorem quibusdam officiis » veluti Doctoribus Seminarii, Parochis civitatum etc. assignare » valeat vel potius hoc agere consensu vel consilio Capituli.

II. » An Canonici ad honorem sedere valeant in choro ante » vel post Portionarios et Semiportionarios titulares qui licet » ministrare debeant uti Diaconi, ac Subdiaconi , sunt tamen » de Corpore Capituli.

III. » An paramenta sacra in functionibus pontificalibus ac» cipere debeant Canonici ad honorem, Planeta vel potius Dal» matica, seu Tunicella parari teneantur.»

RESCRIPTUM. — Die 6 Iulii 1867 S. Congregatio iuxta Resolutiones alias in similibus editas, propositis quaestionibus taliter respondendum censet, nimirum :

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative post omnes portionarios et semiportionarios, quatenus et ii inter canonicos recenseantur et eodem gradu ac caeteri Canonici in Choro sedeant.

Ad III. Si Capitulares sint distincti per ordines, nimirum presbyteralem, diaconalem et subdiaconalem, Canonicos honorarios induere debere tunicellam, secus eamdem vestem communem Canonicis titularibus cuiuscumque ordinis sint.

EX QUIBUS COLLIGI POTEST :

I. Canonicos honorarios, qui praesenti aetate ad augendum divinum cultum et Episcopi senatum decorandum in multis Ca-

pitulis instituuntur, creari per Episcopum cum consensu Capituli? vel etiam viceversa per Capitulum cum consensu Episcopi (1).

(i) De Canonicis honorariis, qui nostra aetate in multis diversarum regionum Capitulis praesertim in Gallia creantur, non desunt in iure Canonico quaedam vestigia; hac in re consuli potest Fagnanus in *Cap.* **25** *Dilecto filio, de Praeb.* **In eo Fagnanus mentionem facit de supranumerariis Canonicis haec tradens** *n.* **23** *et seqq.* **«Nulli dubium est, quin » Canonici cum Episcopi consensu, et » Episcopus cum consensu Capituli pos» sit numerum Canonicorum augere.... » praesertim vero, quia huiusmodi aug» mentum cedit in utilitatem ecclesiae » cuius interest plures habere consiliarios » et defensores ac ministros... suffraga» tur praedictis decisio alias edita a » S. Congregatione Concilii, videlicet pos» se ab Episcopo Canonicos supranume» rarios creari, ea tamen conditione ut » nullum ius ad Praebendam vacaturam » habeant vel vindicent sibi ex tali ere» ctione. » Idemque Auctor de Canonicis honorariis mentionem faciens** *in c,* **19** *Dilectus eod. tit. n.* 9, **cum Abbate dicit non multos debere sic recipi, ne hoc tendat in dedecus ecclesiae.**

Nihilominus Canonici honorarii, qui rostra aetate florent, differunt ab iis Canonicis supranurnerariis de quibus mentio fit in iure. Identidem enim honorarii Canonici nostrae aetatis non sunt aliud nisi dignitates ventosae, prout eos appellat Fagnanus *I. cit. n.* **10 identidem sunt tales Canonici, quibus non aliud deest nisi canonicalis Praebenda, ideo quia pro locorum ratione canonicales Praebendae vel desunt, vel paucae suut, proindeque ad augendum Episcopi senatum, necesse est, ut alii sine Praebenda advocentur: vel etiam quia iuxta anomalum ius nostra aetate pluribus in locis invectum, paucae sunt pensiones quas Gubernium civile, bonis Ecclesiae subtracta, Canonicis assignavit.**

Invalescens Canonicorum honorariorum institutio repetenda est ab indigentia, qua praesenti aetate premitur Ecclesia ex compilatione bonorum a Guberniis facta: qua indigentia posita, Ecclesia alia ratione sibi succurrere cogitur, ut iuxta' veteres ecclesiae mores Episcopus suum habet honorabilem senatum.

Sed quando nova institutio oritur, novae leges sunt determinandae, quibus eadem institutio dirigatur. Eiusmodi leges adhuc haberi non videntur; namque Canonicorum munus non finitur sola celebratione divinorum officiorum , sed duplici alio nobilissimo munere Canonici funguntur, quorum unum est, in pluribus negotiis dioecesis administratio sub Episcopo et cum Episcopo, cuius consiliarii etiam appellantur; alterum autem est iurisdictio, quae in Capitulum devolvitur sede episcopali, iure aut facto, vacante. Quaeri itaque potest in eiusmodi muneribus quamnam partem habeant aut habere possint Canonici honorarii in eiusmodi adiunctis cum deficiant Canonici titulares. De qua re dicere, cum iura sileant, ad nos non pertinet.

Ex hac autem nova invalescente institutione, quisque percipit, quam facilis sit in rebus humanis regressus ad exordia rerum; cum enim ob praesentem societatis humanae conditionem , idest propter eos, qui societatem christianam regunt, Ecclesia pedetentim in statum deveniat in quo reperiebatur prioribus saeculis, sub variis nominibus varioque adspectu disciplina paulatim exurgit similis illi, quae in Ecclesiae incunabula in vigore erat; ut scilicet Episcopus cum Clero in sua

II. Eosdem Canonicos honorarios locum habere in choro post Canonicos titulares, quocumque hi appellentur nomine.

III. Eas induere vestes, quas ultimi titulares Canonici induunt, quatenus distinctam per ordines vestem habeant.

DE FACULTATE NOMINANDI PAROCHUM A REGULARIBUS ILLEGITIME SUPPRESSIS.

Die 8 Ianuarii 1867.

SUPPLICES PRECES. Procurator Generalis Congregationis Clericorum Regularium N. N. quae adnexam quibusdam domibus habet animarum curam hactenus per unum ex Regularibus exercitam per praesentationem a Superiore factam iuxta morem, et per acceptationem Ordinarii, humiliter exponit, post generale suppressionis decretum ab Italico Gubernio editum, quasdam episcopales Curias dubia excitasse circa iura quae pertinere possint ad Religiosos dictae Congregationis super paroeciis quas ipsi possident in territorio eidem Gubernio subiecto; petitur itaque:

I. An Parochi Regulares possint ac debeant permanere in propriis paroecialibus locis absque ullo alio novo actu nominationis et destinationis.

II. Si aliquis ex his Parochis Regularibus deficiat, manetne ius superioribus Instituti praesentandi Ordinario loci unum ex propriis religiosis eadem ratione ac eadem forma antea servata, suppositione facta posse servari in eodem loco pro ecclesiae pa-

cathedrali ecclesia speciatim adscripto suis muneribus fungatur.

Neque esset mirum in praesentibus rerum adiunctis si paullatim iterum exurgeret antiqui Archidiaconi, aut Archipresbyteri iurisdictio, quam ob graves rationes Ecclesia pedetentim abolevit, praesertim per institutionem Vicarii Generalis ad nutum Episcopi amovibilis. Illa vero iurisdictio sub alio nomine facile reviviscit, quando munus Generalis Vicarii eum aliqua canonicali Praebenda connectatur, aut si Praebenda desit, Vicarius tamen Generalis praesit tanquam unus de Clero in Cathedrali speciatim adscripto.

roecialis servitio parvam religiosam familiam , sin minus tanquam ens morale per civilem administrationem recognitum, saltem tamquam associationem vi communis iuris quod libertatem associationis admittit ?

RESCRIPTUM. « Die **8** Ianuarii **1867** **S.** Congregatio Emorum **S. R.** E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum iuxta exposita respondit : *Ad i et IL Affirmative, ita tamen ut in casibus particularibus, praesertim de novis edendis nominationibus , seu praesentationem Parochorum, Superiores Regulares, collatis consiliis, conveniant prius cum respectivis locorum Ordinariis.* »

Ex HIS COLLIGI POTEST:

i. Quamvis per violentiam dissoluta Regulari familia, eaque cessante , cesset consequenter iurium exercitium quae eidem competebant familiae uti tali: nihilominus aliquo modo eadem familia manente , ea iura non cessare quae cohaerere possunt cum statu quo eadem familia violentiae causa reperitur.

II. Suppressio enim ab illegitima potestate peracta ex se nullum producit iuridicum eifectum, quamvis per accidens iurium exercitium cesset identitem necesse sit ex violenta dissolutione subiecti cui iura inhaerebant.

III. *Non enim praestat impedimentum quod de iure non sortitur effectum,* Reg. iuris 52 in 6°.

SUPER FUNDIS BENEFICIALIBUS.

Die i *Februarii* 1867.

Compendium facti. Titius suo testamento, anno 1654 confecto, erigi iussit Altare in templo N. sub titulo,s. Antonii Patavini, ibique singulis ferialibus diebus celebrari Missam voluit adsignata"annua eleemosyna scut. 43 solvenda ex redditibus suae haereditatis. Hanc ultimae voluntatis exsecutionem suo fratri commisit, qui tamen anno 1656, verba dicti testamenti non omnino secutus, erectionem Beneficii simplicis in suo testamento fieri iussit, ac haeredibus et descendentibus ius patronatus reservavit, relicta Ordinario confirmatione Cappellani. Ex suis autem bonis Cappellano assignavit eundem redditum annuum scut. 43, iisdem adiectis obligationibus, quas Titius eius frater praescripserat.

Nonnullis deinde exortis controversiis, eiusmodi voluntas plenum non obtinuit effectum nisi anno 1751, quo tempore facta legali bonorum assignatione, quae statutum redditum scut. 43, singulis annis daret, decretum erectionis" Beneficii a Curia fuit emissum.

Id quod maxime notandum est, in bonorum designatione et separatione non fuisse comprehensum quemdam fundum *Beccavamo* **appellatum, qui ex contractu locationis-conductionis modo redditus annuos dabat scut. 22.**

Nominatus fuit ad simplex hoc Beneficium anno 1774 Gaius ex eiusdem familia descendens, qui annos fere 60 Beneficium possedit, quique decessit anno 1831 Inter bona huius Beneficii *de facio* **repertus est dictus fundus** *Beccardino* **appellatus.**

Dein alter Sacerdos ad Beneficium nominatus inter Beneficii bona habuit etiam eundem fundum: quod factum pariter est in tertia nominatione quae contigit anno 1854, quam quidem nominationem fecit mulier Agnes ex eadem familia superstes cum sua sorore.

Cum autem Agnes quae, mortua deinde sorore, ex dicta familia superstes extitit, ad inopiam redacta esset, supplices preces SSmo D. N. admovit quibus inter caetera petebat, ut fundus *Beccavamo* sibi restitueretur, cum hic fundus anno 1751 inter Beneficii bona minime fuerit adscriptus; eumque inter quaedam bona reperiri, inquiebat, iidecommissaria, quorum bonorum possessio ad se tanquam ad unicam supertitem modo pertineret.

Audita relatione et voto Ordinarii, facta petitionis notificatione Beneficiato, aliisque servatis, quaestio in disceptatione posita est sub dubio quod infra ponitur.

Disceptatio synoptica.

Contra Agnetis petitionem inter caetera dicebatur, etiamsi constaret fundum *Beccardino* inter Beneficii bona non fuisse comprehensum, tamen Oratricem ostendere concludenter debuisse, eundem fundum ad familiam Titii pertinere. Quin imo etiamsi id ostenderetur, manere tamen praesumptionem, ipsum fundum vel tacite vel expresse Beneficio fuisse donatum: cui accedere longaevam possessionem, qua tanquam Beneficii fundus fuerat absque ulla contradictione in usque praesens existimatus.

Contra favore Agnetis dicebatur, constare in facto, ante annum 1751, quo Beneficii seu Cappellaniae dos constituta fuerat, fundum illum nullimode reperiri; si itaque eo tempore fundus ille ad Beneficii dotem non pertinuit, eundem esse non potuisse nisi Caii ex eiusdem familia descendentis, qui anno 1754 Beneficium habuit, illudque retinuit per annos 60: nihil autem facilius quam eiusdem Caii fundum commixtum fuisse cum fundis Beneficii, atque dein tanquam eiusdem Beneficii dotem reputatum. Quod si nemini locupletari licet cum aliena iactura, id multo minus Ecclesiae licere.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium,

« An et quomodo annuendum sit precibus Oratricis. . . pro » libera restitutione fundi *Beccardino*. . . . in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Episcoporum et Regularium cognita causa die 1 Februarii 1867 respondere censuit: *affirmative*

pro restitutione fundi Beccardino : *quo vero ad fructus eiusdem fundi usque ad notificationem Beneficiato petitionis S. Congregationi exhibitae, negative in omnibus, attenta bona fide: quoad fructus denique posteriores, esse locum restitutioni in summa scutatorum viginti de bono et aequo.*

Ex HIS COLLIGES :

I. Quemadmodum S. Sedes bona, quae ex tostissima fidelium voluntate cum adnexis piis oneribus Ecclesiae fuerint relicta, sarta tectaque vult inviolabiter servari ; ita a bonis retinendis , quae legitime Ecclesiae relicta esse non noverit, omnino abhorrere. ~

II. In restitutione alieni fundi , qui fuerit bona fide possessus, iustitiam non exigere, ut percepti ex eo fructus, ad honesta possessoris alimenta , restituantur.

III. Restitui tamen eosdem fructus debere, quoties mala fides incoeperit, a tempore scilicet quo fundus litigiosus evaserit, iisdem taxatis fructibus de bono et aequo (1).

(i) Horum principiorum aequitas nota fuit apud antiquos sapientes ; sic enim legitur in *Instit. lib.* **2** *tit.* **1 §. 35. « Si » quis a non domino, quem dominum » esse crediderit, bona ûde fundum eme- » rit, vel ex donatione aliave qualibet » iusta causa aeque bona fide acceperit, » naturali ratione placuit fructus, quos » percepit, eius esse pro cultura et cura; » et ideo si postea dominus supervenerit » et fundum vindicet de fructibus ab eo » consumptis agere non potest. Ei vero » qui alienum fundum sciens possèdent, » non idem concessum est, itaque cum » fundo etiam fructus, licet consumpti » sint, cogitur restituere.»**

Die 6 Maii 1864 et 27 Aprilis 1866.

In hac causa, quae tola in facto consistit, cum propinqua esset eiusdem resolutio, incidentalis quaestio mota fuit a Coílectoribus R. Camerae, quae *Spoliorum* dicitur: hanc incidentalem quaestionem referimus, indicata tantum causa principali.

Compendium facti. Capitulum N. facultate obtenta, in emphyteusi m tradidit quosdam fundos ad tertiam generationem statuto canone : cum autem in eosdem fundos seu terras gravaret, servitus iuris pascendi favore Communitatis loci, conventum fuit, ut quoties contigerit ut fundi ab eiusmodi servitute liberarentur,* ius pascendi cederet in Capituli favorem, ita ut hoc in casu locum habere deberet *aequum* canonis augmentum ab Emphyteuta solvendum favore Capituli.

Revera anno 1849 Emphyteuta partem horum fundorum ab ea servitute legitime liberavit, quamvis inscio Capitulo. Cum autem iuxta pacta conventa agendum esset de aequo canonis augmento, partes non statim convenerunt, ac proinde pluries quaestio proposita fuit coram S. C. Ep. et Reg.

Tandem anno 1863 tum Capitulum tum Emphyteuta in quoddam canonis augmentum convenerunt, ac fructus perceptos ab Emphyteuta ab anno 1849 usque ad annum 1863 et nondum solutos Capitulum ipsi Emphyteutae condonavit. Propositis huius Concordiae articulis coram S. C. sub dubio: « an et quomodo « approbanda sit concordia diei 9 iulii 1863. » S. Congregatio die 6 Maii 1864 respondit: *affirmative in omnibus ita tamen ut redemptio iuris pascendi facta intelligatur nomine et favore Ca* pituli.*

Hac emissa resolutione reclamarunt Collectores R. Camerae, Spoliorum circa condonationem a Capitulo factam Emphyteutae, contendentes, fructos ab Emphyteuta antea perceptos et nondum solutos ab anno 1849 , ad an. 1863 ad R. Cameram Spoliorum spectare : implorabant itaque ut datae Resolutioni ad-

derentur haec verba : *salvo iure B. C. Spoliorum exigendi ex Praebendis de quibus agitur, omnes fructus inexactos ab an.* 1849 *ad an.*1863.

Disceptatio «ynopttca.

IURA QUAE DEDUCEBANT COLLECTORES FAVORE R. CAMERAE SPOLIORUM.—Contendebant Collectores, Capitulum N disposuisse de re non sua, idest de dictis fructibus inexactis quos Emphyteutae condónaverat : praemittebant principium , fructus cuiusvis Beneficii *a die obitus* Beneficiarii usque *ad diem adeptae* possessionis illius , qui Beneficio sufficitur, pertinere ad S. Sedem seu ad -B. Cameram Spoliorum, quae eosdem fructus colligit , ut erogentur in necessitates Missionum pro fidei propagatione.

Ad haec comprobanda adducebant Pontificias Constitutiones, nominatim Bullam Pii IV. *Cupientes malitiis hominum,* diei 25 Aprilis 1561 in qua hoc fuit dispositum: « *Omnes et singulos fructus omnium Beneficiorum ecclesiasticorum cum Cura et sine Cura et quorumvis Ordinum Bugularium in partibus Italiae, in quibus Collectores et Subcollectores Spoliorum et iurium Camerae Apostolicae esse consueverunt per obitum aut alio quovis modo pro tempore vacantium ad diem vacationis ipsorum pro rata temporis usque ad diem provisionis seu commendae de iisdem Beneficiis per nos faciendae de qua etc. eidem Camerae auctoritate Apostolica tenore praesentium reservamus, applicamus, incorporamus et appropriamus, illaque ei reservata, applicata, incorporata et ap^ propriata esse et fore et ad illam spectare et pertinere.* »

Item Sixtus V. statuit per Litteras Apostolicas sub annulo Piscatoris die 1 Ianuarii 1589 , quas refert Carolus Gagliardi *De Benef. c.* 61 *de Spolio* §. 18 ubi legitur: « *Omnes et singulos fructus, redditus, proventus quorumcumque Beneficiorum . . . . quocumque mense pro tempore vacantium tam ante obitum illorum possessorum pendentes et maturatos, ac etiam a solo minime separatos, seu nondum exactos, quam etiam post eorum obitum usque ad diem captae possessionis dictorum Beneficiorum per successores in eis maturandos seu decurrendos pro rata temporis ad ipsam Cameram Nostram spectare, illosque eidem Camerae Apostolicae applicatos esse volumus atque statuimus.* »

His Constitutionibus addebant, Auctorum doctrinam, quam scilicet docet Ludovicus a Valle *Praxis Gollectoriae Apostolicae par.* 2 *cap.* I, ibi « Vacantibus Ecclesiis et Beneficiis per obitum » Praelatorum ac Beneficiatorum , vel alias quomodolibet pro)) tempore earum vacationum omnes illorum fructus, redditus » et proventus, obventiones, iura emolumenta quaecumque si- » cut spectabant ad ecclesiam et successorem in ea, hodie spe- » ctant a die obitus usque ad diem adeptae possessionis ad Ca- » meram Apostolicam quae succedit loco ecclesiae et successoris, » prout cavetur expresse in Constitutionibus Apostolicis Pauli III. » an. 1537, Iulii III. an. 1554, ac Gregorii XIII. an. 1567. »

Item Vincentius Filliucci *de Spoliis Cleric. c.* 6 *n.* 5 , nec non Aloysius Panimoll. *Decis.* 20 *adn.* 2 n. 5 ubi tradit: « *Fru- to* ctus pendentes inexacti et percepti a die vacationis Beneficii » iure antiquo spectabant ad ecclesiam vel ad successorem usque » ad legitimam provisionem et actualem possessionem. Iure vero)> novo in locis ubi adsunt Collectores Apostolici percipiuntur per » Cameram ex Const. Iulii HI. , quae in his materiis est Came- » ralium fundamentum , et ex alia Constit. Gregorii XIII., et ex » Constit. Sixti V. edita de anno 1589 die 1 Ianuarii. »

Item Decisiones S. Rotae, et nominatim in *Asculana Restitutionis* 25 *Iunii* 1832 *coram De Silvestris* §. i.

Quae quidem quam congrue statuta fuerint, eruebant et illustrabant ex civilibus dispositionibus, */. si pendentes ff. de Usufr. et Inst. lib.* 2 *tit.* 1. Quibus consone Iulius HI. in suo *Motu proprio. Cum sicut Nobis,* quinam sint pendentes fructus ita declaravit ac disposuit « *Donec ipsi Beneficiati pecunias huiusmodi realiter non exegerint et fructus non perceperint, neque eum aliis eorum bonis commiscuerint et sibi incorporaverint, semper ipsarum Ecclesiarum, quarum ipsi Beneficiati sunt, ac vere eeclesiasticos esse et censeri debere.* Et idem Pontifex subiungit, nec ipsos Cardinales de iis disponere posse, quamvis per eos non steterit quominus illos fructus exegerint ; ita enim prosequitur : « *Fructus , pecunias et res alias per ipsos sic defunctos Beneficiatos, Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas et alios Prelatos et Cardinales ante eorum obitum non exactos, etiamsi pro tempore ante obitum huiusmodi decurso debeantur ac eorum solutionis dies Beneficialis et Cardinalibus viventibus advenerit et per ipsos Beneficiatos et Cardinales non*

steterit, quominus illos non exegerint; quin immo omnem pro illorum exactione necessariam diligentiam, etiam iudicialiter agendo, fecerint quoquomodo exigere etc.

Hisce praepositis dispositionibus Collectores concludebant : cum in urbe N. habeantur Collectores R. Camerae, cum fructus ex redemptione iuris pascendi ab an. 1849 usque ad an. 1863 non fuerint exacti, cum decem Canonicatus sive per obitum sive per resignationem interea vacaverint, eiusmodi fructus haud exactos ad Cameram Spoliorum pertinere ; ideoque frustra Capitulum de iis disposuisse, eos Emphyteutae condonando, cum de re non sua disposuerit : *Nemo enim plus iuris in alium transferre potest^ quam quis habet, I.* 120 *ff. de Reg. Iur.* item, *Id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transire non potest, I.* 30 *ff. eod. tit.*

Non rninori eruditione iidem Collectores reiiciebant, quam sibi proponebant, obiectionem, inquientes : neque dicatur in praesenti themate agi de fructibus ex Canonicatibus communis massae provenientibus, quo casu exercitium iurium Spoliorum locum non habeat : namque, respondebant, id falsum esse *in iure* et *in facto.* Falsum quidem esse *in iure;* nam tum tantum Canonicatus vere et proprie *de Massa communi* sunt dicendi, ne subiiciantur spolio, quando et *proprias Praebendas* non habent, et quando hae Praebendae *non sunt vacabiles :* non enim communis Praebendarum canonicalium administratio, quae pro meliori oeconomiae distributione iieri solet, eiusdem Canonicatus reddit *Massae communis.* Massae autem communis eos Canonicatus dumtaxat Collectores intelligebant, qui adsunt in ecclesiis quae *non numeratae* aut *receptitiae* appellantur, quae describuntur a Lotter. *de Benef. I. i q.* 14 *n.* 14, et Berardi *Comment. Iur. Eccles, vol.* 1 *diss. i de Benefic. eccles, c.* 3. ubi tradit : « Generaliter autem tempore circumscripta esse videntur bene-
» ficia, quae Clericis conferuntur in illis Cathedralibus vel Col-
» legiatis ecclesiis in quibus non est determinatus numerus Prae-
» bendarum, quarum propterea modo plures, modo pauciores
)) pro arbitrio Episcopi vel Capituli arbitrio demonstrantur, *ar-
» gum. c.* 25 *de Praeb. c.* 9 *de Constit, et c. ult. de Concess. Praeb.
» in* 6°. In istis enim ecclesiis quae *receptitiae* nuncupantur,
» propterea quod tot recipiantur in illis Clerici, quot ali possint

» iuxta adauctas vel imminutas conventiones ex prudenti Epi-
» scopi vel Capituli arbitrio censentur Beneficia non universa
» quidem, sed singula adeo personae Clerici adhaerentia, ut cum
» ipsa Beneficiarii persona, quodammodo intereant; *unde mortuo*
» *Clerico Beneficiario, non proprie vacare, sed cessare Beneficium*
» *dicitur.* »

Porro ostendebant, in Capitulo N. adesse duodecim Praebendas canonicales, et duas Dignitates, quas quidem singulas Praebendas singuli Canonici sui favore administrabant, excepto quodam proventu ex frumento (qui est praesentis causae obiectum) qui diribebatur a Canonico camerario : quin imo iidem Collectores contendebant neque hunc proventum *Massam communem* constituere posse.

Ad quaestionem *facti* devenientes ostendere studebant Cameram Spoliorum sua iura exercuisse ab antiquis temporibus circa Canonicatuum vacantium redditus fructusque pendentes etc. quin imo etiam circa proventum praedictum ex frumento.

QUID REPONERET CAPITULUM. — Paucis verbis respondebat Capitulum his deductionibus per Collectores propositis , inquiebat enim Canonicos semper gavisos fuisse *iure accrescendi,* ita ut proventus non exacti Canonicis praesentibus accrescerent; neque unquam Collectores Spoliorum sese ingessisse in Capituli iuribus in casibus vacationum; quod si aliqua vice id tentaverint repulsos iure fuisse.

Hisce disputatis in causa incidentali propositum fuit dirimendum

Dubium.

« An et quomodo recedendum sit a Resolutione capta die **6**
» Maii 1864 et 28 Iulii 1865 in casu?»

RESOLUTIO. — Die 27 Aprilis 1866 S. Congregatio Epis, et Reg. iterum causa discussa respondere censuit: *In decisis et amplius : et ad mentem, mens est, ut exceptis fructibus decursis de quibus in Concordia salva sint iura R. Camerae Spoliorum prout et quatenus de iure.*

Ex HIS COLLIGES:

I. Beneficiarios in bonis ecclesiasticis, quae fideles Ecclesiae relinquunt ad divinum cultum, considerari tanquam usufructuarios; quorum quidem bonorum ordinatam supremamque administrationem ad Ecclesiam universam pertinet, seu ad eum qui ecclesiae universae uti Christi Domini Vicarius praeest.

II. Quare, possessione Beneficii legitime cessante, fructus omnes cedere posse vel in bonum peculiaris ecclesiae ad cuius cultum sunt immediate destinati, vel in bonum successoris, Beneficio legitime suffecturi, vel in bonum universalis Ecclesiae prout pro ratione locorum et temporum fuerit a suprema potestate dispositum , aut legitima consuetudine invectum.

III. Ex communi quidem iure eiusmodi fructus pertinere ad ecclesiam eorumdem Beneficiorum vacantium, vel ad successores eorundem (1).

IV. Exigente utilitate et necessitate, eiusmodi fructus ex variis locis praesertim ex Italia, exactoribus seu Collectoribus a S. Sede constitutis, ordinatos fuisse in bonum ss. Missionum.

(i) Noa abs re erit heic recolere *c.* 9 *de Offic. Ordinar, in* 6[u], in quo apparet in quos usus sint impendendi ex communi iure fructus Beneficiorum vacantium; quod lucem etiam fortasse affert, illis, si qui sint, qui bona ecclesiastica in Italia a Praedonibus publicis usurpata, debitis conditionibus servatis, emerint: cognoscent enim quid Ecclesia disposuerit circa Beneficiorum fructus, quae suis destituta sunt Rectoribus. Sequens est huius dispositionis tenor : « Praesenti prohibemus edicto, ne Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu quivis alii Regulares vel Saeculares Praelati aut ecclesiasticae quaecumque personae, vacantibus Dignitatibus, Personalibus, Prioribus, vel ecclesiis, quibuscumque sibi subiectis, seu ad collationem, ordinationem, praesentationem, vel custodiam pertinentibus, eorumdem bona (morientibus eorum Rectoribus, vel Ministris) in ipsis inventa, sive vacationis ipsorum tempore obvenientia, quae in utilitatem eorumdem expendi, vel futuris debent Successoribus fideliter reservari, occupare autinusus suos convertere quoquomodo praesumant; nisi aliter de speciali privilegio vel consuetudine iam praescripta legitime, seu alia causa rationabili, hoc eidem competere dignoscatur: alioquin Episcopi et eorum Superiores ab ingressu Ecclesiae; caeteri vero Officio et Beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint. Porro ubi ex privilegio vel consuetudine, seu alia de causa rationabili, sibi aliquis praedictorum asserit bona competere supradicta, hoc de illis bonis solum debet intelligi, quae solutis debitis, si quae sint, et iis quae fuerint necessaria pro servitoribus et ministris ac incumbentibus .oneribus usque ad novos redditus supportandis congrue reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse...»

Y. Colliges insuper inter fructus Praebendae vacantis generatim comprehendi fructus pendentes tempore mortis vel resignationis Beneficiarii (1) quibus aequiparantur etiam redditus inexacti.

VI. S. Congregationem, omissa discussione super iuribus R. Camerae Spoliorum, ex pluribus concurrentibus adiunctis satis habuisse ut iudicaret, dicta iura si quae essent, in praesenti casu, idest post dictam concordiam tandem conclusam, cessasse.

EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA,

FACULTATES REGULARIBUS IN ITALIA VIOLENTIA SUPPRESSIS CONCESSAE AUT DECLARATAE.

Die 18 Aprilis 1867.

« Quamvis per Literas die 28 Iunii anni proxime elapsi datas, a S. Poenitentiaria plures editae fuerint declarationes, atque concessae facultates, quibus utriusque sexus Regulares in tota ferme Italia degentes ab angustiis et calamitatibus, in quas ob suppressionis legem coniecti sunt, aliquo modo levari possent: compertum tamen est, alias inde obortas esse animorum anxietates aliasque enatas necessitates, quibus nonnisi Apostolica Auctoritate occurri potest. Cum enim praefati Regulares propriis domibus exturbati, hac illae, votis solemnibus obstricti, peregrinari cogantur, multis agitantur dubiis circa obedientiam propriis Superioribus, et locorum Ordinariis debitam. Accedunt

(1) **Hoc ius consonat cum iure caesareo ut legitur in** *Inst. lib.* **2** *tit.* \ **§ 36. «** *Is ad quem ususfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quam ipse eos perceperit, et ideo licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit, ad haeredes eius non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur.»*

non leves animi perplexitates circa privilegia ac bona spiritualia, quibus in religiosis claustris abunde fruebantur. Tandem bonis omnibus expoliati in misero, quo versantur, statu facilem non vident rationem, qua suis necessitatibus consulere possint.

» Quapropter SSmus Dominus Noster Pius PP. IX, tot Regularium utriusque sexus calamitates commiserans, mandavit, ut S. Poenitentiaria novis declarationibus novisque Apostolicis gratiis ipsis Regularibus subsidio veniret.

» Sacra itaque Poenitentiaria mandatis Sanctitatis Suae libentissime obsequens haec quae sequuntur decernit.

I. » Curandum est, prout iam monitum fuit quoad Moniales in praefatis Literis diei 28 Iunii 1866 sub. n.° 7°, ut Regulares a propriis domibus expulsi, praesertim vero Clerici professi, quatenus in aliud coenobium recipi nequeant, in peculia rem aliquam domum, a Superioribus suis designandam, conveniant, ibique regulam, quam professi sunt meliori, quo fieri potest, modo observare non omittant, facta cuique, absque debita licentia, discedendi prohibitione.

II. » Pariter curandum, ut etiam Regulares, qui extra claustra et praefatas domos, tamquam saecularizati ad tempus, vivere coguntur, in sua vocatione permaneant, votaque solemnia, quibus se Deo consecrarunt, meliori similiter, quo fieri possit modo, persolvant. Unde omnibus Superioribus Regularibus S. Poenitentiaria declarat, ipsorum iurisdictionem in proprios subditos suppressos, etiam extra claustra degentes, minime cessasse. Nam licet quisque Regularis degens extra claustra quoad politiam et disciplinam ecclesiasticam ab iurisdictione Ordinarii loci, in quo degit, exemptus non sit, attamen quoad disciplinam regularem et obligationes, quae ex religiosa professione promanant et cum novo eius statu sunt compatibiles, propriis Superioribus subesse easque obedire tenetur.

III. » Decernit, praefatas domos, dummodo in eas tres saltem ad ibi degendum convenerint Regulares, quorum unus ad minus sit Sacerdos, iurisdictioni Ministri Provincialis fore subiectas, easque regendas esse per peculiarem Superiorem ibi constituendum.

IV. » Indulget, ut in iisdem domibus, dummodo in eis quatuor saltem degant Sacerdotes Regulares, erigi possit, servatis de iure

servandis, privatum Oratorium, a Ministro Provinciali, sive ab alia idonea Persona, ab eo deputanda, visitandum prius, et approbandum, ita, ut in eo Missa a Sacerdotibus Regularibus celebrari, SSma Eucharistia asservari, et a Religiosis atque Oblatis dumtaxat S. Communio sumi et praecepto de audiendo Sacro satisfieri possit.

V. » Indulget pariter, ut in Oratoriis sic erectis ipsi Regulares frui possint omnibus, et quibuscumque SS. Indulgentiis concessis et assignatis domibus seu ecclesiis, a quibus exturbati fuerunt; iuxta tamen formam et iuxta tempus in concessionibus et indultis Apostolicis expressum ac definitum ; ita tamen, ut memoratae Indulgentiae in ipsius Ordinis Ecclesiis, quibus affixae et assignatae fuerunt, quandiu iisdem ecclesiis aliquis Sacerdos eiusdem Ordinis legitima auctoritate praepositus fuerit, perdurare, ut antea, omnino censeantur.

VI. » Declarat insuper, Superioribus Regularibus integra manere privilegia, quibus hactenus quoad peculiares proprii Ordinis benedictiones usi surit, ac similiter integras omnibus et singulis Regularibus utriusque sexus, etiam in saeculo de legitima licentia viventibus, manere SS. Indulgentias personales a S. Sede eisdem concessas, et non revocatas.

VII. » Mulieres vero Regulares a propriis claustris expulsas, quamtumvis exemptas, et etiam in novas domos iuxta Literas 28 Iulii 1866 translatas, decernit, iurisdictioni Ordinarii Loci, in quo commorantur, omnino subesse.

VIII. » Ordinariis autem Locorum facultatem concedit, iisdem Mulieribus Regularibus in novis domibus commorantibus Indultum Oratorii privati pro sua prudentia impertiendi, adeo ut, servatis de iure servandis, Missa in ipso Oratorio quotidie celebrari et SSma Eucharistia asservari possit, ibique ipsae Religiosae, Conversae, Novitiae, et Educandae, si quae sint, aliaeque Mulieres iisdem domibus addictae, praeter Missae inservientem, S. Communione refici, ac praecepto de audiendo Sacro satisfacere valeant.

IX. «Ipsis praeterea Mulieribus Regularibus concedit privilegium, ut supra sub n.° V. Religiosis viris impertitum ; fruendi scilicet in memoratis Oratoriis omnibus et quibuscumque SS. Indulgentiis, quae ecclesiae, seu Monasterio, a quo expulsae fuerunt, affixae aut assignatae erant.

X. » Declarat ac decernit, Regularibus suppressis, etiam extra praefatas domos degentibus, licere persolvere horas canonicas iuxta proprii Ordinis Calendarium, et non obstante defectu tituli sacri, suos Ordines exercere Missamque in quacumque ecclesia, de licentia Ordinarii loci, celebrare iuxta ritum ecclesiae, in qua celebrare contigerit; servato tamen proprii Ordinis ritu, si celebrent in propria ecclesia, cuius custodia alicui saltem ex suis Confratribus legitime demandata sit, aut in aliquo ex praefatis sui Ordinis Oratoriis.

XI. » Declarat insuper, nihil obstare, quominus ipsi Regulares suppressi uti valeant facultate sibi iam ab Ordinario loci concessa, audiendi sacramentales Christifidelium Confessiones; dummodo tamen eadem facultas expirata, aut ab ipso Ordinario revocata non fuerit, ac dummodo ea utantur iis tantum in locis, pro quibus approbati, fuerunt.

XII. » Superioribus tum Generalibus, tum Provincialibus facultatem concedit, sive per se, sive per alios idoneos Viros Religiosos, ab ipsis deputandos, indulgendi Regularibus sui Ordinis suppressis, ut, durantibus praesentium temporum circumstantiis, quemcumque sive Regularem, sive Saecularem, ex approbatis tamen ab Ordinario loci, Confessarium sibi eligere valeant, a quo etiam, quatenus opus sit, a casibus, et censuris in proprio Ordine reservatis absolvi, et super irregularitate, ex violatione earumdem censurarum quomodocumque contracta, dummodo occulta remaneat, dispensationis gratiam recipere in foro tantum conscientiae possint.

Xlii. » Declarat insuper, quibuscumque Regularibus suppressis, sive in aliqua domo, prout n.° I. commorantibus, sive extra domos religiosas tamquam saecularizatis ad tempus degentibus licere Confessiones suas sacramentales apud Confessarios proprii Ordinis, legitime a suo Praelato approbatos, peragere.

XIV. » Iisdem Superioribus Generalibus indulget, ut, perdurantibus pariter praesentium temporum circumstantiis, et usque dum aliter S. Sedi visum fuerit, expleto Superiorum inferiorum officio, eos de consilio Definitorum suorum in ipso denuo confirmare, iisdemque alios substituere valeant, prout magis in Domino expedire iudicaverint.

XV. » Clericis Regularibus iam solemniter professis concedit, ut ad titulum paupertatis, aut ad alium titulum proprii Instituti ad S. Ordines ab Ordinario Loci, in quo domicilium habent, aut ab alio Episcopo cum dimissoriis Uteris ab eo datis, de consensu proprii Superioris Regularis, et servatis de iure servandis, . promoveri, et in Ordinibus sic promoti ministrare valeant, donec a proprio Ordine seu Instituto legitima ex causa dimissi non fuerint.

XVI. «Concedit pariter Regularibus solemniter professis, ut Capellanías, aut unum dumtaxat Beneficium Ecclesiasticum, etiam residentiale, vel cum cura animarum de consensu et ad nutum Ordinarii Loci, ac annuentibus Superioribus suis, in administrationem assequi, et retinere legitime possint, quod tamen dimittere teneantur statim ac ab iisdem Superioribus ad claustra revocati fuerint.

XVII. » Facultatem concedit locorum Ordinariis quoad Moniales, et Superioribus Generalibus quoad Viros Regulares, indulgendi sive per se, sive per idoneas personas ab eis subdelegandas respectivis subditis in Italia suppressis, ut, attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, non obstante solemni paupertatis voto, bona sibi legitimo iure spectantia, ac etiam hereditates, salvo tamen iure Tertii quaesito, recipere* adire, ac retinere, deque iis nedum contractus inire, sed etiam in pios, honestosque usus, àc praesertim in favorem sui Ordinis, aut Instituti, nec non in grati animi significationem per actus sive inter vivos, sive causa mortis disponere valeant, accedente ipsius Ordinarii, aut Superioris, vel alterius per eum Deputati, aut saltem, in casu necessitatis, Confessarii consilio et approbatione; ita tamen, ut rerum suarum administrationem ac redditus, quamdiu vixerint in Communitate, quae temporalia bona possidere possit, eidem Communitati tradere, et quidquid ex bonis propriae Religionis eisdem provenerit, ipsi Religioni, adhibitis cautelis, relinquere teneantur. Quod si Communitas sit ex iis, quibus possessio bonorum temporalium permissa non sit, administrationem hoc in casu committant alicui Tertiae personae ita, ut absque licentia Ordinarii aut Superiorum Regularium nihil de fructibus sibi applicare, aut quocumque modo disponere possint.

XVIII.» Omnibus et singulis utriusque sexus Regularibus suppressis indulget, ut pecunias legitimo titulo acquisitas de licentia Superiorum suorum, et, quatenus agatur de Monialibus, de licentia Ordinarii Loci, in honesto et licito investimento, sive nomine proprio, sive per interpositis Personas caute collocare possint; ea tamen lege, ut Regulares in Communitate viventes titulos ac redditus earumdem pecuniarum eidem Communitati, aut alicui Tertiae Personae, ut supra, tradere teneantur, neque de iis pariter ullo modo absque licentia eorumdem Superiorum, aut ipsius Ordinarii disponere valeant.

XIX. » Declarat denique praemissa censenda esse concessa sine ullo praeiudicio cuiuscumque generalis seu specialis Indulti alicui Ordini, seu Personae a S. Sede impertiti, iisdemque praemissis cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti Constitutiones, ac caetera quaecumque, etiam speciali mentione digna, in contrarium facientia, minime obstare. »

» Datum Romae in S. Poenitentiaria die 18 Aprilis 1867.»

A. M. Card. PANEBIANCO M. P.

L. Peirano S. P. Secretarius.

Ex HIS COLLIGI POTEST :

I. Essentiam Ordinis Regularis non consistere in ea ratione vivendi qua sub uno eodemque tecto, et sub una domestica disciplina Regulares vivere tenentur (1).

II. Haec tamen pertinere ad Ordinis Regularis religiosi integritatem, quae integritas, si ex violentia illata cesset, cessant seu suspensa manent ea privilegia quae intuitu eiusdem integritatis sunt concessa (2).

III. Manente autem essentia Ordinis, S. Sedes, pro rerum adiunctis, indigentiis Regularium succurrere et ea privilegia confirmare, quae cum statu quo Regulares ob violentiam reperiuntur, convenire aliqua ratione possint.

(1) **Recole quae scripsimus in** *Vol. II. pag.* **309** *4 et seqq.*

(?) **Heic plura recoli possent quae in nostris ephemeride hactenus adduximus.**

EX SECRETARIA BREVIUM.

Litterae in forma Brevis quibus SSmus D. N. Antistites qui Romam convenerunt ad centenaria Solemnia celebranda SS. Apostolorum Petri et Pauli, inter Antistites Solio pontificio adstantes retulit.

PIUS PAPA IX
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

« Faustissimo illucescente die, quo ante annos MDCCC. Beatissimi Apostoli Petrus et Paulus vitam pro Christo fuderunt, suoque sanguine Romam consecrarunt, auspicatissimi huius diei laetitiam augendam existimavimus nonnidlis Christianae Religionis Heroibus Sanctorum Caelitum honores decernendo. Qua in celebritate recreamur magnopere desideratissima tot Venerabilium Fratrum Sacrorum Antistitum corona , qui studiosissimam voluntatem erga humilitatis Nostrae personam praeseferentes votis Nostris cumulatissime responderunt. Eorum enim quamplurimi, quum per dilectum filium Nostrum S. R. E. Card. Praefectum Concilii Tridentinae Synodi decretis interpretandis accepissent, ipsos gratissimum Nobis facturos, si nulla peculiari distenti ratione, et absque ovium sibi commissarum detrimento sese in Urbem ad memorata solemnia celebranda conferrent, reverentia, ac pietate erga Beatissimum Petrum Apostolorum Principem ducti, neque viarum longitudine , neque navigationum periculis , neque temporum difficultate deterrai alacres libentesque ad Sacra Apostolorum limina iter susceperunt. Cuius eximiae pietatis exemplum publice hisce Literis commendatum volumus, et Beatissimus Apostolos Petrum et Paidum enixe rogamus , ut tantae religionis, tantaeque fortitudinis Viris in praeliandis praeliis Domini animum augeant, viresque confirment. Quo autem solemni hac occasione aliquod extet erga eosdem Venerabiles fratres propensae voluntatis Nostrae testimonium , in id consilii venimus, ut ipsos aliquo pontificiae largitatis munere honestemus. Itaque omnes et singulos Sacros An-

tistites, qui proximo die festo SS. Apostolorum Petri et Pauli in Urbe versentur, quique inter Antistites Pontificio Solio Adstantes minime relati sint , in eorumdem numerum vi praesentium litterarum referimus, et cooptamus, eisque omnia,, et singula privilegia , facultates , honores concedimus, quae ex Apostolicae Sedis benignitate ad illos pertinent, qui hoc honore , et munere decorati sint. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVII. Iunii MDCCCLXVH. Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.»

IN. Card. PARACCIANI CLARELLI.

Litterae in forma Brevis quo omnes Ecclesiae Antistites honoris significatione facultate donati sunt utendi pileolo violacei coloris.

PIUS PAPA IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

« Ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem ex supremo Apostolatus officio Divina Providentia nobis commisso gerentes, maximo quidem solatio perfundimur , cum ad sacrum Episcopalem ordinem oculos nósticos mentemque convertimus. Sacri enim per orbem antistites pastoralis muneris nostri consortes in tanta temporum difficultate, atque in tot malorum procellis, quibus Ecclesia iactatur, omnem adhibent alacritatem ac studium in custodiendo vigilias noctis super gregem suum, in Ecclesiae iuribus adserendis , atque in Christiana sibi concredita plebe divinae legis praeceptionibus erudienda , ut hoc scilicet instructa munimine facilius a malo declinet, atque ambulet in viis Domini. Ipsi propterea nullum discrimen detrectantes se opponunt murum pro Domo Israel, interque ipsos non pauci persecutionem passi propter iustitiam, illustria suae fidei et fortitudinis exempla ediderunt. Quo autem obsequio, quo devotionis studio iidem Venerabiles fratres

prosequantur beatissimi Petri Cathedram, in qua integra est Christianae religionis ac perfecta soliditas, et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, innumerae amoris ac pietatis significationes etiam typis consignatae, et nunquam intermissae pro ipsius incolumitate, et exaltatione in, suis dioecesibus preces, excitatique fideles ad rerum angustias quibus premimur, data stipe, recreandas, denique singularis eorum in urbe nostra frequentia luculentissime testantur. Quare in communi omnium ordinum laetitia ob saecularem memoriam martyrii sanctorum Apostolorum Petri et Pauli solemniter celebrandam , et ob nonnullos Ecclesiae héroes Sanctorum caelitum fastis adscribendos, gratum Nobis est eosdem Venerabiles fratres in pastorali nostro exercendo munere socios atque adiutores debito exornare laudis praeconio, eisdemque per aliquam honoris adiectionem propensi animi nostri ac dilectionis exhibere testimonium. Itaque auctoritate nostra apostolica harum litterarum vi omnibus, et singulis catholicae Ecclesiae Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis tam praesentibus, quam futuris concedimus, atque indulgemus , ut ipsi in posterum a primis tamen vesperis proxime futuri festi sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, pileolo violacei coloris uti libere ac licite possint et valeant. Non obstantibus con^stitutionibus, et sanctionibus Apostolicis, ceterisque quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.»

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annido Piscatoris die XVII. iunii MDCCCLXVIl. Pontificatus nostri anno vicesimo secundo. »

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

LITTERAE APOSTOLICAE.

Post ea quae diximus in Appendice I. *pag. 62* celeberrimam heic damus epistolam encyclicam cum adnexo errorum proserip torum Syllabo ex iussu Romani Pontificis ad sacros Antistites misso die 8 Decembris 1864.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS GRATIAM ET COMMUNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBUS.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Die 8 Decembris 1864.

« Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei ac salutari doctrina imbuere eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac iustitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, Catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt

nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus, et perniciosissimis scriptis Catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac iustitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim iuventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae Catholicae sinu avellere conati sunt.

»Iam vero, uti vobis, Venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in Christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos Catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima encyclica Epistola die 9 Novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 Dec. anno 1854, altera vero 9 Iunii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum Catholicae Ecclesiae, eiusque salutari doctrinae ac venerandis iuribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

» Etsi autem haud omiserimus potissimos huiusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen Catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius hu-

manae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex iisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones, eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam Catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris (1). Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vo-^ eant, principium applicantes audent docere « optimam societatis publicae rationem, civilemque progressum omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine. » Atque contra sacrarum Litterarum Ecclesiae sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, « optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis poenis violatores Catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet. » Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem Catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI. Praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam (2), nimirum « libertatem conscientiae, et cultum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam publiceque manifestare, ac declarare valeant.» Dum véro id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis* (3) praedicant, et quod « si humanis persuasionibus semper disceptare sit libe-

(1) **Gregorius XVI. Epist. Encyclic.** *Mirari* **15 Augusti 1832.**

(2) **Eadem Encyclic.** *Mirari.*

(3) **S. August. Epist. 105 alias 166.**

» rum, nunquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare » et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc no- » centissimam vanitatem quantum debeat fides et sapientia chri- » stiana vitare, ex ipsa Domini Nostri Iesu Christi institutione » cognoscat (1).»

» Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque* audeant conclamare, « voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione, vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque iure solutam, et in ordine politico facta consummata eo ipso quod consummata sunt vim iuris habere. » Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae iustitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse* nisi scopum comparandi, cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis ? Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re christiana, civili ac litteraria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat « Regularium abolitio laedit » statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit » vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostoli- » eae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes Fundatores, » quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas » constituerunt societates (2).» Atque etiam impie pronunciant, auferendam esse civibus, et Ecclesiae facultatem « qua eleemosynas christianae charitatis causa palam erogare valeant, » ac de medio tollendam legem « qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur » fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optime publicae oe-

(1) S. Leo Epist. **164 al. 133 §. 2** edit. Ball.

(2) Epist, ad Card. De la Rochefoucault **10** Martii **1791.**

conorniae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt « societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari ; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis, educationisque curandae. » Quibus impiis opinionibus , machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a iuventutis institutione et educatione prorsus eliminetur , ac teneri flexibilesque iuvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare , ac rectum societatis ordinem evertere, et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim iuventutem decipiendam ac depravandam , ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque clerum , ex quo , veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam , civilem et litterariam rempublicam commoda redundarunt , quibuscumque infandis modis divexar.e, et edicere, ipsum Clerum « utpote vero, utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum ab omni iuventutis instituendae educandaeque cura et officio esse amovendum. »

» At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent, Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subiicere , et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare « Ecclesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate ; acta et decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione , vel minimum assensu potestatis civilis ; constitu-

tiones Apostolicas (1), quibus damnantur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi eiusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio ; excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui iura possessionesque Ecclesiae invadunt, et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis , ordinisque civilis ac politici ad mundanum dumtaxat bonum prosequendum ; Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non competere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi; conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere, et vindicare. » Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium , ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim « Ecclesiasticam potestatem non esse iure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque eiusmodi distinctionem, et independentiam servari posse quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis. » Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam , qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt « illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum obiectum ad bonum generale Ecclesiae eiusdemque iura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla Catholicae professionis iactura. » Quod quidem quantopere adversetur Catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi, et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

» In tanta igitur depravatami» opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono ma-

(1) **Clem. XII.** *In eminenti* **Benedict. XIV.** *Providas Romanorum,* **Pii VII.** *Ecclesiam.* **Leonis XII.** *Quo graviora.*

xime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus Catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

» Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis iustitiaeque osorès et acérrimos nostrae religionis hostes, per pestíferos libros, libellos et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose mentientes alias impías quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis , hac etiam nostra aetate , nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Iesum Christum negare, eiusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis mentisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime ornisistis.

«Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis, religionem, pietatem , ac propter mirum illum amorem, fidem et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti « abstineant ab herbis noxiis, quas Iesus Chri-
» stus non colit, quia non sunt plantatio Patris (1).» Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinile, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, eiusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus eius (2). Docete « Catholicae Fidei fundamento regna

(i) S. Ignatius M. ad Philadelph. 3. — (2) Psal. 143.

» subsistere (1), et nihil tam mortiferum, tam praeceps ad casum, » tam expositum ad omnia pericula, si hoc solum nobis putan» tes posse **sufficere,** quod liberum arbitrium, cum nasceremur, » accepimus, ultra iam a Domino nihil quaeramus, idest, aucto» ris nostri obliti, eius potentiam, ut nos ostendamus liberos, » abiuremus (2). Atque etiatti ne omittatis docere regiam po» testatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Eccle» siae praesidium esse collatam (3), et nihil esse quod civitatum » Principibus, et Regibus maiori fructui, gloriaeque esse possit, » quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor No» ster S. Felix Zenoni Imperatori perscribebat, Ecclesiam Catho» licam . . : sinant uti legibus suis, nec libertati eius quem)> quam permittant obsistere . . . Certum est enim, hoc rebus » suis esse salutare, ut, cum de causis Dei agatur, iuxta ipsius » constitutum regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant » subdere, non praeferre (4).»

» Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, etc...» *Sequitur Iubilaei concessio.*

EPISTOLA EMINENTISSIMI CARD. I. ANTONELLI AB EXTERIS PONTIFICIAE DITIONIS NEGOTIIS, QUA SYLLABUS EX IUSSU SANCTISSIMI CONFECTUS AD SACRORUM ANTISTITES MITTITUR.

Mme** ac **Rme Domine,

« Sanctissimus Dominus noster Pius IX. Pontifex Maximus de auimarum salute, ac de sana doctrina maxime sollicitus vel ab ipso sui Pontificatus exordio nunquam destitit suis Epistolis encyclicis, et Allocutionibus in Consistorio habitis, et Apostolicis aliis Litteris in vulgus editis praecipuos huius praesertim infelicissimae aetatis errores, ac falsas doctrinas proscribere et damnare. Cum autem forte evenire potuerit, ut omnia haec Pontificia ^.cta ad singulos Ordinarios minime

(i) S. Caelest. Epist. 22 ad Synod. Ephes, apud Coust. p. 1200: — (2) S. Innoc. I. Epist. 29 ad Epis. Conc. Carthag. apud Coust. p. 891. — (3) S. Leo Epist. 156 al. Î25. — (4) Pius VII. Epist. Encycl. *Diu satis,* **lo Maii 180O.**

pervenerint, iccirco idem Summus Pontifex voluit, ut eorumdem errorum Syllabus ad omnes universi catholici orbis Sacrorum Antistites mittendus conficeretur, quo iidem Antistites prae oculis habere possint omnes errores, ac perniciosas doctrinas , quae ab ipso reprobatae, ac proscriptae sunt. Mihi vero in mandatis dedit, ut hunc Syllabum typis editum ad Te, Illustrissime ac Reverendissime Domine , perferendum curarem hac occasione ac tempore, quo idem Pontifex Maximus pro summa sua de catholicae Ecclesiae , ac totius Dominici gregis sibi divinitus commissi incolumitate et bono , sollicitudine , aliam Encyclicam Epistolam ad cunctos catholicos Sacrorum Antistites scribendam censuit. Eiusdem igitur Pontificis iussa omni certe alacritate, et, uti par est, obsequio efficiens, Tibi, Illustrissime ac Reverendissime Domine, eumdem Syllabum his litteris adiunctum mittere propero. Dum vero obsequentissimi mei in Te animi sensus testari et confirmare vehementer gaudeo , fausta omnia et salutaria Tibi a Deo Optimo Maximo ex corde adprecor.

«Dominationi Tuae Illustrissimae et Reverendissimae.

Romae die 8 Decembris 1864.

Addictissimus Servus

I. CARD. ANTONELLI.

SYLLABUS COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES QUI NOTANTUR IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

S. I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. » Nullum supremum, sapientissimum , providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et iccirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo , et proinde spiritus cum materia , necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

II. » Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

III.» Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

IV. » Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationi vi derivant; hinc ratio est princeps nor-

ma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* **9 Novembris 1846.**

Epist. Encycl. *Singulari quidem* **17 Martii 1856.**

Alloc. *Maxima quidem* **9 iunii 1862.**

V. » Divina revelatio est imperfecta et iccirco subiecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressui respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* **9 Novembris 1846.**

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

VI. » Christi fides humanae refragati rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* **9 Novembris 1846.**

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

VII. » Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa ; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio.»

Epist. Encycl. *Qui pluribus* **9 Novembris 1846.**

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

§. H.

Rationalismus Moderatus.

VIII.» Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, iccirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* **9 Decembris 1834.**

IX. » Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.

Epist, ad Archiep. Frising. *Gravissimas* **11 Decembris 1862.**

Epist, ad eumdem *Tuas libenter* **21 Decembris 1863,**

X. «Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoriati.

Epist ad Archiep. Frising. *Gravissimas* **11 Decembris* 1862.**

Epist, ad eumdem *Tuas libenter* **21 Decembris 1863.**

XI. «Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere , verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist, ad Archiep. Frising. *Gravissimas* **il Decembris 1862.**

XII.» Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist, ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* **21 Decembris 1863.**

XIII. » Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici

Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scieutiarumque progressui minime congruunt.

Epist, ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* **21 Decembris 1863.**

XIV. «Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist, ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* **21 Decembris 1863.**

N.B. Cum j-ationalismi systemate cohaerent quoad maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist, ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 Iunii 1847, et in Epist, ad Episcop. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 Aprilis 1860.»

§. III.

Indifferentismus, Latiludinarismus.

XV. »Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* **10 Iunii 1851.**
Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

XVI. «Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternaeque salutem assequi possunt.

Epist. Encyclic. *Qui pluribus* **9 Novembris 1846.**
Alloc. *Ubi primum* **17 Decembris 1847.**
Epist. Encycl. *Singulari quidem* **17 Martii 1856.**

XVII. «Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* **9 Decemb. 1854.**
Epist. Encycl. *Quanto conficiamur* **17 Augusti 1863.**

XVIII.» Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia Catholica Deo placere datum est.»

Epist- Encycl. *Noscitis et Nobiscum* **8 Decembris 1849.**

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, ^Societates biblicae, Societates clerico-liberales.

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 Novemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 April. 1849: in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 Decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam* 9 Decemb. 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10 Augusti 1863.»

Errores de Ecclesia eiusque iuribus.

XIX. «Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* **9 Decemb. 1834.**
Alloc. *Multis gravibusq.* **17 Decemb. 1860.**
Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

XX. «Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* **30 Septembris 1861.**

XXI. «Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi religionem Catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* **io Iunii 1851.**

XXII. »Obligatio, qua Catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum , quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist, ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* **21 Decembris 1863.**

XXIII.» Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura Principum «surparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* **io Iunii 1881.**

XXIV. » Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost *Ad Apostolicae* **22 Augusti 1831**

XXV.»Praeter potestatem episcopatui inhaerentem , alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa , revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

XXVI.«Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* **15 Decembris 1856: Epist. Encycl.** *Incredibili^* **Septemb. 1863.**

XXVII. «Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

XXVIII. » Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* **15 Decembris 1856.**

XXIX.«Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* **15 Decembris 1856.**

XXX.«Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili hortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* **10 Iunii 1851 •**

XXXI. «Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**
Alloc. *Nunquam fore* **15 Decembris 1856.**

XXXII.» Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur ; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad

formam uberioris regiminis constituta.

Epist, ad Episc. Montisreg. *Singularis Nobisque* **29 Septembris 1864.**

XXXIII. »Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist, ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* **21 Decembris 1863.**

XXXIV. «Doctrina comparandum Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

XXXV. »Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

XXXVI. »Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem , civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

XXXVII. «Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

AI**1OC**.M«¿¿**ÍS** *gravibusque* **17 Decemb. 1860.**
Alloc. *Iamdudum cernimus* **is Martii 1861.**

XXXVIII. «Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.»

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

§. VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relatio' ni bus spectata.

XXXIX. «Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

XL. »Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist, Encycl. *Qui pluribus* **9 Novembris 1846.**
Alloc. *Quibus quantisque* **20 Aprilis 1849.**

XLI. »Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur,* sed etiam ius *appellationis,* quam nuncupant , *ab abusu.*

Litt Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 185 i**

XLII. »In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

XLIII. » Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata)* super usu iurium ed ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* **l Novembris 1850.**
Alloc. *Multis gravibusque \n* **Dec. 1860.**

XLIV. »Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem , mores et regimen spiri-

tuale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* **1 Novembris 1850.**
Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

XLV. «Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius Reipublicae instituitur , episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis , potest ac debet attribuì auctoritati civili, et ita quidem attribuì, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum , in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* **1 Novembris 1850.**
Al|oc. *Quibus luctuosissimis* **5 Septembris 1831.**

XLVI. «Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Numquam fore* **15 Decembris 1856.**

XLVIÍ.» Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoqùe civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist, ad Archiep: Friburg. *Quam non sine U iulii* **1864.**

XLVIII. «Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist, ad Archiep. Friburg. *Quam non sine* **lì Iulii 1864.**

XLIX.«Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

L.«Laica auctoritas habet per se ius praesentandi Episcopos , et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* **13 Decembris 1856.**

LI.«Immo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Ap. *Multiplices inter* **10 Iunii 1851.**
Alloc. *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**

LU.»Gubernium potest suo iure

immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* **15 Decembris 1856.**

LUI.» Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**
Alloc. *Probe memineritis <i&* **Ianuarii 1855.**
Alloc. *Cum saepe* **26 Iulii 1855.**

LTV.» Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Ap. *Multiplices inter* **10 Iunii 1851.**

LV.»Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungendus est. »

Alloc *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**

8-TO.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI.«Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

LVII.» Philosophicarum rerum morumque scientia, item civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

XV.ni.» Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**
Epist, Encycl. *Quanto conficiamur* **io Augusti 1863.**

LIX.»Iusin materiali facto consistit , et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

LX.•> Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* **9 Iunii 1862.**

LXI.» Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Iamdudum cernimus* **18 Mart. 1861.**

LXII. «Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non-interventu.*

Alloc. *Novos et ante* **28 Septembris 1860.**

LXIIL «Legitimis principibus o-

bedientiam decretare, immo et rebellare licet.

Epist. Encyc. *Qui pluribus* **9 Novemb. 1846.**
Alloc, *Quisque vestrum* **4 Octobris 1847.**
Epist Encycl. *Noscitis et Nobiscum* **8 Decembris 1849.**
Litt. Apost. *Cum Catholica* **26 Mart. 1860.**

LXIV. »Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio , tum quaelibet scelesta, flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, sumtnisque laudibus efferenda , quando id pro patriae amore agatur.»

Alloc. *Quibus quantisque* **20 Aprilis 1849.**

§. VIII.
Errores de matrimonio Christiano.

LXV. «Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

LXVI. «Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

LXVII.»Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**
Alloc. *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**

LXVIII. «Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices.inter* **io Iun. 1851.**

LXIX. «Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost, *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

LXX. » Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. ApoSt. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

LXXI. «Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

LXXII.«Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

LXXni.»Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**
Lettera di S. S. PIO IX. al Re di Sardegna, 9 Settembre 1852.
Alloc. *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**
Alloc. *Multis gravibusque* *n* **Dec. 1860-**

LXXIV. «Caussae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**
Alloc. *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**

N.B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 Novembris 1846, posterior in litteris apost. *Multiplices inter* 10 Iunii 1851.»

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV.» De temporalis regni cum spirituali compatibilitale disputant inter se Christianae et Catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* **22 Aug. 1851.**

LXXVI. «Abrogatio civilis imperii, quo Apostòlica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* **20 Aprilis 1849.**

» N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina quam Catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20 April. 1849; in Alloc. *Si semper antea* 20 Maii 1850; in Litt. Apost. *Cum Catholica Ecclesia* 26 Mart. 1860; In Alloc. *Novos* 28 Sept. 1860; in Alloc. *Iamdudum* 18 Mart. 1861; in All. *Maxima quidem* 9 Iunii 1862.»

§. X.

Errores qui ad Uberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII.» Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem Catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* **26 Iulii 1855.**

LXXVIII.» Hinc laudabiliter in quibusdam Catholici nominis regionibus lege cantum est, nt hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* **27 Septembris 1852.**

LXXIX, » Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* **15 Decembris 1856.**

LXXX.» Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere. »

Alloc. *Iamdudum cernimus* **18 Mart. 1861.**

LITTERAE APOSTOLICAE.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII '

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

QUIBUS PRAETENSA APOSTOLICA IN SICILIA LEGATIO AC MONARCHIA SIC APPELLATA NEC NON IUDEX DELEGATUS EIUSQUE TRIBUNAL MINISTRI ET OFFICIALES OMNES PLANE ABROGANTUR AC DELENTUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

« Suprema universi Dominici gregis cura Nobis licet immeritis in persona beatissimi Petri Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus commissa omnino postulat, ut pro Apostolici Nostri ministerii officio omnium totius catholici orbis Ecclesiarum bono ac prosperitati studiosissime prospiclamus, et omnia conemur, quo sanctissima nostra fides ac religio ubique magis in dies vigeat, efflorescat, et ecclesiastica disciplina servetur ac promoveatur, et radicitus evellantur zizania, quae inimicus homo superseminavit in medio tritici, et omnes eliminentur corruptelae, quae animarum saluti et sacrarum rerum ordini vel maxime adversantur. Hinc vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio paternas Nostras sollicitudines ad Siciliani convertimus, et Apostolicas quoque Nostras Litteras, annulo Piscatoris obsignatas, ac die XXVI Ianuarii MDCCCLVÍ editas, quarum initium « Peculiaribus » vulgavimus pro spirituali Siciliae utilitate, quae ab antiquis temporibus filia in primis dilecta Romanae Ecclesiae* arctissimis praecipuae pietatis, amoris et observantiae vinculis huic Apostolicae Sedi fuit obstricta. Summo autem animi Nostri dolore maxima novimus mala et damna, quibus Sicilia ipsa iamdiu

misere afflictatur. Ac serio considerantes omnia acta, quae haec Sancta Sedes pro eadem Insula edidit, perspeximus, rec. me. Clementem XI, Decessorem Nostrum, merito atque optimo iure iudicasse, plurima, eaque gravissima Siciliae mala, abusus et corruptelas oriri ex praetensa Legatione, ac Tribunali Monarchiae, quae concessa dicuntur ab Urbano II, item Praedecessore Nostro. Quocirca idem Clemens XI, apostolico zelo incensus, decimo Kalendas Martii anno millesimo septingentésimo decimo quarto, suas sub Plumbo edidit Pontificias Litteras, incipientes «Romanus Pontifex, » quibus penitus abrogavit et extinxit praetensam Apostolicam Legationem, et ita appellatam Monarchiam, eiusque Tribunal, gravissimas causas luculenter exponens, ob quas huiusmodi consilium a se omnino suscipiendum esse existimavit. Postmodum vero Renedictus XIII, Praedecessor pariter Noster , peculiaribus rerum ac temporum adiunctis, ac repetitis promissionibus adductus, eaque spe fretus fore ut Tribunali, cum certis et immobilibus normis et regulis constituto, omnes de medio tollerentur abusiones, die 30 Augusti Anno 1728 Apostolicas sub Plumbo promulgavit Litteras exordientes «Fideli,» quibus in Sicilia constituit Ecclesiasticum causarum Delegatum Iudicem, eiusque Tribunal, cum facultatibus et legibus, quae nullo unquam modo immutari possent. Inanes vero fuere praelaudati Nostri Decessoris spes, nam iudex ille ac tribunal retinens nomen Iudicis ac Tribunalis Monarchiae , se veluti antea ex praetensa Apostolica Legatione originem habere perperam censuit, ac laica potestas non solum idem tribunal dirigendum suscepit, verum etiam ordinationes, declarationes et pragmaticas sanctiones Apostolicis Litteris «Fideli» adversas edidit, et insuper perrexit asserta exercere iura sic dictae Legationis a Clemente XI de medio sublatae, ac Delegatus Iudex magis gubernii ordinationibus, quam memoratae Renedicti XIII Constitutioni obsequi, et adhaerere existimavit. Itaque haec Apostolica Sedes haud omisit saepe reclamare et instare, ut limites ab eadem Constitutione Renedicti XIII praescripti diligenter observarentur. Atque id occasione Conventionis inter hanc Apostolicam Sedem , et Utriusque Siciliae Regem anno 1818 initae, denuo fuit promissum, Regia etiam Ordinatione edita, quae in Epistolam Regii Administri diei 29 Aprilis anno 1818 relata praecipiebat, ut omnes

de medio tollerentur abusus, et limites in Apostolicis Litteris «Fideli» statuti diligenter custodirentur. Sed repetita promissa minime servata fuerunt, nec exauditae tum Nostrae, ac Nostrorum Praedecessorum reclamationes et querelae, tum illae Episcoporum in conventu ab ipsis anno 1850 in dicta Insula habito, etiamsi de gravissimis ageretur abusibus, ex quibus summa in Siciliae fideles damna, ac detrimenta redundabant, quae iam omnes Sacrorum eiusdem Insulae Antistites in Concilio Tridentino existentes unanimi consensu apud Catholicum Regem Ecclesiae iura reclamantes vehementer deploraverant. Nos ipsi aliqua ex parte opportunum malis remedium adhibere curavimus, sed inutiles Nostrae fuerunt sollicitudines. Etenim Legationis praetextu, ecclesiasticae res maiore ex parte usurpatae, ac leges de ecclesiastica disciplina perperam conditae, et haec Apostolica Sedes impedita quominus salutarem suam erga illas Ecclesias actionem exercere possit. Atque eo perventum est, ut in rebus ad ecclesiasticam disciplinam pertinentibus laica potestas minime pendere velit a Romano Pontifice, cuius vices se agere iaciat. Iudex vero ita appellatae Monarchiae, minime servans limites praescriptos ab Apostolicis Litteris «Fideli,» civilium Ministrorum ordinationibus inserviens, eas temere exequitur, sibique vindicat facultates, quibus omnino caret, et gravaminis obtentu specieque, ad se, plane neglectis canonicis sanctionibus per commemoratas Litteras « Fideli » enunciatis , causas avocat, et Episcopos ad rationem reddendam ita cogit, ut ipsi raro possint, prima etiam pro vocatione, de causis iudicare, et impedit quominus supremi Religiosarum familiarum Moderatores suam auctoritatem in subditos sibi religiosos viros exercere queant, atque etiam interiori Regularium Ordinum disciplinae sese immiscere non dubitat. Hinc factum est, ut in Sicilia Episcoporum auctoritas, cum summo eorum iurium damno et animarum salutis discrimine, fuerit depressa ac deiecta, ut ecclesiastica disciplina enervata, et Regularis observantia fere destructa, et utriusque Cleri inobedientia adversus suos Praepositos promota ac defensa, ut Episcopi et Regularium Ordinum Moderatores, continua illius Tribunalis illegitima actione ac vi pressi, haud possint impedire perturbationes, et quae tristia consequuntur ex nullitate actorum, quae ab eodem Tribunali patrantur con-

tra statuta et praescripta ab ipsis « Fideli » Apostolicis Litteris. Accidit etiam, ut superiori fere exeunte saeculo Messanae Tribunal, a civili potestate pro suo arbitrio fuerit perperam constitutum, quin ullo modo a Monarchiae Tribunali penderet. Ex quo luttuosissimo sane rerum statu tristissima illa in Siciliam variis temporibus redundarunt mala, quae potius lugenda quam commemoranda sunt, cum omnibus apprime cognita sint et perspecta, praesertim posteaquam ipsae Nostrae Apostolicae Litterae per summam iniuriam contemptae et pessumdatae fuere. Ac nisi nota esset eximia Siculorum erga hanc Petri Cathedram catholicae unitatis centrum fides, pietas , observantia et obedientia, nec non Episcoporum pro animarum salute sollicitudo, metuendum esset periculum, ne si ita res progrederentur, Sicilia gravioribus etiam malis afflictaretur. Cum igitur ex eodem Tribunali superius enuntiato , quod Monarchiae vocant, tot in Ecclesiam, eiusque auctoritatem, iura ac disciplinam damna derivarmi, ac derivent, et irritae fuerint iteratae huius Apostolicae Sedis expostulationes, quo Tribunal idem praefinitos in Apostolicis « Fideli » Litteris limites diligenter servaret, ac fallaces semper fuerint repetitae promissiones de tollendis corruptelis, iccirco Nos in tot gravissimis malis, quae Ecclesiam in Sicilia affligunt, ac in tot maximis periculis, quae eidem Ecclesiae irci-pendent, non solum nullo modo connivere possumus, verum etiam pro gravissimo Supremi Nostri Apostolici ministerii officio, mala ipsa et pericula omni cura studioque penitus amovere et eliminare debemus. Gravissimae enim culpae coram Deo Nos reos esse existimaremus, nisi tot mala radicitus extirpanda curaremus. Quocirca succidamus ac dissipemus oportet, ut Clementis XI Praedecessoris Nostri verbis utamur, arborem illam, ex qua pessimi orti sunt fructus , cum Romanus Pontifex , a Christo Domino aequi bonique assertor constitutus, noxia omnia destruere ac radicitus evellere teneatur. Etsi enim de rebus ageretur ab hac Apostolica Sede ob legitimas causas forte unquam concessis, tamen huiusmodi concessiones revocandae et abolendae omnino essent, cum, rerum ac temporum immutatis adiunctis, experientia demonstret maxima orta esse et oriri damna ex hisce concessionibus , easque omnis generis corruptelis et abusibus aditum aperire, et Ecclesiae, animarumque saluti ma-

xime adversari. Itaque cum pro Apostolici Nostri muneris debito nullo modo possimus diutius ferre ac tolerare tot mala **et** corruptelas , ac permittere , ut Siculae Monarchiae privilegiorum obtentu ecclesiastici Ordinis dignitas labefactata collabatur **et** concidat, peculiari VY. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregatione in consilium -adhibita, ac nonnullis Dilectis Filiis Romanae Curiae auditis Antistitibus, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae, potestatis plenitudine, hisce Litteris non solum suppressionem **et** abolitionem praetensae Apostolicae Siculae Legationis, ac ita appellatae Monarchiae, a Clemente Xl Decessore Nostro factam confirmamus , .verum etiam eamdem Apostolicam Legationem, **et** Monarchiam, quatenus opus fuerit, suprema Nostra Auctoritate iterum supprimimus, extinguimus, et abolemus; insuper saepe memoratam Constitutionem « Fideli, » a Renedicto XIII. Praedecessore item Nostro editam, quoad Iudicem delegatum in Sicilia, quem Monarchiae iudicem vocant, eiusque Tribunal, una cum omnibus indultis, privilegiis et facultatibus, etiam in Apostolicis Litteris in forma Rrevis expeditis, tum rec. me. Gregorii XVI, Praedecessoris Nostri, incipientibus «Iamdiu,» die 3 Martii Anno 1846 datis, tum Nostris die 21 Ianuarii Anno 1856 editis, quarum initium « Peculiaribus, » et in quibuscumque aliis quovis titulo et causa a Nobis et a Praedecessoribus Nostris quorumcumque meritorum intuitu et ratione praedicto Iudici Delegato,.eiusque Tribunali concessis, et confirmatis, praesentium Litterarum tenore prorsus revocamus, et officium eiusdem. Iudicis, ac caeterorum officialium , et ministrorum , dictumque Tribunal, una cum commemorato Tribunali Messanae erecto, perpetuum in modum de medio tollimus, et in omnibus omnino extinguimus, cassamus et delemus. Volumus propterea et mandamus, ut illa omnia veluti plane extincta, suppressa et abolita, nec non respective rescissa, cassata, deleta, revocata, ac penitus abrogata ab omnibus haberi ac reputari debeant.

» Caeterum ad praemissa devenimus, ut pro Pontificia Nostra sollicitudine Ecclesiae libertatem, ac Nostram, et huius S. Sedis , et Episcoporum ac Regularium Superiorum auctoritatem vindicaremus, et ecclesiasticam restitueremus disciplinam, ac periclitantium animarum saluti prospiceremus. Cum autem praeci-

pua prorsus charitate fideles Siciliae populos merito prosequantur, qui avita religione ac pietate spectati, immobili fide et observantia Nobis et huic Apostolicae Sedi constantissime adhaerere vehementer gloriantur, haud omittemus aliis Nostris Apostolicis Litteris eorumdem fidelium incommodis, ac dispendiis occurrere, concedendo opportunas facultates Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Sicilia Antistibus, quos iidem fideles facilius et commodius adire poterunt. Haec volumus, statuimus, praecipimus, atque mandamus, decernentes has praesentes Litteras , et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod praedicti et alii quilibet in praemissis interesse habentes , seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusque status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis etiam Regiae et Imperialis existant, illis non consenserint, nec ed ea vocati, citati, et auditi, causaeque propter quas praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu, et .capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, alioque quolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogi labili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quempiam in iudicio,, vel extra illud, uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac quibuscumque Juris, seu facti defectibus, qui adversus illas a saeculari potissimum potestate, seu praedicta abolita, et extincta Legatione, Sicula Monarchia, Tribunali, Iudice Delegato, illorumve Ministris quibuslibet, ad effectum impediendi, seu retardandi earum executionem quovis modo , seu ex quavis causa opponi, seu obiici possent, minime refragantibus, suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: Easque propterea omnibus, et sin-

gulis per eamdem saecularem potestatem, sive per eamdem abolitam, et extinctam Legationem, ac Tribunal, eorumque ministros quoscumque quomodolibet allatis, seu afferendis impedimentis, penitus, et omnino reiectis, ac nequaquam attentis ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari : sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, et eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et praefatae Sedis Nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et futuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

» Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel Specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, ac praescriptionibus , quantumvis longissimis, et immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et Litteris Apostolicis, quibuscumque Regnis, Provinciis, ac Personis, etiam Imperiali, Regia, aliaque qualibet mundana, seu etiam ecclesiastica dignitate fulgentibus, seu alia specifica et individua mentione dignis a Sede praedicta ex quacumque causa, etiam per viam contractus, et remunerationis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, seu alias quomodolibet in genere, vel in specie in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et qualiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis etiam continentibus quod excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam , ac de verbo ad verbum de Privilegiis et Indultis

huiusmodi mentionem. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenorihus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur, et insererentur: praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris', ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

)> Cum autem eaedem praesentes litterae in Sicilia nequeant hisce praesertim temporibus tuto publicari, ut hactenus experientia compertum est, ac Nobis per legitimas probationes satis superque constat, prout harum serie declaramus, et verendum sit ne praetextu reprobatae Legis de Regio placito earumdem Litterarum exequutio impediatur ; volumus illas, seu earum exempla, ut ad omnium notitiam deveniant, ad valvas Ecclesiae Lateranensis, ac Rasilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, post duos menses a die earum publicationis, et affixionis computandos, plenarium habere effectum , omnesque, et singulos , quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum extinctionis, suppressionis, abolitionis, rescissionis, cassationis, deletionis, revocationis, abrogationis, mandati, interdictionis, declarationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem

Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

» Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesirnoquarto, V.. Kalendas Februarii.

Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

M. CARI). MATTEI *Pro-Datarius.*

N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

Visa de Curia D. Bruti.

Loco £g Plumbi.

1. Cugnonius.

«Iubemus has Nostras Apostolicas Litteras publicari die X octobris an. MDCCCLXYII. »

PIUS PP. IX.

«De mandato SSmi in Christo Patris et Dñi Nostri Dñi divina providentia Pii PP. IX, anno a Nativitate Domini MDCCCLXVII, Indict. X., die vero X. octobris, Pontificatus eiusdem SSmi Dñi Nostri ann. XXII praesentes Litterae Apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas Basilicarum s. Ioannis Lateranensis, et Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, ac magnae Curiae Innocentianae, atque in acie Campi Florae, et in aliis locis et consuetis Urbis per me Aloisium Serafini apost. Curs.»

Philippiis Ossani magist. Curs.

Literae Apostolicae quibus opportunae facultates Siciliae Antistitibus tributae sunt, iuxta ea quae indicantur in CAETERUM *in supraexpositis Literis.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS AC UTRUMQUE CLERUM TAM SAECULAREM QUAM REGULAREM ET AD RELIQUOS OMNES CHRISTIFIDELES SICILIAE QUIBUS PRESCRIBITUR MODUS QUO CAUSAE AD FORUM ECCLESIASTICUM PERTINENTES ABOLITO IUDICE DELEGATO EIUSQUE TRIBUNALI IUDICARI POSSINT AC DEBEANT.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis Episcopis
aliisque locorum Ordinariis
ac dilectis filiis ecclesiasticis et religiosis viris cunctisque
Christifidelibus Siciliae.

PIUS PP. IX.

« Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Multis gravissimis aeque ac iustissimis causis permoti, vel potius impulsi, per Apostolicas Nostras Litteras hodierno die sub Plumbo datas, ac perpetuo valituras, Suprema Nostra Apostolica Auctoritate praetensam Apostolicam Siciliae Legationem, ac ita appellatam Monarchiam, Iudicem Delegatum eiusque Tribunal, atque etiam alterum Tribunal Messanae a civili potestate superiori fere exeunte saeculo perperam institutum, Notarios, Scribas, Ministros, et alios quoslibet Officiales quovis nomine nuncupatus, Dignitates, officia, ministeria, omnesque illorum titulos, denominationem, omnino extinximus, suppressimus, delevimus, atque etiam omnia et singula, si quae

essent, illis et cuicumque illorum a Nobis, et a quibuscumque Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris quomodolibet concessa, ac pluries confirmata privilegia, facultates, indulta, penitus et omnino revocavimus, et abrogavimus, et illa veluti plane revocata, abrogata et extincta ab omnibus Christifidelibus haberi et aestimari debere voluimus et mandavimus. Verum eodem tempore de vestra utilitate et bono summopere solliciti, et idcirco vestris incommodis paterna Nostra sollicitudine occurrere exoptantes, cognovimus alium a Nobis modum esse statuendum, quo ex sacrorum Canonum norma causae ad ecclesiasticum forum pertinentes, extincto et abolito munere et officio Iudicis Delegati eiusque Tribunali, possint rite cognosci, iudicari, et ad debitum finem adduci, ac propterea perspeximus, pro earumdem causarum cognitione et fine in ista ipsa Insula a Nobis peculiari ratione esse providendum. Ex quo profecto omnes non solum magis magisque intelligunt, summam esse paterni Nostri animi in Vos caritatem, ac singularem de vestris commodis et utilitatibus curam, verum etiam clare aperteque agnoscunt, Nos ad praemissa dèvenisse ut gravissima amoverentur scandala, et mala, quibus Siculi fideles vehementer affligebantur, utque Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis auctoritati, dignitati et honori, et Episcoporum Iurisdictioni, atque animarum saluti consuleretur. Itaque, diuturna et accurata adhibita consultatione, rebusque omnibus diligentissime perpensis, prout rei gravitas omnino postulabat, et auditis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Dilectis Filiis Romanae Curiae Antistibus consilio , doctrina, ac sacrarum legum scientia, rerumque gerendarum peritia praestantibus, pro facili et recta earumdem causarum cognitione, et tractatione, sequentem normam statuere, praescribere, et sancire decrevimus , quam ab iis omnibus, ad quos spectat, et in futurum spectabit, diligenter, inyiolabiliterque observari volumus, praecipimus et mandamus.

I. » Causae omnes non exemptorum ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, cuiuscumque sint generis, in prima provocatione, seu instantia, coram Ordinariis Locorum dumtaxat cognoscantur, nec ab eorum tribunali avocari possint, nisi titulo tantum appellationis a sententia definitiva, aut ab interlocutoria

definitivae vim habente, cuius gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat, vel nisi integro biennio a die motae litis computando coram ipsis Ordinariis pependerint iniudicatae, seu non decisae, quemadmodum Concilii Tridentini decreto (cap. Causae omnes 20. Sess. 24 de Reformat.) provide cautum est. Quod si secus fiat, quaevis appellatio, inhibitio, aut sententia ad eiusdem Concilii praescriptum eo ipso irrita sit, ac nullius prorsus roboris vel momenti.

II. » A sententia Ordinarii ad Metropolitanum appelletur, servata in omnibus forma, quae ab eodem Concilio sancitur. Ubi vero Metropolitanus in prima instantia tamquam Ordinarius Loci in causa pronunciaverit, appellatio deferatur ad Episcopum seniorem Provinciae, tamquam Apostolicum Delegatum. A sententiis vero in prima provocatione latis ab Archiepiscopo Cataniensi, qui Suffraganeis caret, appellandum erit ad Archiepiscopum Messanensem uti Apostolicae Sedis Delegatum.

III. » Ab Archimandrita vero Messanensi, qui iurisdictionem quasi Episcopalem in nonnullis oppidis, seu locis nullius Dioecesis Provinciae Messanensis exercet, appelletur ad Archiepiscopum Messanensem, uti Delegatum Apostolicum.

IV. » Ab Abbate demum S. Luciae, qui similiter iurisdictionem quasi Episcopalem in uno, seu pluribus oppidis, vel locis nullius Dioecesis Provinciae Messanensis exercet, appelletur ad Archiepiscopum Messanensem uti Delegatum Apostolicum.

V. » Per praemissa autem non intendimus eisdem Archimandritae Messanensi, et Abbati S. Luciae quidquam novi iuris tribuere.

VI. » Quaecumque pars a secunda sententia vel Metropolitani, vel Episcopi, ut supra Senioris Provinciae, vel Delegati gravatam se sentiat, ad Nos, seu ad Romanum Pontificem pro tempore existentem poterit appellare, ut causa in Romana Curia ad formam iuris absolvatur, aut **etiam,** si eidem parti magis libuerit, petere, ut causae cognitio Iudici ecclesiasiastico in partibus Siciliae committatur per Litteras Apostolicas , necessariis et opportunis clausulis, prout iuris fuerit, muniendas.

VII. » Caveant tamen omnes Ordinarii Locorum, ne causis, quae maiores appellantur, quaeque apud Sedem Apostolicam tractari debent, sive in prima, sive etiam in alia ulteriori in-

stantia, ullo pacto sese ingerant, aut immisceant, sed illae iuxta commemorati Tridentini Concilii, et Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum praescriptum in Romana dumtaxat Curia, vel a Iudicibus, quos Romanus Pontifex pro tempore existens specialiter deputaverit, cognoscantur. Insuper caveant quoque, ne cuipiam intercipiatur ius sive in prima, sive in ulteriori instantia, omisso medio, adeundi Sanctam Sedem pro obtinenda cognitione, et definitione aliarum causarum, quas minores vocant, dummodo tamen partium accedat consensus.

VIII. » Nulli praeterea ex supradictis sive primae, sive secundae, sive etiam tertiae instantiae Iudicibus, nec cuiquam alteri ecclesiastico Iudici cuiuscumque gradus et conditionis , etiamsi Legati a latere dignitate insignito, potestas sit ullo unquam tempore quempiam absolvere, etiam cum. reincidentia, et ad effectum agendi tantum, a censuris ecclesiasticis per Apostolicas Constitutiones inflictis, quarum absolutio soli Romano Pontifici reservatur. Caveant item omnes praedicti, ne postquam eaedem censurae ab ipsis declaratae ac promulgatae fuerint, ullo modo sese ingerant, aut immisceant cognitioni an illae, earumve declaratoriae validae, aut nullae , iustae aut iniustae sint, cum eiusmodi cognitionem Romano tantum Pontifici pro tempore existenti competere satis constet, et exploratum sit.

IX.«Caeterum Archiepiscopi, Episcopi, aliique ecclesiastici Iudices tam Ordinarii, quam ceteri ut supra deputati, vel deputandi tum in causis definiendis, tum in appellationibus excipiendis sese omnino conformare debeant sacris Canonibus, Concilio Tridentino, Apostolicis Constitutionibus, ac praesertim Decreto rec. me. Clementis VIII, Praedecessoris Nostri, die 16 Octobris anno 1600 edito et incipienti *K Ad tollendas,))* et rec. me. Benedicti XIV, Praedecessoris pariter Nostri Constitutioni, quae incipit *«Ad militantis Ecclesiae,* » diei 29 Martii anno 1742.

X. » Cum suspensiones, quae per Ordinarios *ex informata conscientia* inferri solent, minime possint considerari uti causae , quae publici iudicii formam sustineant, idcirco qui huiusmodi suspensionis obnoxii sunt preces Summo Pontifici tantum deferre poterunt, quin praedicti Iudices in huiusmodi causis sese ullo modo immiscere possint.

XI. » In causis de nullitate matrimonii observari iubemus Constitutionem Benedicti XIV, Praedecessoris Nostri, quae tertio Nonas Novembris, anno 1741 edita, incipit « *Dei Miseratione.* » Quae autem diligenter servanda sunt sequentibus articulis summatim comprehenduntur: I°. Qualibet in Dioecesi proprius Ordinarius in patronum seu defensorem matrimonii eligere debe|; personam probatae fidei, et canonici iuris peritam, ac si fieri possit, ex coetu ecclesiastico. Fas erit Ordinario iustis de causis illam ab officio removere, eique alteram sufficere, quae designatis dotibus sit praedita, idque Ordinario item licebit, quoties electa ad defensoris munus persona aliquo legitimo prohibeatur impedimento, quominus commissi muneris partes expleat. 2°. Is porro defensor, seu patronus, omnibus causis adesse debebit, quae de matrimonii nullitate, seu validitate instituantur, atque adeo ad omnia et singula acta erit citandus, atque etiam adesse debebit testium examini, ac tam voce, quam scripto matrimonii validitatem tueri tenebitur, omniaque adferre argumenta, quae ad eius valorem probandum necessaria et idonea cognoscat. 3°. Ut institutum de matrimonii validitate iudicium integrum sit, nec nullitatis vitio laboret, necessarium erit, ut matrimonii defensor iudicio intersit, sive unus, sive uterque ex coniugibus agat pro invaliditate matrimonii, sive ambo coniuges stent in iudicio , quorum alter matrimonii valorem, oppugnet, alter vero tueatur. Idem matrimonii defensor munus adsumens iuramentum omnino praestet de ipso munere recte fideliterque gerendo, idemque iuramentum in singulis causis renovabit. Quivis actus iudicialis fiat, quin matrimonii defensor legitime citetur, vel intimetur, plane irritus erit. 4°. Si sententia edita matrimonium admittet, ac nulla ex partibus appellationem interponat, matrimonii defensor ab appellando se abstinebit, eademque ratione se geret, si iudex secundae instantiae pro matrimonii validitate sententiam tulerit, licet primus iudex pro nullitate iudicaverit; quod si iudicatum fuerit pro matrimonii invaliditate, hoc in casu defensor intra terminum a iure canonico definitum provocationem a sententia interponat necesse est, declarando , se adhaerere parti, quae matrimonii valorem sustinet. Si autem nemo existat, qui a sententia contra matrimonium lata appellet, defensor ex officio ab eadem sententia provocabit. 5°. Pendente

appellatione a prima sententia, vel appellatione nequaquam interposita, quamlibet ob causam, si unus vel uterque coniux novas inire nuptias attentaverit, subicientur canonicis sanctionibus contra illos qui nuptias ab Ecclesia veti tas inire ausi fa_ rint, ac praesertim obnoxii erunt separationi, donec altera lata fuerit sententia de nullitate matrimonii, a qua intra decem dies interposita non sit appellatio, vel eadem deserta iaceat: insuper poenas omnes incurrent contra polygamos a sacris Canonibus et Apostolicis Constitutionibus praefinitas. 6°. Posteaquam causa ad secundi gradus Iudicem delata sit, circa matrimonii defensorem illa omnia servanda erunt, quae praescripta sunt in iudicio primae instantiae. Ad eumdem secundae instantiae iudicem pertinebit defensorem matrimonii deligere, atque ita porro in iudiciis ulterioris gradus. 7°. Si tum prima tum secunda sententia matrimonii nullitatem declaraverit, nec pars, cui intersit, appellationem interposuerit, ac defensor ex conscientia censuerit non provocandum, vel interpositam appellationem minime prosequendam, tunc fas erit utrique coniugi novas contrahere nuptias, dummodo tamen neque ob legitimum impedimentum, neque aliam ob causam a novo ineundo coniugio prohibeantur. Firmum vero manebit causarum matrimonialium privilegium, hoc est, sententias in huiusmodi causis editas post quemcumque temporis lapsum numquam transire posse in rem iudicatam ; ideoque si quidpiam" repertum sit, vel minime in iudicii disceptatione prolatum, vel ignoratione occultum, iterum causam de matrimonii validitate in iudicium posse deferri. Huic privilegio obnoxia semper erit facultas coniugum novas nuptias contrahendi. Quod si a secunda sententia contra matrimonii valorem edita vel nulla ex partibus appellaverit, vel sit eiusmodi, ut illi defensor minime acquiescat ex conscientia, sive quod ei manifeste iniusta, aut invalida videatur; sive quod in tertii gradus iudicio lata fuerit contra sententiam in secundo gradu emissam pro valore matrimonii, tunc haud licebit utrique coniugi ad novas nuptias transire sub poenis superius commemoratis, iterumque causa in tertia et quarta instantia erit cognoscenda, servatis omnibus et singulis, quae praescripta sunt in primae et secundae instantiae iudiciis etiam quod spectat ad matrimo-

nii defensorem. 8°. Matrimonii defensor emolumenta accipiet, quae descripta sunt in praedicta Benedicti XIV. Constitutione.

XII. » In Regulares, et in eorum causas nulla Archiepiscopis et Episcopis per praesentes Litteras facultas conceditur, sed in eos, et in illorum causas in casibus a iure permissis ea tantum auctoritate uti poterunt, quae Ordinariis iuxta sacros Canones, Concilium Tridentinum, et Apostolicas Constitutiones revera competit. Quapropter ipsi Ordinarii nullo modo poterunt praetergredi limites a iure praescriptos, et impedire quominus Regularium Ordinum Superiores ad normam ac tramites peculiarium cuiusque Ordinis Constitutionum suam iurisdictionem, auctoritatemque libere exerceant, ac procedant: secus sententiae ab Archiepiscopis, et Episcopis latae, et omnia alia acta ab ipsis gesta nulla et irrita omnino sint.

XIII. » Ut autem Religiosis occurramus, qui causam de nullitate eorum professionis promovere volunt, non obstante Constitutione a Benedicto XIV, Decessore Nostro, quarto Nonas Martii, anno 1747 edita, quae incipit « *Si datam,* » haec quae sequuntur observanda esse mandamus. Si quis ultra quinquennium ad tramites Concilii Tridentini computandum causam instituere velit de restitutione in integrum, de hac re supplicare debebit Apostolicae Sedi. Si vero ex informationibus, quas super hac re sumendas existimaverit Summus Pontifex, preces exhibitas iustis inniti argumentis deprehenderit, in singulis casibus in Sicilia unum, vel plures eiusdem insulae Episcopos designabit, cui, vel quibus preces remittet, ut de huiusmodi causa ad tramites iuris disceptent, ac decisionem edant, decisionemque ab iis latam nulli plane obnoxiam volumus appellationi apud quodcumque tribunal. Si definitum fuerit, locum esse restitutioni in integrum, vel si quis infra quinquennii spatium causam intendere velit super nullitate religiosae professionis, causa erit instituenda coram Ordinario loci, ac Superiore regulari, qui Ordinario ipsi, uti iudex assidebit. Fas erit Ordinario causam huiusmodi deferre ad suum tribunal definiendam; quod quidem tribunal constabit ex Vicario Generali, et ex personis ecclesiasticis, inter quas iudex assideat Superior regularis, ita tamen, ut iudicum numerus dispar sit, et iisdem omnibus competat votum decisivum. Decisio hac ratione per Ordinarium edita, seu

validam, seu nullam declaraverit regularem professionem, novae revisioni erit subicienda, ut inde duae decisiones conformes existant. Quamobrem ordinarius ipse decisionem suam Apostolicae Sedi communicabit, ut Summus Pontifex unum vel plures Episcopos, ut supra, designet ad causae revisionem instituendam, adiecta etiam, si opportunum illi videatur, ad iudicandum regulari persona. Nova haec revisio sive ab uno , sive a pluribus Episcopis iuridice erit instituenda. Si secunda decisio a prima discrepet, locum esse volumus tertiae revisioni, ac proinde ab Episcopo, ac si plures fuerint, a digniore inter eos secunda decisio communicanda erit Sanctae Sedi, ut causa in Romana Curia ad formam iuris absolvatur, vel ut Romanus Pontifex, si id pars petierit, alium vel alios Episcopos, veluti supra statutum est, designet pro instituenda tertia revisione, ac tertia item decisio Sedi Apostolicae, quemadmodum superius fuit indicatum, erit communicanda. Posteaquam duae decisiones prolatae sint pro nullitate regularis professionis, et ipsius professionis defensor minime censuerit esse appellandum, quemadmodum uti supra praescriptum est quoad causas matrimoniales, tunc religiosa persona tamquam nullo obstricta voto egredi ab Ordine poterit: quod si post unicam decisionem pro nullitate latam, vel adhuc pendente, aut omissa revisione, e claustris exire, et religiosum Ordinem deserere, vestemque Ordini suo propriam exuere ausus fuerit, in poenas omnes ac censuras incurret, quas Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones contra apostatas-comminantur, atque adhuc religiosis votis obstricta censebitur. Iam vero tum in causis restitutionis in integrum, tum in aliis super nullitate regularis professionis, ac successivis revisionibus, et singulis illarum partibus, observari omnino volumus, ac mandamus memoratam Constitutionem Benedicti XIV, quae incipit *«Si datam,))* in iis tamen articulis, seu partibus, quae supradictis Nostris concessionibus minime adversantur; quapropter qui erunt observandi articuli, eos summatim indicandos censemus. I°.Concilii Tridentini decretum Sess. XXV de Regularibus cap. 19 etiam Moniales comprehendit. 2°. Praescriptae formae observandae etiam erunt, quoties Religiosus Ordo de nullitate professionis ab alumno aliquo emissae conqueratur, 8°. Quinquennii spatium, intra quod expostulationi locus esse potest, computandum erit a die professionis quolibet

in casu, quamvis timor per integrum quinquennii intervallum, ac etiam ultra perduraverit. 4°. Superior regularis, qui cum Ordinario de causa iudicabit „ erit Moderator, seu Superior actu existens religiosae domus, seu Coenobii, in quo expostulans religiosa vota professus fuerit; pro Monialibus vero, quae Regularibus subiiciuntur, erit Superior regularis, cui monasterii regimen commissum fuerit. Huiusmodi vero Superiores regulares suum in locum sufficere poterunt ecclesiasticam aliam personam ex Clero sive regulari, sive saeculari, quae tamen canonici iuris sit perita. 5°. Nulli religiosae personae intendere causam fas erit super votorum nullitate, nisi antea constet, illam intra claustra degere, ac -religiosas iterum induisse vestes, si forte easdem exuerit ; ac durante iudicii cursu subdita manebit Praepositis regularibus sui Ordinis. 6° Probationes extraiudiciales nunquam admittentur; sed vero in forma iuridica erunt acta conficienda, in quibus articuli exhibeantur a persona, quae contra professionis validitatem agit; quaesita autem, seu interrogationes, proponantur a persona, quae tuetur professionis validitatem. Super exhibitis articulis testes examinandi erunt, nec non super propositis interrogationibus^ Acta quae huiusmodi forma careant, et decisio iis innixa, nullitatis vitio laborabunt, haud exclusis vitiis aliis, propter quae ad formam iuris irrita esse queant. 7°. Sub eadem poena nullitatis ad quaestionem vocandi erunt, atque audiendi patroni, seu defensores religiosae domus, seu coenobii, seu monasterii, in quo expostulans vota professus sit, itemque expostutantis propinqui, et quaelibet alia persona, cui ipse ante professionem bona cesserit, vel donaverit, nec non personae, quae tamquam incussi timoris, vel auctores, vel complices habeantur, si ob metum praesumatur invalida votorum professio, ac denique omnes in causam erunt vocandi, quibus interesse queat votorum, seu religiosae professionis validitas. Porro tum in prima quaestione, seu causa, tum in sequentibus revisionibus, ab Ordinario, ad quem decisio pertinet, vel ab Episcopo, sive Episcopis, cui,.vel quibus revisio commissa est, inter personas probitate, fide, ac iuris canonici scientia praestantes, patronus seu defensor religiosae professionis eligitur, prout in causis matrimonialibus, qui praestito iuramento de officio suo recte ac fideliter administrando, tum in adeundo, atque assumendo

eodem officio, tum in singulis quaestionibus, seu causis, ad quas debeat accedere, vocandus et audiendus erit in omnibus et singulis actis tum voce, tum scripto; itemque sub poena nullitatis citandus erit ad omnes quaestiones seu causas, et illarum revisiones, quemadmodum praescriptum est in causis de matrimonio. Quod vero spectat ad huiusmodi defensoris emolumenta, iisdem consuletur ad formam memoratae Constitutionis Praedecessoris Nostri Benedicti XIV. 8°. In iudicio restitutionis in integrum Episcopus vel Episcopi a Sancta Sede designandi ,deputabunt patronum, seu defensorem religiosae professionis, ac praeterea in conficiendis actis, eorumque forma in citandis partibus, quae adesse debeant, illa omnia servabunt, quae superius constituta sunt in causis intra quinquennium instituendis.

XIV. » Siculorum utilitati et commodo prospicere vehementer cupientes, omnibus et singulis Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Nullius Dioecesis in Sreilia existentibus Ordinariis, ac etiam Vicariis Capitularibus canonice electis specialem facultatem tribuimus concedendi matrimoniales dispensationes in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu, sive simplici, sive duplici, ac etiam mixto, dummodo primum non attingat, et dummodo canonica adsit causa, et dispensatio gratis omnino concedatur, nullo prorsus vel minimo recepto emolumento, et in eorum tantum favorem , qui vere pauperes sint. Volumus tamen atque praecipimus, ut in singulis dispensationibus concedendis semper expressa fiat mentio huiusce specialis Apostolicae facultatis. At que etiam volumus, huiusmodi de praedictis matrimonialibus dispensationibus concedendis facultatem a Nobis tributam ita omnino esse ab omnibus intelligendam, ut nemo unquam eam interpretari queat veluti impedimentum, quominus Siculi fideles, si ipsis placuerit, possint supplices hanc Apostolicam Sedem directo adire ad easdem assequendas dispensationes.

XV. » Demum declaramus tum facultatem dispensandi super enunciatis impedimentis matrimonialibus, tum alias superius memoratas Apostolicas concessiones ad decennium tantum hinc proximum a die, quo praesentes sub Annulo Piscatoris, et aliae Nostrae de hac re hoc eodem die sub Plumbo editae Litterae fuerint vulgatae, computandum, esse valituras.

»Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris Nostri una et Concilii Generalis de dua^-bus diaetis, ita ut vigore praesentium etiam ultra duas, pluresve diaetas quilibet in iudicium trahi possit, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus ct singulis illis, quae in praedicta Nostra Constitutione hodierno die edita, non obstare voluimus, ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis contrariis quibuscumque.

»Iam vero maiore, qua possumus, animi Nostri contentione, Vos etiam atque etiam monemus, hortamur, et obsecramus, Venerabiles Fratres, ut illa Episcopali fortitudine, qua omnes Sacrorum Antistites pollere debent, ea omnia, quae constituimus, atque sancivimus, servanda ac perficienda curetis, et singularem adhibeatis vigilantiam, ut omnes Vobis subiecti eadem diligentissime exsequantur. Ac vestrum zelum vehementer in Domino excitamus, ut hisce praesertim calamitosissimis christianae civilisque reipublicae temporibus, quibus Dei hominumque hostes nefariis omnis generis molitionibus Arcem Sion quaquaversus invadere» et in hanc Petri Sedem quam Redemptor Noster Christus Iesus posuit in columnam ferream, et in murum aeneum adversus principes tenebrarum, irruere, et sanctissimae religionis fundamenta convellere, omniumque animos mentesque corrumpere connituntur, pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua insigniti estis, et pro potestate, quam accepistis a Domino, velitis catholicae Ecclesiae causam, iura, doctrinam, libertatem ac disciplinam impavide tueri, propugnare , et animarum saluti studiosissime consulere. Nihil igitur intentatum, nihilque inexpertum unquam relinquite, ut fideles Vobis concrediti quotidie magis enutriti verbis fidei, et religionis, ac pietatis sensibus incensi ambulent digne Deo per omnia placentes, ac summa Nobis, et huic Petri Cathedrae observantia constantissime adhaerere, debitamque Ecclesiae legibus, disciplinae, et Sacrorum Canonum sanctionibus reverentiam et obedientiam profiteri glorientur. Atque omnium caelestium munerum auspicem, et praecipuae Nostrae in Vos benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex imo corde profectam Vobis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, peramanter impertimus. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicuius publici

Notarii subscriptis, et sigillo Personae ecclesiastica dignitate ornatae munitis eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII Ianuarii anno MDCCCLXIV.»

Pontificatus Nostri Anno Decimoctavo.

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA. PROVIDENTIA

EPISTOLA ENCYCLICA

AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS UNIVERSI CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES

Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus Archiepiscopis et Episcopis universi Catholici Orbis gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus.

PIUS PP. IX.

«Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Levate, Venerabiles Fratres, in circuitu oculos vestros, et videbitis, ac una Nobiscum vehementer dolebitis, abominationes pessimas, quibus nunc misera Italia praesertim funestatur. Nos quidem inscrutabilia humillime adoramus iudicia Dei, cui placuit Nos vitam agere hisce luctuosissimis temporibus, quibus nonnullorum hominum opera, et eorum potissimum, qui in infelicissima Italia rem publicam regunt ac moderantur, veneranda Dei mandata, sanctaeque Ecclesiae leges plane despiciuntur, et impietas impune caput altius extollit, ac triumphat. Ex quo

omnes iniquitates, mala, et damna , quae cum summo animi Nostri moerore conspicimus. Hinc multiplices illae hominum phalanges, qui ambulantes in impietatibus, militant sub satanae vexillo, in cuius fronte est scriptum « *Mendacium,* » quique rebellionis nomine appellati, ac ponentes os suum in caelum , Deum blasphemant, sacra omnia polluunt, contemnunt, et quibusque iuribus divinis humanisque proculcatis, veluti rapaces lupi praedam anhelan t, sanguinem effundunt, et animas perdunt suis gravissimis scandalis, et propriae malitiae lucrum iniustissime quaerunt, et aliena violenter rapiunt, ac pusillum et pauperem contristant, miserarum viduarum et pupillorum numerum augent, ac, donis acceptis, veniam impiis tribuunt, dum iusto iustitiam denegant, eumque spoliant, et corrupti corde pravas quasque cupiditates turpiter explere contendunt cum maximo ipsius civilis societatis damno.

» Hoc perditarum hominum genere in praesentia circumdari sumus, Venerabiles Fratres. Qui quidem homines, diabolico prorsus spiritu animari , mendacii vexillum collocare volunt in hac ipsa alma urbe Nostra, ad Petri Cathedram, catholicae veritatis et unitatis centrum. Ac Subalpini Gubernii Moderatores, qui huiusmodi homines coercere deberent, illos omni studio fovere, eisque arma, resque omnes suppeditare, et ad hanc urbem aditum munire non erubescunt. Sed omnes hi homines, licet in supremo civilis potestatis gradu et loco collocati, paveant; quandoquidem hac improba sane agendi ratione se novis obstringunt laqueis ecclesiasticarum poenarum et censurarum. Etsi vero in humilitate cordis Nostri divitem in misericordia Deum enixe orare et obsecrare non desistimus, ut hos omnes misérrimos homines ad salutarem poenitentiam, atque ad rectum iustitiae, religionis et pietatis tramitem reducere dignetur; tamen tacere non possumus gravissima pericula, quibus in hac hora tenebrarum expositi sumus. Animo plane tranquillo quoscumque rerum eventus, licet nefariis fraudibus, calumniis, insidiis, mendaciis excitatos, expectamus, cum omnem Nostram spem et fiduciam collocemus in Deo salutari nostro, qui adiutor est Noster, et fortitudo in omnibus tribulationibus Nostris, quique in se sperantes confundi non patitur, et impiorum insidias subvertit, et peccatorum cervices confringit. Interim haud possumus, quin

Vobis in primis, Venerabiles Fratres, et omnibus fidelibus curae vestrae commissis denuntiemus tristissimam conditionem et maxima, in quibus per Subalpini potissimum Gubernii operam nunc versamur, pericula. Quamvis enim fidissimi Nostri exercitus strenuitate ac devotione defensi simus, qui, rebus praeclare gestis, prope heroicam prae se tulit virtutem; patet nihilominus, ipsum diu resistere nequire numero longe maiori iniustissimorum aggressorum. Et licet non mediocri utamur consolatione ob filialem pietatem, qua Nos reliqui subditi Nostri a scelestis usurpatoribus ad paucos redacti, prosequuntur, vehementer tamen dolere cogimur, ipsos non posse non sentire gravissima pericula sibi ingruentia ab efferatis nefariorum hominum turmis, qui eos iugiter minis omnibus terrent, spoliant, et quoquo modo divexant.

» At vero alia nunquam satis lugenda mala deplorare cogimur, Venerabiles Fratres. Ex Nostra praesertim Consistoriali Allocutione die 29 mensis Octobris superiori anno habita, ac deinde ex narratione documentis munita, et in lucem typis edita, optime cognovistis quantis calamitatibus catholica Ecclesia eiusque filii in Russico imperio ac Poloniae Regno miserandum in modum vexentur ac lacerentur Namque catholici Sacrorum Antistites et ecclesiastici viri laicique fideles in exilium eiecti, in carcerem detrusi, ac modis omnibus divexati, propriisque bonis spoliati, ac severissimis poenis afflicti et oppressi, et Ecclesiae canones ac leges omnino proculcatae. Atque his minime contentum Russicum Gubernium pergit ex avito proposito Ecclesiae disciplinam violare, et unionis et communicationis illorum fidelium cum Nobis et hac Sancta Sede vincula frangere, ac omnia moliri et conari, ut in illis dominiis catholicam religionem funditus evertere, et illos fideles a catholicae Ecclesiae sinu avellere, et ad funestissimum schisma pertrahere possit. Cum incredibili animi Nostri moerore Vobis significamus, duo nuper decreta ab illo Gubernio post ultimam commemoratam Nostram Allocutionem edita fuisse. Ac decreto die 22 proximi mensis Maii vulgato, per horrendum ausum Podlachiensis Dioecesis in Poloniae Regno una cum illo Canonicorum Collegio, Consistorio Generali, ac Dioecesano Seminario penitus fuit extincta, et eiusdem Dioecesis Episcopus, a suo grege divulsus, coactus a Dioecesis finibus continuo discedere. Quod decretum simile est illi die 3 Iunii

superiore item anno in lucem edito, dè quo mentionem facere haud potuimus, cum illud ignoraremus. Hoc igitur decreto idem Gubernium non dubitavit proprio arbitrio et auctoritate Cameniecensem Dioecesim de medio tollere, et illud Canonicorum Collegium, Consistorium, ac Seminarium disperdere, et proprium Antistitem ab illa Dioecesi violenter abripere.

» Cum autem omnis via, atque ratio Nobis intercludatur, qua cum illis fidelibus communicare possimus , tum ne quisquam carceri, exilio, aliisque poenis exponeretur, coacti fuimus, in Nostras Ephemerides inserere Actum, quo legitimae illarum amplarum Dioecesium iurisdictionis exercitio, ac spiritualibus fidelium necessitatibus consulendum censuimus, ut illuc per artis typographicae opem notitia perveniret suscepti a Nobis consilii. Quisque vel facile intelligit qua mente , et quo fine eiusmodi decreta a Russico Gubernio edantur, cum multorum Episcoporum absentiae Dioecesium quoque accedat suppressio.

» Quod autem Nostram cumulat amaritudinem , Venerabiles Fratres, est aliud decretum ab eodem Gubernio die 22 superioris mensis Maii promulgatum, quo Petropoli fuit constitutum Collegium, vocatum ecclesiasticum catholicum romanum, cui praesidet Mohiloviensis Archiepiscopus. Scilicet : omnes petitiones, ad fidei etiam et ad conscientiae negotia pertinentes, quae a Russici imperii et Poloniae Regni Episcopis, Clero, Populoque fideli ad Nos, et ad hanc Apostolicam Sedem mittuntur, ad hoc Collegium primum transmittendae sunt, easque Collegium idem examinare debet, ac decernere, utrum petitiones Episcoporum potestatem praetergrediatur, et hoc in casu illas ad Nos perferendas curare. Postquam autem illuc Nostra perveniret decisio, praedicti Collegii Praeses ad internarum relationum Ministrum decisionem ipsam mittere tenetur, qui expendat, num aliquid in illa reperiatur legibus Status et supremi Principis iuribus contrarium; et quoties hoc non existat, illam pro suo arbitrio et voluntate exsequatur.

«Videtis profecto, Venerabiles Fratres, quam vehementer reprobandum ac damnandum sit huiusmodi Decretum a laica et schismatica potestate latum, quo et divina catholicae Ecclesiae constitutio destruitur, et ecclesiastica disciplina subvertitur, et maxima supremae Nostrae Pontificiae, atque huius Sanctae Sedis

et Episcoporum potestati auctoritatique iniuria infertur, et summi omnium fidelium Pastoris libertas impeditur, et fideles ad funestissimum impelluntur schisma; ac vel ipsum naturale ius violatur et «onculcatur quoad negotia, quae fidem et conscientiam respiciunt.

» Ad haec, catholica Varsaviensis Academia deleta est ; ac tristis Ghelmensi, et Bettiensi Dioecesi Ruthenorum impendet ruina. Atque illud maxime dolendum, quod repertus sit quidam Presbyter "Wajcicki, qui suspectae fidei, omnibus ecclesiasticis poenis censurisque despectis, terribilique Dei iudicio posthabito, minime exhorruit, eiusdem Dioecesis regimen et procurationem a civili illa potestate accipere, et varias iam edere ordinationes, quae dum ecclesiasticae disciplinae adversantur, funestissimo schismati favent.

» in tantis igitur Nostris et Ecclesiae calamitatibus et angustiis, cum non sit alius, qui pugnet pro Nobis nisi Dominus Deus noster, Vos etiam atque etiam vehementer obtestamur, Venerabiles Fratres, ut pro singulari vestro rei catholicae amore et studio, et egregia in Nos pietate velitis ferventissimas vestras cum Nostris coniungere preces, et una cum universo vestro Clero, Populoque fideli Deum sine intermissione orare , et obsecrare, ut reminiscens miserationum suarum, quae a saeculo sunt, indignationem suam a Nobis avertat, et Ecclesiam suam sanctam, ac Nos a tantis malis eripiat, eiusdemque Ecclesiae filios, Nobis carissimos, in omnibus fere regionibus, ac in Italia praesertim et in Russico imperio ac Poloniae Regno, tot insidiis obnoxios, tot aerumnis afflictos, omnipotenti sua virtute adiuvet, defendat, eosque in catholicae fidei eiusque salutaris doctrinae professione magis in dies stabiles servet, confirmet, roboret, et omnia impia inimicorum hominum consilia disperdat ; illosque de iniquitatis barathro ad salutis viam revocet, et in semitam mandatorum suorum deducat.

» Itaque volumus, ut in vestris Dioecesibus publicae pro vestro arbitrio preces per triduum intra sex menses, pro ultramarinis vero intra annum indicantur. Ut autem fideles ardentiore studio hisce publicis precibus adsint ac Deum exorent, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui praedictis tribus diebus devote eisdem precibus adstiterint, ac pro praesentibus

Ecclesiae necessitatibus ex Nostra mente Deum oraverint, et Sacramentali Confessione expiati ac sacra Communione refecti fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentia;!) et remissionem misericorditer in Domino concedimus, lis auf; fidelibus, qui corde saltem contriti in quolibet ex commemoratis diebus reliqua praemissa opera peregerint, septem ans.vs totidemque quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxatione? etiam animabus Christifidelium , quae Deo in caritate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque

» Denique nihil certe Nobis gratius, quam ut hac etiam occasione libentissime utamur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua Vos in Domino complectimur, benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus accipite Apostolicam Benedictionem , quam effuso cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cuiusque Vestrum vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

» Datum Romae apud S. Petrum die 17 Octobris anno 1867. Pontificatus Nostri Anno Vicesimosecundo»

PIUS PP. IX

EX S. COIBEGATIOI CONCILII.

In *officiali* Urbis ephemeride decretum quod infra sequitur evulgatum est, ea de causa ut per publicam evulgationem ad eorum quorum interest notitiam perveniat. De qua re recoli possunt quae scripsimus in evulgando altero decreto in *Vol. IL 'pag.* 610.

DECRETUM.

A Sacra Congregatione Emorum et Rmorum PP. Concilii Tridentini Interpretum ac Vindicum de mandato SSmi editum.

« Decreto a Gubernio Russico anno superiori lato, suppressa Camenecetisi dioecesi, modo alterum decretum accessit eiusdem Gubernii diei 22 maii proxime elapsi editum, ex quo Episcopatus Podlachiensis, seu Ianovaniensis, una cum Capitulo Cathedrali, Consistorio generali, ac Seminario extinctus, et Rmus Episcopus Beniaminus Szymanski a finibus suae Ecclesiae discedere coactus est.

» SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS PAPA IX., in tanta rei acerbitate, dum contra tam temerarios et sacrilegos prorsus ausus a saeculari potestate perpetratos vocem extollit, et reprobat; summopere exoptans memoratae Dioecesis spiritualibus necessitatibus consulere, ac legitimae iurisdictionis exercitio prospicere, iussit eiusdem Dioecesis Podlachiensis regimen et administrationem committere Rmo D. Casimiro Sosnowski, Vicario Capitulari Lublinensis Ecclesiae, donec praefatus Episcopus fuerit impeditus propriam regere et gubernare dioecesim.

» Quare idem SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER concedit praesentis decreti vi pro recta dictae Ecclesiae procuratione Rmo D. Casimiro Sosnowski, Vicario Capitulari Lublinensi, omnes et singulas facultates necessarias et opportunas, iis exceptis, quae Episcopalem ordinem requirunt, ad Sanctae Sedis tamen benepla-

citum duraturas, et donec aliter provideri queat, quibus ea omnia et singula exercere possit et valeat, quae ex iure, privilegio et consuetudine in Lublinensi dioecesi velut Vicarius Capitularis, seu Ordinarius, sive iure ordinario, sive ex generali, aut ex speciali delegatione legitime exercet, atque proinde Clerus et fidelis populus eum in extraordinarium Podlachiensis, seu Ianovaniensis dioecesis Rectorem agnoscant, eiusque praescriptiones, mandata ac monita fideliter dociliterque excipiant et exequantur.

»Atque id ut spiritualis eorumdem fidelium, quos SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER summa charitate prosequitur, incolumitas, quantum fieri potest, sedulo curetur, et unitatis vinculum, quo pars illa dominici gregis Petri Cathedrae obstringitur, tot inter difficultates integrum custodiatur.

» Datum Romae ex hac S. Congregatione Concilii die 17 Octobris 1867.»

PROSPER Card. CATERINI Praefectus
PETJBUS **Archiep. Sardian.** *Pro-Secr.*

EX S. / ET U. INQUISITIO^ CONGREGATIO!.

Sequentia referimus documenta, quae publici iuris facta esse novimus: in his agitur de quibusdam philosophicis doctrinis, quae Apostolicae Sedi, propositae, reprobatae sunt.

PROPOSITIONES REPROBATAE CIRCA ONTOLOGJSMUM ET MODUM EXPLICANDI CREATIONEM.

Die 18 Septembris 1861.

« A Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis Congregatione postulatum est, *utrum sequentes Propositiones tuto tradi possint:*

L » Immediata Dei Cognitio, habitualis saltem, inteHectui humano essentialis est, ita ut sine ea nihil cognoscere possit: siquidem est ipsum lumen intellectuale.

II. » Esse illud, quod in omnibus et sine quo nihil intelligimus, est esse divinum.

III. » Universalia a parte rei considerata a Deo realiter non distinguuntur.

IV. »Congenita Dei, tanquam entis simpliciter, notitia omnem aliam cognitionem eminenti modo involvit, ita ut per eam omne ens sub quocumque respectu cognoscibile est, implicite cognitum habeamus.

"V. «Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tanquam ens simpliciter intelligitur.

VI. » Res creatae sunt in Deo tanquam pars in toto, non quidem in toto formali, sed in toto infinito simplicissimo, quod suas quasi partes absque ulla sui divisione et diminutione extra se ponit.

VII.)) Creatio sic explicari potest: Deus ipso actu speciali, quo se intelligit et vult tamquam distinctum a determinata creatura, hominem verbi gratia, creaturam producit. »

« Feria IV. die 18 Septembris 1861.

» In Congregatione generali habita in conventu S. M. supra
» Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E.
» Cardinalibus contra haereticam pravitatem in tota republica
» Christiana Inquisitoribus generalibus, iidem Eminentissimi et
» Reverendissimi DD. praehabito voto DD. Consultorum, omni-
» bus et singulis proposito dubio responderunt *Negative.* »

Loco Signi

Angelus Argenti S. R. et Un. I. Notarius.

Ex QUIBUS COLLIGES:

L Praesentes singulasque propositiones, quae a quibusdam catholicis edoctae sunt in catholicis gymnasiis, Sanctae Sedi propositas et in examen accuratissime revocatas iudicatas esse non t utas (1).

(i) Dixi accuratissime: namque si in caeteris sacris Congregationibus iudicia sine prolixo examine et discussione non emittuntur, in Supremae s. Congregatione Inquisitionis, ordinalissima methqdo tot in hanc rem advocantur docti viri priusquam S. Congregatio quaestionem discutat et iudicet, ut in humanis iudiciis recte emittendis, vix quidquam amplius desiderari possit.

II. Non sine errore a quibusdam *Ontologistis* dici has propositiones ideo fuisse reprobatas, quia pantheisticam doctrinam exprimunt; aut in sensum dumtaxat pantheisticum acceptas et detortas reprobari: hoc enim casu non fuissent solummodo tanquam non tutae reprobatae, sed omnino damnatae aut ampliori declaratione notatae.

III. Quare ideo reprobatas intelligendas esse, quatenus novam doctrinam *ontologismum* appellatam continent, cuius doctrinae fundamenta aut consectaria, magis vel minus remota, ipsa verba clare exprimunt (1).

BE QUADAM PHILOSOPHICA DOCTRINA QUAM IN SUIS OPERIBUS DOCUIT DOCTOR DECURIALIS Ct. C. UBAGHS.

Iam ab anno 1843 *Sanctae Sedi proposita sunt quaedam opera philosophica G. C. Ubaghs Professoris in celebri Universitate catholica Lovaniensi, atque ab initio S. Congregatio Indicis quasdam propositiones nota dignas iudicavit, atque sequens tradidit notationum folium.*

Die 3 Iunii 1843.

« Rev. D. Ubaghs in sua *Theodicea*, et interdum etiam in *Logica* subsequentes propositiones docet, quas Sacra Congregatio Indici praeposita emendandas esse iudicat.»

I. « Haud posse nos in cognitionem cuiusvis externae meta-
» physicae veritatis venire (nempe quae respiciat ea, quae sub
» sensus nostros non cadunt) absque alterius instructione, ac in
» ultima analysi absque divina revelatione.»

« Porro haec doctrina admitti nequit, quia sicut veritates internae et mathematicae cognosci possunt ope ratiocinii, ut ipsemet auctor fatetur, ita saltem possibile est veritates externas

(1) De his propositionibus accurate docteque pertractant romanae ephemerides quibus titulus: *La Civiltà Cattolica,* **in recentioribus fasciculis 419, 420 et seqq.**

assequi, quotiescumque necessario cum internis connectuntur; aut cum ipsae internae consistere nequeunt non supposita aliqua veritate externa-.»

II. « Veritates externas metaphysicas demonstrari proprie non » posse.» (Vide Theod. pag. 220, n. 413 et seq.)

« Iamvero veritates externae quandoque cum internis necessario copulantur, tanquam effectus cum causa, et ideo per hanc connexionem demonstrari* possunt eo genere argumenti quod ***a posteriori*** vocatur, cuius certitudo non minor illa est, quae per demonstrationem ***a priori*** obtinetur.»

III. « Dei existentiam minime demonstrari posse. Deum exi- » stere demonstrari posse negamus» (Theod. pag. 73.)

« Quae importuna doctrina ultro fluit ex opinionibus iam iudicatis ipsius auctoris.»

IV. « Probationes existentiae Dei reduci ad quamdam fidem, » aut fundari in hac fide, qua non tam videmus quam credimus, » seu naturaliter persuasum nobis est, ideam hanc esse fidelem, » id quod evidentia mere interna cernere non possumus.» (Theod. pag. 73.)

« Quae verba significare videntur potius credi quam demonstrari Dei existentiam; quod quidem a vero omnino distat.»

V. « Auctor omnes probationes veritatum externarum meta- » physicarum reducit ad sensum communem.»

« Quae doctrina admitti nequit, eo quod aliquae veritates externae demonstrantur ***q posteriori*** per veritates internas, absque ulla relatione ad sensum communem. Ita habentes conscientiam nostrae existentiae directe inferimus existere causam, quae nobis existentiam contulerit; seu ab una veritate interna deducimus aliam veritatem externam absque interventu sensus communis.»

« Hae sunt praecipuae sententiae, quae in praedicto libro corrigendae videntur. Monet igitur Sacra Congregatio Rev. Auctorem, ut nova aliqua editione librum suum emendandum curet; atque interim in scholasticis suis lectionibus ab iis sententiis docendis abstinere velit. »

Clarus Auctor ut animadversionibus S. Congregationis faceret satis, suamque doctrinam ab omni purgaret suspicione , libellum

memorialem scripsit die 9 *Decemb.* 1843, *quo a S. Congregatione Indicis in examen revocato, alterum quod sequitur traditum est notationum folium.*

Die 8 Augusti 1844.

» Pauca quaedam loca in opere quod a cl. viro G. C. Ubaghs an. 1841. Lovanii editum est et inscribitur *Theodicea,* seu *Theologiae naturalis elementa,* adnotanda esse videntur, ut doctissimus auctor, additis quibusdam illuslrationibus, obortas circa eiusdem operis intelligentiam difficultates e medio tollere possit: Ac I°. quidem memoranda sunt illa quae pag. 73, habentur de Dei existentia - Deum existere demonstrari posse negamus, sed id certo certius probari etiam atque etiam affirmamus - Omnis certe ambiguitas ex hoc loco tolleretur si post vocem *Demonstrari* adderetur *a priori,* quod conveniret cum iis quae tradit auctor in Logica *p.* 114 *edit. tertia de demonstrationis divisione,* ubi ostendit contra Kantianos demonstrationem a posteriori, iure ac merito veram demonstrationem vocari - Auctor etiam ibid. p. 105 haec habet - Demonstrare, si stricte intelligitur, idem est ac probare iudicium certo esse sicut effertur. - Nemo autem negabit probationes existentiae Dei eam vim habere, ut respondeant notioni strictae demonstrationis quae hic a cl. auctore traditur.

2°. » Ubi auctor ad examen vocat diversa argumentorum genera, quae ad Dei existentiam demonstrandam afferri solent, quaedam habet quae observatione digna videntur: Theod. pag. 86. de argumentis physicis loquens ait: « Et licet tum recta ex rationalis naturae nostrae impulsu etc.... probari possit, eumdem esse potentia et intelligentia vere infinita, illud tamen ex argumentis physicis solis et stricte spectatis secundum leges logicas effici nequit.» pag. 87. De argumentis quae moralia dicuntur ita se exprimit. « In his veram Dei infinitatem expresse contentam esse, strictis logicae legibus nondum plane efficitur. » Additis porro quibusdam de argumentis ex ente infinito, concludit: « fide naturali et spontanea quadam progressione continuo suppleamus id quod ad accuratam Dei notionem concipiendam, et ad Dei veri existentiam plene probandam illi soli probationi logicae, si strictissime acciperetur, deesse videretur. » Tandem

p. 89 legimus: «probabiles quidem coniecturas facere de prima causa vel de primis causis (nesciremus utique, utrum una aut plures dicendae essent), deque earum proprietatibus possemus.» In his omnibus mens doctissimi auctoris paulo clarius explicanda videtur, ne quis inde occasionem sumat vim elevandi argumentorum quae Dei existentiam demonstrant.

3°. «Clarissimus auctor, cap. 7 p. 3, Theod., profitetur se » magis speciatim ac si fieri possit, paulo apertius declarare » velle: ea quae ad veritatem cognoscendam spectant.» Quaedam tamen ibi leguntur, de quorum intelligentia dubitationes oriri possent: pag. 216 haec habentur: « veritatem internam immediate cognoscere possumus, externam non sine interposita fide.» Et pag. 219 « necesse est.... ut institutio aliena nobis manifestas faciat veritates quae nec mere animi affectiones sunt, nec sub sensus nostros cadunt. - Plura alia eiusdem generis ibi obvia sunt, quae contra mentem auctoris forte in alienos sensus torqueri possent, et ad id adhiberi, ut vis humanae rationis extenuaretur, et argumenta, quae pro veritatibus externis demonstrandis adhibentur, ita infirmarentur, ut certitudinem illam minime afferrent, quae in iis homini omnino necessaria est.»

Verum quamvis Auctor novas editiones con fecisset, non tamen visus est a suae doctrinae principiis recessisse, et controversiae iam antea exortae señores sunt redditae. Episcopi autem ut erant concordiae studiosi, consilium cum Emo Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi inierunt tuendae pacis sedandaequae controversiae, donec deßnitivum de his doctrinis iudicium Sedes Apostolica proferre opportunum existimaret: hac de causa litteras scripserunt ad Magnificum Universitatis Rectorem die 31 *Iulii* 1861.

Interea quatuor Pro f essores philosophica eiusmodi placita Cardinali De Andrea qui S. Congregationi Indicis tunc praeerat die ***i*** *Februarii* 1860 *iam exposuerunt ; qui nomine suo die* ***i*** *Martii eiusdem anni rescripsit :* « Memoratam doctrinam recte adnumerândam esse inter eas quaestiones, quae a philosophis christianis » libere in utram partem disputari possunt, » *Eiusmodi autem Cardinalis De Andrea litterae, quae perperam allegabantur (non enim erant S. Congregationis) controversiam magis excitarunt, neque dictae Episcoporum Literae eam sedare valuerunt. Itaque nonnulli Episcopi a SSmo D. N. postularunt ne declarare grava-*

retar quid de his doctrinis esset sentiendum. Beatissimus Pater sequentes tradidit Litteras.

DILECTO FILIO NOSTRO ENGELBERTO
s. R. E. PRESBYTERO CARDINALI STERKCX, ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI,
ET VENERABILIBUS FRATRIBUS EIUS SUFFRAGANEIS
IN BELGIO EPISCOPIS.

PIUS PP. IX.

« Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

» Ad plurimas gravissimasgue amaritudines, quibus, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio, et hisce asperrimis praesertim temporibus affligimur, accessit etiam dolor excitatus ex molestis quaestionibus istic exortis ob discrepantes opiniones de quibusdam principiis adhibitis in tradenda philosophica ac theologica scientia in Catholica Lovaniensi Universitate. Non levi autem consolatione affecti fuimus noscentes quomodo Vos, Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres, inhaerentes consiliis Nostris et huius Apostolicae Sedis istic Nuntii, Mechliniae proximo mense Iulio in unum congregati ad alia eiusdem Universitatis tractanda negotia, vestras quoque impendistis curas in aliquo suscipiendo consilio, quo huiusmodi controversiae plane amoverentur et extinguerentur. Quae nostra consolatio summopere crevit * ubi intelleximus, has vestras curas locum habuisse in Epistola, quam die 31 eiusdem mensis Iulii communi consensu ad Magnificum eiusdem Universitatis Rectorem dedistis. Namque in eadem epistola elucet ac dominatur illud concordiae prudentiaeque studium tantopere necessarium ad pacem tuendam, atque ad removendum quidquid christianae paci, et publicae fidelium aedificationi obesse possit. Atque maiore etiam laetitia perfusi fuimus, vix dum cognovimus, ipsius Lovaniensis Universitatis Professores* obsequenter excipientes consilia et regulas a Vobis per eamdem epistolam expressas, declarasse unanimiter se eisdem consiliis et regulis plene adhaerescere sine ulla exceptione. Verum dum vehementer laetabamur, hoc modo controversiam finem habuisse, summo certe animi Nostri moerore

novimus, per articulos publicis ephemeridibus insertos, aliaque scripta recens vulgata operam datam esse, ut controversia ipsa revivisceret, et in hunc finem invocatas fuisse .decisiones a Nostris Congregationibus editas, et a Nobis probatas, quae minime existunt. Atque id evenit propterea quod nonnulli cuidam Documento illud pondus attribuere voluerunt, quo documentum idem plane caret, cum illius contextus et verba omnem de Congregationis decisione ideam evidenter excludant, nec ullum indicium praebeant, Pontificiam Nostram interpositam fuisse auctoritatem, quae reapse interposita non fuit. Itaque optime prae oculis habentibus innumeras maximasque utilitates quae ex mutua animorum concordia derivant, sine qua religio et scientia prosperos exitus consequi nunquam possunt, Nobis summopere cordi est, Dilecte Fili Noster, ac Venerabiles Fratres, omnem occasionem omnino de medio tollere et eliminare, quae concordiam ipsam quovis modo vel leviter turbet et imminuat. Quocirca nullam prorsus proferentes sententiam de doctrinarum merito, quae praesentem excitarunt controversiam, et quarum definitivum examen et iudicium ad hanc Apostolicam Sedem unice pertinet, volumus atque mandamus, ut earumdem doctrinarum tum fautores tum oppugnatores, donec definitivum de ipsis doctrinis iudicium haec Sancta Sedes proferre existimaverit, se omnino abstineant sive docendo, sive cuiusque generis scriptis vel in lucem typis edendis, vel alia quavis ratione vulgandis, distribuendisque, tam cum auctoris nomine, quam sine nomine auctoris, ac sive factis, sive consiliis aliquam ex praedictis philosophicis ac theologicis doctrinis exhibere ac tueri veluti unicam, veram, et solam admittendam, ac veluti catholicae Universitati propriam. Insuper praecipimus, ut sub quovis praetextu se abstineant novas de hac re iterum excitare quaestiones, quae christianae charitati et animarum saluti vel maxime adversantur. Vestrum autem erit, Dilecte Fili, ac Venerabiles Fratres, istis fidelibus curae vestrae commissis hanc Nostram Pontificiam ordinationem voluntatemque significare, quae, uti confidimus, ad exoptatam animorum tranquillitatem et concordiam servandam ac fovendam, Deo bene iuvante, maximexonducet. Certi vero sumus, Vos pro eximia vestra pastorali sollicitudine omnes curas cogitationesque *sé* eumdem assequendum finem esse collaturos, ac summa vigilan-

di

tia, ubi opus fuerit, opportuna consilia communi vestrum omnium consensu provide sapienterque esse suscepturos quoad docendi rationem in Lovaniensi Universitate, et unumquemque vestrum idem omni studio in propria Dioecesi esse curaturum. In eam profecto spem erigimur, fore ut Belgii clerus ob egregiam illam, qua semper eminuit erga Nos et hanc Sanctam Sedem, observantiam et venerationem omni docilítate et obsequio hanc Nostram ordinationem sit excepturus, quam propter gravissimas causas, et peculiari rerum ac temporum adiuncta dandam esse censuimus ad maiorem sanctissimae Nostrae religionis utilitatem in isto regno procurandam. Denique hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam Nostram erga Vos benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto coniunctam Vobis ipsis, Dilecte Fili, ac Venerabiles Fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae concreditis peramanter impertimus.»

Datum Romae apud S. Petrum die 19 decembris anno 1861, Pontificatus Nostri anno decimo sexto.

PIUS PP. IX.

Tum S. Pater rem omnem examinandam commisit duabus Sacris Congregationibus nempe supremae Inquisitionis et Indicis; quid autem Emi Patres iudicaverint patet ex sequenti Epistola.

Illustris ac Rme Dhe uti Frater

« Quum non levis momenti sit pluribus abhinc annis istis in regionibus agitata quaestio circa doctrinam a nonnullis Universitatis Lovaniensis doctoribus traditam de vi nativa humanae rationis, SSmus D. N. qui in Apostolicae Sedis fastigio positus advigilare pro suo munere debet, ne qua minus recta doctrina diffundatur, quaestionem illam examinandam commisit duobus S. R. E. Cardinalium Conciliis tum S. Officii tum Indicis. Iam vero cum esset huiusmodi examen instituendum, prae oculis habitae sunt resolutiones, quas sacrum idem Concilium Indicis edidit iam inde ab annis 1843 et 1844, posteaquam ad illius

iudicium delata sunt opera Gerardi Casimiri Ubaghs in Lov. Univ. doctoris decurialis, inprimisque tractatus Logicae ac Theodiceae. Etenim sacer ille Consessus matura adhibita deliberatione duobus in conventibus habitis die 23 mensis Iunii an. 1843 ac die 8 Aug. 1844 emendandas iudicavit expositas tam in Logica quam in Theodicea doctrinas de humanarum cognitionum origine, sive ordinem metaphysicum spectent sive moralem, et illarum praesertim quae Dei existentiam respiciant. Id sane constat ex duobus notationum foliis, quae ex eiusdem sacri Consessus sententia Gregorii XVI. Summi Pontificis auctoritate confirmata ad Eminentissimum Card. Archiep. Mechliniensem per Nuntiaturam Apost, transmissa fuerunt, monendi causa auctorem operis-«f *nova aliqua editione librum suum emendandum curet, atque interim in scholasticis suis lectionibus ab iis sententiis docendis abstinere velit.* - Quae duo notationum folia, modo res spectetur, simillima omnino sunt; si namque in folio posteriori aliqua facta est specie tenus immutatio, id ex eo repetendum est, quod auctor accepto priori folio libellum die 8 Dec. an. 1843 Emo Archiepiscopo tradidit, quo libello doctrinae suae rationem explicare atque ab omni erroris suspicione purgare nitebatur. Quem sane libellum licet idem Emorum Patrum Concilium accurate perpendisset, minime tamen a sententia discessit, atque adeo tractatus illos ac nominatim tractatum de Theodicea, qui typis impressi in omnium versabantur manibus, atque in universitate aliisque scholis publice explicabantur, corrigendos iudicavit. Fatendum quidem est, post annum 1844 nonnullos intervenisse actus, quibus praedicto Lov. Doctori laus tribuebatur, perinde ac si in posterioribus sui operis editionibus sacri Consessus voto ac sententiae paruisset; sed tamen uti certum ratumque est, bina illa notationum folia post sacri eiusdem Concilii sententiam Summi Pontificis auctoritate comprobatam, fuisse conscripta, ita pariter certum est, posteriores illos actus haudquaquam S. Consessus, multoque minus Summi Pontificis continere sententiam, quod quidem actus illos legentibus videre licet. Quae quum ita sint, necessarium investigare ac perpendere visum est, utrum memoratus Lovaniensis doctor in editionibus logicae ac Theodiceae, quas post diem 8 mensis Augusti an. 1844 confecit, accurate sit exsequutus quod a S. Concilio libris notandis inculcatum ei

fuit in memoratis notationum foliis per Cardinal. Archiepiscopum eidem auctori transmissis. Huiusmodi porro instituto examine rebusque diu multumque ponderatis, memorati Cardinales tum qui S. Inquisitioni, tum qui libris notandis praepositi sunt, conventu habito die 21 Septemb, proximi praeteriti, iudicarunt, *recentes eorumdem tractatuum editiones minime fuisse emendatas iuxta praedicti Sacri Consessus notationes, in iisque adhuc reperiri ea doctrinae principia, quae uti praescriptum fuerat, corrigere oportebat.*

»Quod quidem auctor ipse recenti in epistola ad Eminentissimum Card. Ludovicum Altieri Praef. S. Concilii libris notandis missa aperte fatetur. Scribit enim quatuor adhuc se publicasse Theodiceae editiones, primam nimirum an. 1841 quae primitus subiecta est S. Sedis iudicio, alteram an. 1845 typis impressam haud ita multo post notationes a S. Card. Consessu propositas. Utraque vero editio, quemadmodum suis ipse verbis fatetur auctor-S¿-*miles prorsus sunt, idem capitum, paragraphorum et paginarum numerus, eaedem locutiones; hoc solum differunt, quod secunda editio aliquot diversi generis notas et paucas phrases incidentes continet, quae simul paginas forte duodecim implere possint. Editiones vero* ut ipse prosequitur, *tertia an.* 1852, *et quarta an.* 1863 *etiam inter se similes sunt et a praecedentibus, si formam exteriorem, non doctrinam species, multum differunt.* - Ad Logicam porro quod spectat, cum illius tractatum iterum typis mandavit, post acceptas S. Consessus notationes, haec in praefatione significavit.- *Quantumcumque scripta immutaverim, nunquam minime recedendum esse duxi a principiis, quae in primis editionibus assumpseram, quae tamen repudiare vel mutare me non puderet, si illa falsa vel minus recta esse quisque ostendisset.* - Hinc pariter memorati Cardinales iudicarunt, exsequendum ab auctore esse, quod minime adhuc praestitit, nimirum emendandam illi esse expositam doctrinam in cunctis iis locis seu capitibus, quae S. Consessus lib, notandorum Iudex minus probavit, iuxta notationes in supradictis duobus foliis comprehensas et *peculiariter in primo, utpote quod rem apertius ac distinctius explicat.* Ex quo tamen haudquaquam intelligendum est probari doctrinas reliquas, quae in recentioribus operum praedicti auctoris editionibus continen-

tur. Hanc porro Emorum Patrum sententiam SSmus D. N. Pius IX. auctoritate sua ratam habuit et confirmavit.

«Quae cum ita se habeant, dum Emus Card. Mechliniensi^ iuxta demandatas ei partes memoratum doctorem Gerardum Casimirum Ubaghs admonebit officii sui eique vehementius inculcabis ut doctrinam suam ad exhibitas S. Consessus notationes omnino componat, erit vigilantiae tuique studii pastoralis una cum Archiepiscopo aliisque suffraganeis Episcopis omnem dare operam ut huiusmodi Emorum Patrum sententia executioni nulla interiecta mora mandetur, *neque in ista Lovan. Universitate,* quae ab Archiep. Mechlin. et Suftrag. Antistitum auctoritate pendet, *neque in seminariorum* Scholis aliisque Lyceis illae amplius explicentur doctrinae, quae uti primum ad Apost. Sedis iudicium delatae fuerunt, visae sunt a scholis catholicis amandanda^.

» Haec significanda mihi erant Emorum Patrum nomine amplitudini Tuae cui fausta omnia ac felicia precor a Domino*»

Amplitudini Tuae

Romae die 11 Octob. 1864.

Addictissimus uti Frater
C. Card. PATRIZI.

Doctor Ubaghs novam Logicae et Theodiceae *editionem elucubrava anno* 1865. *Nonnullis ex Praesulibus Belgicis visum est eumdem Auctorem ne in hac quidem novissima editione id sufficienter praestitisse quod ei ab Emis Patribus fuerat inculcatum. Haec nova itaque editio in examen a S. C. revocata est, et sequens prodiit documentum.*

« De libris philosophicis G. C. Ubaghs in Lovaniensi Universitate doctoris decurialis, et praecipue de novissima tractatuum *Logicae* et *Theodiceae* editione anno 1865 ab ipso confecta, nondum tamen evulgata, Eminentissimi Patres Cardinales tum S. Inquisitioni, tum libris notandis praepositi, conventu simul habito die 21 februarii proxime elapsi quam accuratissime examen instituerunt. In primisque quod ad doctrinas attinet a S. Congregatione Indicis iam inde ab annis 1843 et 1844 notatas, non potuerunt quin aegro quidem animo deprehenderent, cl. auctorem in novissima praedictorum tractatuum editione exterioris formae

asperitatem utique attenuasse, verba quandoque mollasse, eadem lamen quoad substantiam nunc docere principia, quae in praecedentibus editionibus reperiebatur: proindeque iudicarunt, hanc novissimam editionem haud fuisse emendatam iuxta notationes annis 1843 et 1844 auctori transmissas, et duo a S. Congregationibus S. Officii et Indicis anno 1864 eidem inculca tas.

» Praeterea, quod iam prout ex litteris meis ad singulos in Belgio Episcopos die 11 Octobris anni 1864 datis sibi faciendum reservaverant memorati Cardinales , alias doctrinas examinandas susceperunt, quae in recentioribus operum eiusdem auctoris editionibus continentur. Et vero perspicere debuerunt, tradi in illis libris doctrinas plane similes aliquot ex septem propositionibus, quas in adiecto folio Eminentia Tua enunciatas reperiet, quasque Suprema S. Officii Congregatio die 18 Septembris anni 1861 haud tuto tradi posse iudicavit (1); et alias quoque in iisdem libris opiniones referri, quae caute minus quam fas esset, exponuntur. Ita declaranda potissimum omnino essent et emendanda, quae in *Anthropologia* anno 1848 Lovanii edita pag. 221, n. 428 leguntur de opinione, quam *Traducianismum* vocant, et quae ibidem pag. 457 et 458 n. 514 occurrunt de vitae principio in homine. Quare Eminentissimi Cardinales in hanc devenere sententiam:—In libris philosophicis a G. C. Ubaghs hactenus in lucem editis, et praesertim *Logica* et *Theodicea* iuvenili doctrinas seu opiniones, quae absque periculo tradi non possunt. — Quam sententiam SSmus D. N. Pius Papa IX. ratam habuit et suprema sua auctoritate confirmavit.

» Ex quibus Eminentia tua facile intelliget huiusmodi pericula a iuvenum mentibus opportuno praesidio esse propulsanda: hinc necessarium omnino erit, ut nedum illi libri iisque similes ab Universitate catholica Lovaniensi et a Scholis omnibus arceantur, verum etiam ea adhibeantur opera communi Episcoporum consensu et auctoritate probata, quibus iuvenilis aetas irreprehensibili et sana doctrina in celebri illa Universitate imbuatur.

«Non dubitatur, quin professor G. C. Ubaghs ea, qua praestat virtute, aliique Lovanienses professores eisdem opinionibus adhaerentes, huic iudicio pareant; neque est cur Eminentiae tuae maiorem in modum commendetur, ut collatis consiliis cum Epi-

(l) Hae propositiones sunt illae, quas adduximus p. 204 et 205.

scopis suffraganeis tuis, omnem operam ponas, ut haec, quae Summi Pontificis nomine praecipiuntur, continuo executioni tradantur, et de omnium executione Apostolica Sedes fiat instructa.»

Romae 2 martii 1866.

Hoc documentum cum ab Episcopis eorum notitiae traditum esset ad quos spectabat, nonnulli non ita interpretati sunt ut par erat; aiebant nimirum doctrinas a quatuor Professoribus die 1 *Februarii* 1860 *Card. De Andrea expositas, neque ab iis, neque a prioribus reprobari;quare iterum a S.* C. *rescriptum est prout sequitur:*

Eminentissime ac Reverendissime Domine Observandissime.

«Accepi binas litteras ab Eminentia Tua proxime ad me datas, quibus adiunctae erant epistolae ad Professores Universitatis Lovaniensis ab Episcopis istius ecclesiasticae provinciae in unum collectis missae, et responsiones datae tum a Rectore illius Universitatis Magnifico, tum a viro cl. G. C. Ubaghs. Istarum epistolarum omnium notitiam habuerunt Emi Patres una mecum Inquisitores generales: quibus opportunum, imo necessarium visum est, ut nedum haec documenta, verum etiam alia, quae, sicut ad me scribis, in manu Tua sunt, coetui Episcoporum subiiciantur: tum vel magis quod memoratae Universitatis professores aliqui et ii praesertim, qui notatis opinionibus adhaeserunt, postremam S. Sedis resolutionem non ita interpretantur et explicant, uti par esset, et uti menti utriusque S. Congregationis S. Officii et Indicis apprime responderet. Fac igitur, quaeso, ut Episcopi suffraganei Tui quam primum apud Te conveniant, hac de re agant et efficiant, ut professores, notatis opinionibus iam adhaerentes, resolutioni S. Sedis plene, perfecte absoluteque se submittant. Non dubitat S. Congregatio, quin hoc negotium in omni patientia ad exitum deducere velis, et omnia referre, quae collatis consiliis cum Episcopis suffraganeis Tuis statuta fuerint et exsecutioni tradita. Interim Eminentiae Tuae manus humillime deosculor.»

Eminentiae Tuae
Humili, devmus Servus verus

Romae die 3 Iunii 1866. C. Card. PATRIZI

Dno Card. Archiep. MECHLINIENSI.

Hisce communicatis litteris Professores illi dubitarunt adhuc, existimantes non quidem doctrinaliter suas opiniones, quas die **1** *Februarii* **1860** *exposuerant, fuisse reprobatas, sed tantam disciplinaliter,*

Eme Princeps, Praesules Elmi, Revmi.

« In consessu Episcoporum Belgii hesterno die habito, placuit Vobis communicare nobiscum epistolam, quam die 3 iunii ad Emum Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem dederat Emus Cardinalis Patrizi. Ibi aliquot e venerabili vestro coetu Episcopi nobis manifestarunt, se quidem in ea versari sententia, ut putent, ex illa epistola, attentis decretis S. Sedis circa scripta D. Ubaghs, constare nostram de evolutione humanae rationis opinionem a S. Sede doctrinaliter fuisse damnatam. Ipsi nos tum hac de re a Venerabili vestro coetu interrogati, respondimus: Velle nos lubentissime nos abstinere ab illa opinione sive ore sive scripto docenda ; attamen non esse nobis hactenus plenissime persuasum praedictam opinionem fuisse a S. Sede doctrinaliter damnatam, quum haec damnatio nobis videretur confici non posse neque ex decretis S. Sedis, neque ex rationibus, quas hanc in rem nonnulli e venerabili Vestro coetu attulerunt.

» Grato animo hic recordamur quod, postquam nos dicentes benigne audissetis, uno ore de nobis testati estis omnes Eine Princeps, Praesules Illmi, Revmi, certo vos scire nos ita esse animo comparatos, ut plene, perfecte absoluteque stare velimus omni S. Sedis decreto eidemque, statim ac nobis innotuerit, nos submittere.

«Itaque Venerabili Vestro coetui placuit petere a nobis, ut opinionem nostram distincte exponeremus, a Vobis deinde iudicio S. Sedis subiiciendam. Cui petitioni Iubenti animo satisfacientes haec declaramus.

» Primo. Plenissime nobis esse persuasum, hominem post lapsum Adami posse per se , hoc est solis suae naturae viribus ipsi insitis, absque ulla revelationis supernaturalis et gratiae subsidio, cognoscere atque demonstrare existentiam Dei et alias quasdam veritates metaphysicas externas. Sentimus, veritates illas externas ex principiis rationis et contemplatione rerum creatarum certissima deductione demonstrari posse. Videmur autem nobis per hanc declarationem reiicere omnia illa, quae in utro-

que decreto 23 iunii 1843 et 8 augusti 1844 S. Congregationis Indicis a S. Sede in scriptis D. Ubaghs fuere notata, una cum falso principio, cui haec innituntur.

» Secundo. Plenissime nobis esse persuasum, hominem, cuius quidem ratio sit sufficienter evoluta, posse ad earum veritatum, quas diximus, iis mediis, quae diximus, cognitionem pervenire, etiamsi nulla earum veritatum illi ope cuiusvis institutionis tradita fuerit. Consequitur ex hac declaratione nos pariter sentire , esse ad cognoscenda ea , quae de Deo naturaliter sciri possunt, revelationem necessariam non absolute et physice, sed moraliter tantum.

» Tertio. Declaramus nos subscribere sequentibus R. P. Peronii verbis, quae professoribus philosophiae commendavit Concilium provinciae Rhemensis in civitate Ambianensi anno 1853 habitum et a Sede Apostolica approbatum. *Cum loquimur de facultate, qua pollet humana ratio, Deum cognoscendi eiusque existentiam demonstrandi, eam significamus satis exercitam atque evolutam, quod fit ope societatis atque adminiculorum, quae in societate reperiuntur, quaeque certe sibi comparare haud potest, qui extra caeterorum consortium enutritur et adolescit.*

«Quarto. De protoparente nostro Adamo, quum non fuerit creatus in statu infantiae, sed hominis quoad corpus et quoad animam perfecti, declaramus sentire nos, eum potuisse sine ulla institutione externa et sine ulla revelatione ad eum rationis usum pervenire, quo distinctam acquisivisset notionem existentiae Dei et aliarum veritatum ordinis naturalis.

«Pergratum nobis erit a Sede Apostolica edoceri, utrum ea, quae hic a nobis sunt exposita, ab ipsa theologice fuerint damnata, ideoque a quovis catholico prorsus sint reiicienda.»

1. Th. Beelen, SS. Pii IX Cubicul. ad hon S. Script.
et ling. Or. prof.

I. B. Lefebve, theol. dogm. prof.

Leodii 1 Augusti 1866.

Episcopi Professorum dubia SSmo Patri iterum exposuerunt sequentibus Uteris.

Beatissime Pater.

« Summa intellectus et cordis submissione accepimus litteras et mandata Beatitudinis Vestrae circa difficultates doctrinae ***m***

Universitate catholica Lovaniensi, maximasque agimus gratias Sanctitati Vestrae, quod definitivum illud iudicium edere dignità sit.

» Quum ad nos pervenissent dictae nomine Emi D. Cardinalis Patrizi signatae die 2 martii currentis anni, mox convenimus Mechliniam, ut collatis consiliis praeceptorum Sedis Apostolicae urgeremus executionem. Die 21 eiusdem mensis martii litteras dedimus ad Rectorem Magnificum istius Universitatis et alteras ad viros ecclesiasticos in illa professores, hisce additas, quibus rescriptum Sedis Apostolicae cum illis communicavimus, obedientiam promptam commendantes. Imo documentum filialis obedientiae, ad pedes Sanctitatis Vestrae deponendum , petivimus a Professoribus illis, qui notatis doctrinis adhaeserunt. Libenti animo hoc documentum nobis tradiderunt et illi et alii quoque ecclesiastici professores. Cl. G. Ubaghs, nobis hortantibus, statim cathedrae suae renuntiavit, et iam otio usus operibus suis corrigendis dat operam.

» Postea singuli in dioecesi sua professoribus seminarii decisiones S. Sedis tradidimus, eos hortantes ad sanctam submissionem. Non mediocri sane gaudio testamur, omnes seminariorum professores summa veneratione verissimoque mentis et cordis assensu desideriis nostris satisfecisse.

» Sed quum ita exultaremus in Domino, tristis ad nos pervenit rumor de interpretatione nova decisionis apostolicae. Disciplinalis est, aiebant, non doctrinalis; docere non possumus ea, quae sunt reprobata, sed corde servare licet ea, quae publice docebamus; alii dicebant: singulares cl. viri Ubaghs opiniones de vi nativa mentis humanae improbatae sunt, sed minime attinguntur ea, quae professores Lovanienses quatuor exponebant in suis litteris die 1 februarii 1860.

» Qui rumor dum spargeretur, cl. doctor Lefebve, unus e quatuor illis professoribus, ad Rmum Episcopum Namurcensem scripsit, suam esse hanc interpretationem. Rector autem Universitatis, cl. Laforet, repetitis litteris ad eumdem Episcopum datis, dixit hanc explicationem, cui adhaerebat cl. Beelen, non esse suam, sed a se ut probabilem et licitam haberi. Rmus Episcopus Namurcensis et alii duo Episcopi epistolam D. Lefebve miserunt ad S. Sedem.

» Talis erat rerum status, dum Leodium, ad hanc aliasque res tractandas convenimus die 30 Iulii currentis anni.

» In prima congregatione die illa 30 Iulii, Emus Cardinalis Archiepiscopus litteras Eminentissimi Cardinalis Patrizi diei 3 Iunii praelegit, quibus declaratum vidimus, necesse esse, nos convenire de hac re agere et efficere, ut professores notatis opinionibus iam adhaerentes resolutioni Sanctae Sedis plene, perfecte absoluteque se submittant.

»„Mox advocavimus in coetum nostrum duos professores supracitatos, qui mentem suam aperirent. Die sequenti adfuerunt, et ad longum sensa sua exposuerunt, praesertim dicentes, se toto corde amplecti omnes S. Sedis decisiones, sed ex litteris an. 1864, et 3 Iunii eiusdem anni sibi non liquere expositionem doctrinalem a quatuor professoribus factam anno 1860 attingi. Nos autem iudicamus in hoc solo puncto totam hodiedum quaestionem versari. Ipsi vero, nobis petentibus, sequenti die adiectum documentum exhibuerunt.

» Igitur ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti supplicamus, ut in hisce rerum adiunctis dignetur Sanctitas Vestra declarare, an dicta Expositio an. 1860 reipsa sit reprobata nec ne in declarationibus supradictis.

» Benedictionem Apostolicam Nobis et fidelibus curae nostrae commissis enixe effïagitamus.»

Sanctitatis Vestrae
humillimi, obedientissimi et devotissimi famuli.
f Engelbertus Card. Arch. Mechl.
f Gaspar los. Ep. Tornacen.
f Theodorus Episc. Leodien,
f I. I. Episcop. Brugen.
f Henr. Episcop. Gandaven.
f Vict. Aug. Ep. Namurcen.

Leodii 1 Augusti 1866.

Post haec Emus Card. Patrizi nomine SSmi Domini ita rescripsit.

Eme ac Riñe Domine Obsme,

« In litteris ab Eminentia tua tuisque suffraganeis Episcopis die 1 huius mensis Augusti ad SSmum Dominum nostrum Pium PP. IX. datis iudicium petitur ab Apostolica Sede super du-

bus quibusdam excitatis a I. Th. Beelen et I. B. Lefebve in catholica Lovaniensi Universitate professoribus circa responsiones Sacrarum Congregationum S. Officii et Indicis tum anno 1864, tum hoc anno 1866 Summi Pontificis auctoritate sancitas. At non ea sunt ista dubia, quae novam rei iam definitae interpretationem ac declarationem requirant : iis enim penitus diluendis per ipsas Sacrarum Congregationum responsiones fit abunde satis. Imo non sine admiratione auditum est, huiusmodi dubitationes fuisse propositas. Omnia profecto ad quaestionem Lovanii agitatam spectantia, ideoque etiam doctrinae expositio a quatuor Lovaniensibus professoribus die 1 Februarii anno 1860 subscripta ad examen fuerunt revocata et prae oculis habita, dum per memoratas responsiones quaestio definiretur. Porro viri catholici, multo vero magis ecclesiastici id muneris habent, ut decretis S. Sedis, plene, perfecte absoluteque se subiiciant, e medio sublatis contentionibus, quae sinceritati assensus officerent.

»Haec sunt, quae nomine SSmi Patris a me significanda erant Eminentiae tuae, ut ea cum Episcopis Suffraganeis communicare velis, et una cum iis praedictos Professores, aliosque idem sentientes moneas in Domino et magis ac magis cohorteris ut sententiae Apostolicae Sedis ex animo, sicut eos decet, acquiescant.»

Interim Eminentiae Tuae manus humillime deosculor

Eminentiae Tuae

Humili, devotiss. Servus tuus.

C. Card. PATRIZI

Romae die 30 Augusti 1866.

D. Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi.

Itaque Episcopi Mechliniae congregati ad Rectorem Magnificum et Professores ecclesiasticos litteras dederunt, quibus praedictam responsionem notitiae eorum traderent, atque ad subscribendum filialis obedientiae documentum eos adigerent; quae literae sunt sequentes :

Magnifice Domine Rector, Professores clarissimi ecclesiastici almae Universtatis Catholicae Lovaniensis,

« Mense martio currentis anni ad vos misimus litteras Emi Card. Patrizi circa difficultates doctrinales Lovanii motas, et petivimus documentum filialis obedientiae decretis S. Sedis Apo-

stolicae. Accepimus sinceras declarationes, quas ea de re ad nos misistis, sed mox rumor sparsus est, sensum et vim responsionum Romanarum a quibusdam professoribus non intelligi ut par esset, et reipsa clarissimi Domini Professores Beelen et Lefebve hunc rumorem veritate niti nobis declararunt, suumque votum ulterioris explicationis a S. Sede obtinendae nobis manifestarunt, dicentes, expositionem doctrinae suae factam die februarii 1860 non esse reprobatane Nos autem puritatem doctrinae simul et animorum tranquillitatem cordi habentes denuo ausi fuimus ad SSmum Dominum supplices accedere, humillime rogantes per litteras diei 1 augusti ut dignaretur dubia exorta novo lumine dissipare. Pater Optimus benigne vota nostra excipiens ad nos mitti mandavit litteras quarum transumptum hic iuxta mandatum Apostolicum inserimus.

» Porro ex aliis litteris eiusdem Emi Cardinalis liquet, praefatam expositionem doctrinae 1 februarii 1860 comprehendi in resolutione utriusque Congregationis S. Officii et Indicis die 2 martii huius anni edita.

» Hae decisiones adeo clarae et luculentae sunt, ut causa tamquam definitive decisa habenda sit. Scimus autem firmissimam SSmi Domini voluntatem esse, ut erroribus sublatis omnes idem sentiant. Itaque ut in perpetuum omnes dissensiones extinctae permaneant, et in quaestione diu agitata iamque definita nihil optandum expectandumque supersit, mittimus formulam litterarum subscribendam ab omnibus, qui vel doctrinas reprobatas tradiderunt, vel iisdem aliquo modo adhaeserunt.

» Has litteras quamprimum recipere gratissimum erit, ut quantocius in manibus SSmi Domini deponantur, et cordi eius hisce temporibus tam dire vexato levamen adferant.

» Quaecumque bona, quaecumque salutaria vobis a Deo, omnis boni auctore, precamur.»

Mechlinae, 17 dec. 1866.

Rector autem et Professores, ad quos Episcoporum praescriptio spectabat, documentum quod sequitur filiali obedientia subscripserunt atque tradiderunt.

Eminentissime Princeps, Illmi ac Revmi Antistites,

« Obsequens mandatis Vestris hocce documentum filialis obe-

dientiae vobis exhibere festino, humillime rogans, ut per manus vestras ad pedes SSmi Domini Pii PP. IX. deponatur.

» Decisionibus S. Sedis Apostolicae diei 2 martii et 30 augusti huius anni plene, perfecte, absoluteque me subiicio, et ex animo acquiesco. Ideoque ex corde reprobo et reiicio quamcumque doctrinam oppositam, nominatim expositionem doctrinae a quatuor professoribus subscriptam et die 1 februarii anno 1860 ad Emum Cardinalem Praefectum S. Congregationis Indicis transmissam , aliaque ad quaestionem Lovanii agitatam spectantia, quae Sedes Apostolica improbavit.

»Profunda veneratione et omnimoda subiectione permaneo,

» Eminentissime Princeps, Illmi ac Rmi Antistites.»

Humillimus et obdientissimus famulus.

Lovanii.... decem. 1866.

Theses a S. Cong. Indicis editae et a **S.** *D. N. Pio Papa IX. die* 15 *Iunii* 1855 *adprobatae.*

1. « Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullum dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, quum ambae ab uno eodemque immutabili veritatis fonte, Deo optimo maximo, oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant. (Encycl. Pii PP. IX, 9 novemb. 1846.)

2. » Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animae rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit. (Prop. subscr. a D. Bautain 8 sept. 1840.)

3.»Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit. (Prop. sub. a D. Bautain 8 sept. 1840.)

4.«Methodus, qua usi sunt D. Thomas, D. Bonaventura et alii post ipsos scholastici, non ad rationalismum ducit, neque causa fuit, cur apud scholas hodiernas philosophia in naturalismum et pantheismum impingeret. Proinde non licet in crimen doctoribus et magistris illis vertere, quod methodum hanc, praesertim approbante vel saltem tacente Ecclesia, usurpaverint.» (Propos, contradict. propositionibus passim ex D. Bonetty desumptis.)

EX S, CONGREGATIONE COMM.

MATRIMONII.

Die 25 Maii Î867. *Sess. 24 c. 1 de Ref. Matr.*

Compendium facti. Ab anno 1860 mutuo ardebant amore Livius et Caia; dein futuri matrimonii fidem ad invicem satis spopondisse videntur, neque turpia commercia postea defuerunt, ita ut Caia prolem conceperit, quamvis id initio occultum remanserit.

Caia denique in domo cum degeret materterae, in crimine cum Liv-io est deprehensa. Namque matertera , quae eiusmodi commercia apprime suspicata fuerat, quadam die Caiae ait, se e domo abscedere, redituram postridie. Aderat quidem eadem in domo vir materterae, sed lecto decumbebat pede laborans. Hac absentiae occasione arrepta, Caia et Livius, nocte intercedente condormire convenerunt, prout reapse factum est.

Verum accidit, ut matertera nocte diei eiusdem quo abscesserat rediret una cum fratre suo Antonio. Antonius primus fuit qui sponsos in lecto decumbentes inopinato reperiit, quo clamores excitante, statim adfuit eius soror et dein huius vir licet pede impeditus et proprio baculo substentatio. Livius, ut clamores reprehensionesque sedaret, silentio indicto, ait, si malum patraverit se luere poenam esse paratum.

Inter strepitus, minas et implicationes vir materterae quamdam supellectilem suo baculo iratus percutiens, manum suae uxoris inconsulto laesit.

Consilium interea propositum fuit accersendi Parochum ut matrimonio assisteret, et hac ratione Livius invitus poenam lueret. Quamvis hoc consilium Livio non multum arriserit, tamen ipse postea consentiens ait, se non posse ea ipsa nocte domum suam ducere Caiam ne familiam perturbaret: monuit autem,

re silentio interea obiecta, paucos post dies Caiam familiae suae domum esse ducturum.

Itaque licet hora esset undecima noctis matertera ad vocandum Parochum exiit, eumque rogavit dicens: quendam aegrotum domi se habere, qui extrema sacri olei unctione indigeret: accurrit Parochus comitante matertera alioque viro. Quibus domum ingressis, matertera tum Livium tum Caiam indigitans, *hic est aegrotus, ait, haec est aegrota:* cui Parochus, *quid hoc? hoc est,* subiunxit illa, *te matrimonio nunc ineundo benedicere debere.*

Id reprobavi! Parochus; sed audita rerum enarratione, insistente matertera ut sponsi genuflecterent eaque quodammodo suggerente quid facere sponsi deberent, sponsus accepta manu sponsae verba contractus protulit et mulier vicissim.

Parochus quamvis rem non recte gestam haud laudant, tamen gestam esse edixit.

Post haec, quadam animorum non sine poculis facta recreatione , Caia domi mansit et in eadem post duos vel tres dies iterum a Livio tanquam uxor cognita fuit; sed postea neque Caiam in suam familiam duxit, neque in uxorem habere voluit. Conquerebatur enim de hactenus descripta agendi ratione; et quod magis est, dubitatio mota est, an verba contractus prolata a sponsis fuerint necne praesentis vel futuri matrimonii.

Livius et alter vir qui Parochum est concomitans haec deposuerunt. Prior fassus est se non quidem genuflexum (non enim sponsi matertera insistente genuflexi sunt, sed prope consederunt), sed sedentem dixisse: *igitur erit mea uxor:* et Caiam subiunxisse: *hic erit meus maritus.* Alter autem dictus vir **testaT**tus est: « se non vidisse an sponsi manum ad invicem dederint, » quod ipsos non aspiceret: tantum se proferre audivisse Antonium dicentem: *igitur haec erit mea uxor:* et Caiam subiungentem: *hic erit meus maritus.* Bene se intellexisse ait verba » a sponsis prolata, quamvis nullum signum dederit quo se intellexisse deprehenderet : se de matrimonii validitate dubitasse ex unica ratione quod Parochus nulla verba protulerit » prout contingit in matrimonio rite ineundo.»

His tamen depositionibus ad versaba tur confessio Caiae et testimonium trium aliorum qui praesentes aderant: hi enim omnes unanimiter testati sunt, Livium dixisse: *haec est mea*

uxor: **et Caiam:** *hic est meus maritus.* **Omnes praeterea matrimonium tamquam perfectum existimasse, non excluso Livio, qui deinde suis amicis fateri non dubitavit, se aliis illudere existimasse, et tamen illusum mansisse in rete detentum.**

Parochus autem testatus est, se eo temporis momento rem ut confectam sine dubio habuisse, et sequentibus diebus in eadem mente permansisse, prout ipse aliis enarraverat; « tamen *)) se nunc ancipitem esse, in asserendo, an Livius dixerit: haec* **v** *est mea uxor,* **vel potius:** *haec erit mea uxor:* **certum se esse » in eo momento putasse Livium dixisse:** *haec est mea uxor;* **» Caiam autem absque dubio subiunxisse:** *hic est meus maritus. »* **Eiusmodi autem dubitatio in Parochi mentem subiit, postquam locutus est cum Livio alteroque dicto viro. Vir tamen hic tamquam mendax publice habebatur.**

Haec omnia ex actis in Curia episcopali rite confectis iuxta Benedictinam Const. *Dei miseratione.*

Cum autem Curia episcopalis a sententia ferenda super hac causa ob politicas vicissitudines abstinuerit, Caia, quae pro matrimonii validitate agebat, a SSmo D. N. obtinuit ut causa in prima instantia et oeconomice definiretur in S. Congregatione Concilii.

Post hanc simplicem factorum enarrationem» disceptatio, quamvis synoptica fastidium Lectori crearet, a qua proinde referenda abstinemus.

Dubium.

« An constet de validitate matrimonii in casu. »

RESOLUTIO.**— Sacra Congregatio Concilii causa cognita die** 25 **Maii** 1867 **respondere censuit:** *affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ex duplici capite potuisse huius matrimonii valorem impugnari a) ex passa coactione, et b) ex explicito defectu consensus.

H. Neque primum neque alterum verificari: namque coactioni iustae quamvis iniusto modo illatae ultro Livium sese

accommodasse constabat: consensum sufficientem emisisse per verba, quae praesentem matrimonii contractum configerent (1).

III. Quare in praesenti casu locum principium illud habere: *multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem.*

(i) **Coactio potest esse iusta, tamen iniusto modo illata; et ob modum iniustum quo infertur posset quidem reddi nullum matrimonium si gravis esset, ut probat textus in** *c. Veniens ih de Spons. et matr.* **quod ad rem nostram maxime facit:** *a Veniens ad nos Gu. sua nobis relatione monstravit, quod iri domo sua mulierem quandam recepit, de qua prolem habuit, et evi fidem coram pluribus praestitit quod eam duceret in uxorem. Interim autem cum apud domum vicini sui pernoctaverit, eius filia nocte illa secum concubuit: quos pater puellae simul in uno lecto inveniens, ipsum eam per verba de praesenti desponsare coegit. Ideoque mandamus quatenus si inveneris quod primam post fidem praestitam cognoverit, ipsum cum ea facias remanere: alioquin secundae (nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit) adhaerere facias ut uxori* **» et late prosequitur Pirringh** *ad dictum titulum sect4.* **$.2 ». 102. In praesentia autem coactio iuste facienda, iniusta reddebatur ex modo quo illata est: tamen neque gravis erat et facile a Livio potuisset superari. Sed praeterea Livius huic rationi ineundi matrimonium, quod, in fragrante crimine depreusus, initurum promirerat, sese facile accomodavit,**

Quae autem dicta sunt de verbis non exprimentibus praesentis matrimonii con sensum, satis exclusa sunt. Quod si reapse Livius dixisset in illis adiunctis: *igitur haec erit mea uxor,* **haec intelligenda erant, non quatenus Livius de futuro matrimonio ineundo cogitasset, sed de praesenti, ita ut hunc praeferant ea verba sensum:** *igitur ut vos mavultis haec erit in praesentia mea uxor:* **quae quidem verba italico idiomate quo sunt prolata hunc sensum facile ferunt: et hoc sensu fuisse prolata ostendebant omnia adiuncta, sive ea quae praecesserant, sive ea quae comitata, sive magis ea quae subsecuta sunt, cum haec ratio dubitandi, ex modo dicendi petita, Livio in mentem non venerit, nisi multo post; eo scilicet tempore quo quaerebat ab uxore liberari, et postquam tamquam uxorem propriam cognovisset Caiam.**

Fortasse aliquis his adiungi posse existimabit, fuisse tacito consensu convalidatum matrimouiiun si ex defectu consensus fuisset initio nullum: sed de hac re recolenda sunt quae scripsimus in *Appendice I. Vol. II.*

IURISPATRONATUS SUPER RESERVATIONIBUS APOSTOLICIS.

Die 16 Februarii 1867. *Sess. 25* **c.** *9 de Refor.*

Compendium facti. Sacerdos Ambrosi nobilis et dives Praepositus in cathedrali ecclesia N. cum in munere quod gerebat Pro-Vicarii Generalis deprehendisset ruricolas in quodam agro degentes tum ob distantiam a Paroecia tum ob itineris asperitatem spiritualibus auxiliis identidem destitui, statuit propriis sumptibus novam paroeciam eo in loco erigere.

In capitulari congressu anno 1850 , praesidente Episcopo, declaravit suam hanc voluntatem Paroeciam erigendi, quae filialis esset ecclesiae cathedralis, eaque a Capitulo regeretur per Vicarium perpetuum, qui adprobatus ab Ordinario, per litteras in episcopali Cancellaria expeditas canonice institueretur, *salvis competentiis Dalariae Apostolicae.*

Hanc tamen animi declarationem paulo post aliquantulum immutavit: namque seposito consilio de adiicienda Paroecia tamquam filiali cathedrali ecclesiae et quavis sublata mentione de Apostolicae Datariae competentiis , supplici libello Episcopum rogavit ut ad paroeciae erectionem deveniret sub his conditionibus: « *Ut Parochi nominatio pertineret semper ad ipsum Oratorem donec viveret, et post suam mortem ius nominandi devolverete Capitulo cum facultate hoc ius in perpetuum exercendi, nominando capitidariter per secreta suffragia Parochum qui aetatis sit* 40 *annorum et probatae vitae.* »

Quas preces benigne excepit Ordinarius, iussitque confici solemne dotationis instrumentum ut deinde decretum erectionis expediretur. Facto dotationis Instrumento, quo Fundator declaraverat *in pleno suo iure et proprietate esse bona adsignata in paroeciae erigendae dotem,* decretum erectionis emissum fuit ab Episcopo his verbis: *Erigimus novam Paroeciam, et sic erectam illius iuspatronatus cum reservationibus et conditionibus praenarratis, aliisque in dicto Instrumento enucleatis concedimus et reservamus in favorem... Praepositi Ambrosi donec ipse vixerit, et post eius obitum in favorem Revmi Capituli.... in perpetuum*

cum facultate nominandi Curatum à Nobis et successoribus nostris adprobandum et instituendum iuxta ipsius Fundatoris voluntatem.»

Aedificatis parochialibus aedibus prima vice Fundator Parochum Angelum nominavit, qui idoneus ab Episcopo repertus atque adprobatus canonicam institutionem consequutus est anno Î853.

Paulo post a Parochi nominatione Praepositus Fundator decessit: et duodecim post annos *mense Maio* 1865 decessit nominatus Parochus. Capitulum ergo iuxta legem fundationis ad Parochum nominandum se parabat : sed quaestio orta est an hac vice Paroeciae collatio pertineret ad Apostolicam Sedem ; namque primus Parochus decessit mense Maio, qui Apostolicis reservationibus subest in vim Regulae IX. Cancellariae.

Cum Episcopus existîmaret collationem hac vice ad S. Sedem pertinere, Capitulum secus sentiret, quaestio denique ad S. C. C. devenit.

Disceptatio sywojptica.

QUAE AFFEREBANTUR FAVORE S. SEDIS. — in regula IX. Cancellariae Apostolicae reservantur omnia Beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura in singulis mensibus Ianuarii, Februarii, Aprilis, Maii etc. extra Romanam Curiam vacatura , *ad collationem provisionem, praesentationem, electionem etc,* quorumcumque collaturum etc. sub qua reservatione comprehenduntur Beneficia iurispatronatus ecclesiastici iuxta *Cap. Cum Dilectus de iurepatr.* Garcías *de Benef. p.* 5 *c. I. n.* i 52. Porro in praesentia agebatur de Beneficio iurispatronatus ecclesiastici cum cura ad praesentationem Capituli conferendum, quod vacaverit mense Maio; quare vi Regulae IX. reservationibus videbatur subiectum.

Duae quae obiici poterant difficultates, scilicet Beneficium non esse ecclesiastici iurispatronatus > aut Fundatorem ab reservationibus illud immune voluisse; sic repellebantur. Fundator pingui Praepositum in Cathedrali praeditus, censetur huius fructibus dotationem constituisse, ita ut qualitate hac ecclesiastica Beneficium videatur inbibitum, ut ait S. Rota apud Pitonium *De Conlrov. Pair, alleg.* 47 *num.* 33: sed quod magis est, in limine fundationis statuit, ut iuspatronatus post suum obitum ad Communitatem ecclesiasticam immediate deveniret :

quo casu iuspatronatus etiamsi laicale sit, evadit ecclesiasticum iuxta *cap. unicum de lurep. in* 6° *§. Verum,* ubi in casu quo laicus iuspatronatus sibi competens Ecclesiae seu loco religioso duxerit conferendum, tum ecclesia ut patronus ecclesiasticus praesentat; sic enim in eo legitur: « *Et omnino quantum ad praesentationem pertinet, non ut patronus laicus, sed ut patronus debet ecclesiasticus reputari.* »

Altera difficultas repellebatur dicendo, posse quidem Fundatores in limine fundationis excludere Reservationes sive *expresse* sive *tacite,* sed eiusmodi exclusionem clare debere ostendi, iuxta ea quae tradit Pitonius *Discep. Eccl.* 25 *n.* 1 *et* 2. Porro tum instrumenti dotationis verba, tum Decreti fundationis nec *expresse* nec *tacite* excludere reservationem Regulae IX. Tacita namque exclusio peti fortasse potuisset ex verbis: *cum facultate hoc ius in perpetuum exercendi:* attamen haec verba non excludere reservationes S Rota pluries docuit ut in *Apru. dna Beneficii* 19 *Iunii* 1705 *coram Scotto* quae a Pitonio affertur *De Contr. Pair, alleg.* 28 *n.* 33 *et seqq.* Haec enim dictio ***in*** *perpetuum* adiecta intelligi potest ad designandum, talem Patronum esse debere non quidem ad tempus sed perpetuum: quod quidem aliis decisionibus S. Rotae confirmabatur.

QUAE FAVORE CAPITULI «EDUCEBANTUR:—Initio contendebatur iuspatronatus in sua institutione existimandum esse laicale, illudque tale permansisse : namque certum in facto erat Sacerdotem Ambrosi ex suis bonis patrimonialibus aliisque sibi pleno iure pertinentibus dum viveret Paroeciam fundasse: iuspatronatus autem suo initio laicale, si illud fundator in limine fundationis reservet favore ecclesiasticorum seu ecclesiastici collegii ut *toties quoties* vel *semper* vel in *perpetuum ius illud exerceant praesentando, nominando,* eo ipso a Canonistis exclusas censeri reservationes. Secus quidem esse dicendum si iuspatronatus laicale conferatur personis laicis et in eorum cessatione sive extinctione ad ecclesiasticos nulla Conditione adiecta, vel transitu non praeviso, devolvatur ; hoc enim casu Doctores, docent, reservationes Apostolicas subintrare, S. Rota in *cit. Aprutina* , Lotter. *de Re Benef. I.* 2 *q. 8 n.* 99 *et q.* 27 *n.* 66, etc.

Namque contra naturam et substantiam ecclesiastici Beneficii non est, ut in ipso fundationis limine sive explicite sive

implicite reservationes excludantur, ita ut cum qualitate laicali iuspatronatus ad ecclesiam transeat, S. Rota in *Romana Iurispatronatus* 31 *Maii* 1613 *coram Sacrato.*

In praesenti autem themate dicebatur Fundator Ambrosi et praevidisse transitum iurispatronatus ad Capitulum , imo illum statuisse: voluisse praeterea ut illud *in perpetuum exerceret:* huic exercitio responderet Episcopi adprobatio et institutio: quare non solum verba *in perpetuum* censenda esse referri ad iurispatronatus pertinentiam, sed eliam *ad exercitium* et praesentandi modum, ut respondit Rota in *Terraconen. Beneficii §. Decisio coram Lancetta,* Fargna *t.* 3 *c.* 23 *cas.* 1 *n.* 5.

Eo vel magis quod Fundator in prima animi sui explicatione, salva quidem dixerit iura Apostolicae Datariae ; in facto vero ad erectionem deveniens, mutato proposito, ne verbum quidem de his iuribus fecerit sive in Instrumento dotationis sive in Decreto erectionis, quod emissum est iuxta preces Ambrosi.

Quod si haec satis esse non viderentur ad mentem Fundatoris reservationes excludentem ostendendam, aliae coniecturae adiungebantur: scilicet Fundatorem sollicitum fuisse de quaerenda speciali Patronorum industria in Parochi electione, ut patet ex qualitatibus in Parocho requirendis et a Patronis verificandis : ipsum Fundatorem erexisse Beneficium et nominasse Mense Apostolico scil. Iulio; quod quidem quandam observantiam constituit: denique ex dispositionis tenore Fundatorem visum esse ius nominandi tradidisse Capitulo eo modo quo ipse exercuerat, ita ut, nulla de concursu mentione facta, imo concursu excluso, Capitulum nominaret Parochum, quem Episcopus examinaret et adprobaret ut contingit in iuspatronatus laicalis.

Coronidis autem gratia aderat attestatio Episcopi sub quo Ambrosi fundaverat Paroeciam, qui testatus erat, se bene meminisse, Ambrosi constituere intellexisse iuspatronatus favore Capituli, ita ut eidem pertineret Parochi nominatio , *quovis in mense accideret vacatio.*

His aliisque adductis et Doctorum auctoritate erudite confirmatis, propositum est resolvendum

Dubium,

« An constet de iure Capituli Cathedralis nominandi Párochum Ecclesiae N. N. in quibuscumque vacationibus, seu potius

» provisio eiusdem ecclesiae reservationibus Apostolicis obnoxia » sit in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii causa discussa die i6 Februarii 1867 respondere censuit: *affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Non esse confundenda Beneficia seu melius Cappellanias laicales cum Beneficiis iurispatronatus laicalis (1). Illa enim Beneficia ecclesiastica non censentur; haec autem Beneficia sunt vere ecclesiastica.

Ii. Beneficia ecclesiastica iurispatronatus laicalis seu iurispatronatus privatorum subiecta natura sua non esse Datariae Apostolicae reservationibus.

III. Transitu adveniente huius iuris in publicas ecclesiasticas personas qua tales, seu in collegium ecclesiasticum, naturam suam immutare, ita ut ex iuspatronatus laicali evadat ecclesiasticum aliisque generalibus legibus Subiiciatur.

IV. Manere tamen posse hoc in transitu aliquatenus laicale, si constet, Fundatorem, transitu constituto, legem qua ipse in juris exercitio dirigebatur, permanere intellexerit.

V. Maxime si de exclusione Reservationum agatur, quae exclusio non dicitur contra ius, sed secundum ius et ordinarium Beneficiorum statum (2).

(1) Recoli possunt quae scripsimus in *Vol. II.p.* 327 *et seqq.*

(2) Legi potest Causa in S. ilota agitata in *Parmen. Beneficii coram Scotto die* 13 *Iunii* 1701, *corum Ansaldo* 16 *Ianuarii* 1702, *et coram Malines* 170B. Haec enim causa, nostrae valde similis, ter fuit in S. Rota agitata, et pro exclusione Reservationum semper iudicatum est. Has decisiones refert Pitonius post *Alleg.* 48 in opere *de Controvers. Patronorum.*

ELECTIONIS QUOAD CANONICUM THEOLOGUM

Die 30 Martii 1867. *Sess. 5 c. 1 de Ref.*

Compendium facti. Ex antiqua consuetudine a Bened. XIV. confirmata, per Const. *Regis Pacifici,* Canonicus Theologus in cathedrali ecclesia N. in Italia ita constituitur: « *Episcopus quidem* (sunt verba Constitutionis) *duos proponet et nominabit. Capitulum vero ex his duobus nominatis unum eligere debebit de huiusmodi Canonicatu ac Praebenda providendum, quemadmodum huc usque servatum fuit.* »

Vacante theologali Praebenda anno 1864 ac invitatione per Episcopum ad eam adipiscendam indicta, duo tantum Presbyteri eam affectarunt, Aloysius et Caesar, eosdemque Episcopus Capitulo proposuit.

Capitulum ad electionem deveniens per suffragia neque unum neque alterum elegit. Namque suffragia ex novem Canonicis qui scrutinio intererant, ita reperta sunt distributa, ut cum Aloysius tum Caesar quinque habuerint propitia, et quinque adversa: quare ad novum scrutinium Canonici devenerunt, et Aloysius habuit tria vota propitia et sex contraria; Caesar autem quatuor propitia retulit et quinque adversa.

Capitulum existimans munere suo functum esse hac electione, ob maiorem suffragiorum numerum quem Caesar obtinuerat, novi Theologi electionem Episcopo patefecit.

Aegre tulit Aloysius se posthabitum fuisse Caesari, et datis litteris ad S. C. C. duplici ex capite confectam electionem impugnavit, tum ex carentia absolutae maioritatis suffragiorum, tum ex iniustitia.

Rogatus de more Episcopus ut, audito in scriptis Capitulo, referret de aetate, moribus, scientia et idoneitate electi ad officium théologale, et transmissa distincta meritorum notula utriusque concurrents, animi sui sententiam aperiret. Capitulum confectam electionem defendit. Episcopus addidit utriusque Concurrente meritorum documenta, et inter caetera monuit, théologale officium ea in urbe non magni esse laboris, cum ex con-

suetudine duodecim solummodo S. Scripturae lectiones singulis annis tradi solerent. Monitis partibus ut iura sua quatenus vellent coram S. C. deducerent, quaestio S. Congregationi dirimenda proposita est.

Disceptatio synoptiea.

QUAE PRO NULLITATE ELECTIONIS ADDUCEBANTUR. — **Adducebantur nimirum ea capita canonici iuris quae statuunt, in electionibus illud praevalere debere quod a maiori et saniori parte eligentium fuerit constitutum, ut in** *cap.* **1** *et* **3** *de His quae fiunt a maior, par. Cap.,* **et** *cap. Quia propter de Elect.* **Quibus consonant quae Canonistae docent: in electionibus quae fiunt a Capitulo, opus esse unanimi consensu maioris partis. Proinde in praesenti themate, cum maior Capituli pars contrariam utrique ex Candidatis voluntatem ostenderit, nullam habendam esse electionem.**

Eo vel magis quod haec suffragiorum maioritas pro eligendis habenda ita necessaria in electionibus appareat, ut sine ea laesum quodammodo videatur ius naturae. Electio enim est Capituli ; Capituli autem voluntatem maior dumtaxat eligentium pars representare potest ut ex Glossa in *Cap. Cum inter Canonicos* 21 *de Eieci,* **quare concludebatur, consensum maioris partis esse substantialem conditionem in electionibus requisitam.**

In praesenti autem casu electio non solum destituta erat absoluta maioritate, sed praeterea ita suffragia fuerant distributa, ut ex novem vocalibus, septem ad summum diviserint suffragia propitia inter candidatos , et ita ut uterque retulerit numero maiora vota positive adversa, quam propitia.

QUAE IN CONTRARIUM OBSERVABANTUR. — **In contrarium obstare videbatur aliud in canonica iurisprudentia receptum principium quo traditur, non omnia quae in solemnibus electionibus servanda sunt iuxta celebre** *Cap. Quia propter de Elect.,* **praescripta esse in minoribus electionibus circa res non magni momenti. Namque Doctores tradunt ea, quae in dicto Capite** *Quia propter,* **praescripta sunt sub poena nullitatis servanda esse in electionibus Praesulum, quorum obitu ecclesia viduata dicitur; in caeteris autem electionibus puta canonicalium Praebendarum , officiorum capitularium etc. non sub eadem sanctione esse prae-**

scripta, Card. De Luca *de Canon. disc.* 28 Reiffenst. *I.* 1 *tit.* 6 *de elect. n.* 110, Pitonius *Discept, eccles.* 140 ». 56 *et* 61 qui tradit: « Forma expressa in dicto *Cap. Quia propter,* locum sibi vindicat » in electionibus Praelatorum aliorumque Superiorum per quo- » rum decessum viduatur ecclesia; non autem in electionibus » Canonicorum, circa quas nulla specialis et positiva forma » praescripta reperitur. » Quare in huiusmodi minoribus electionibus satis est ut ius naturae servetur, ut concludit Reiffenst. *loc. cit. h.* 112. Non autem adversari videtur naturae iuri, ut in electionibus peragendis ille inter plures habeatur electus , qui maiora suffragia retulit, quamvis haec suffragia voluntatem maioris parjtis eligentium non repraesentent.

Quae quidem in praesenti themate Canonici confirmare studebant allegando specialem consuetudinem et capitulare statutum, quamvis neque statutum referrent neque consuetudinem probarent (1), Et reapse non desunt Auctores inter quos Zipaeus *in Analytica iur. Pont.* 1. 3 in *tit. de His quae fiunt a maior.,* qui tradunt passim in ecclesiis seu Capitulis non servari hac in re rigorem iuris canonici, ita ut sufficiat habere maiora vota comparatione partium minorum. Quaerens itaque Reiffenst. *loc. cit. n.* 149 utrum in omni prorsus electione requirantur vota maiora, sub *n.* 151 reponit, rigorem iuris communis requirentis ad valorem electionis maiora vota respectu totius Capituli praesentis, in nonnullis ecclesiis non observari, sed, per longaevam consuetudinem in contrarium, sufficere ad validitatem electionis, consequi maiora vota in comparatione minoris partis.

Et ad rem praesentem maxime facere videbatur id quod docuit S. Rota in *Adrien. Canonicatus coram Lancetta* 3 *April.* 1699, quam refert Pitonius *loc. cit.* ubi agebatur de electione Canonici facienda, et statutum aderat capitulare quo edicebatur: *Discutiantur omnes ambientes Canonicatum, et qui plura vota habuerit, ille pro Canonico electo habeatur.* Facto scrutinio et adveniente ele-

{i) **Consuetudo solet esse commune litigantium effugium; nihil enim frequentes invocatur ad praesumpta iura confirmanda, quam consuetudo. Nihilominus est tenendum , consuetudinem diificilis solere esse probationis uti communiter tradunt doctores: agitur enim de re facti probanda una cum suis qualitatibiis, an habuerit actuum frequentiam, an tempus legitimum, an causam rationabilem, an unquam per contrarios actus interrupta sit.**

ctione ob dispertita vota valde simili casui nostro, inter caetera **S.** Rota ita disseruit §. *Atque:* « Electores, exclusa necessitate » servandi formam ut supra praescriptam in dicto capite *Quia » propter,* et dicto cap. *Ecclesia,* recte potuerunt ex praedicto » statuto *f capitulari)* illum habere pro Electo erga quem comparative ad alios maior numerus eligentium convenisset, cum *» omnes eo tunc principio collegialiter illius electioni assentiri » censeantur,* ut punctualis est Glossa in cap. *Si cui etc. »*

EA QUAE ADNOTABANTUR CIRCA MERITA. — Ex notulis meritorum dignior quidem erat Aloysius quam Caesar, tamen cum uterque Capitulo uti dignus ab Episcopo esset propositus, non exinde Aloysius sibi iure vindicare posse Praebendam videbatur , omissa quaestione, an bene vel male se gesserit Capitulum. Quaestio potius *ex officio* movebatur, an urgeret in praesenti casu lex concursus cui in Italia subiecta est collatio Praebendae theologalis ex Const. Benedict. XIII. *Pastoralis officii,* ac proinde in examen deducta est citata Constit. *Regis pacifici,* quam edidit Benedictus XIV. favore Capituli de quo agimus; at ex eius tenore satis apparere videbatur, ab hac lege theologalem hanc Praebendam hic Pontifex exemptam voluisse aut recognovisse.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sustineatur peracta electio Sacerdotis *(Caeli saris)* ad Praebendam theologalem in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii recognita die 30 Martii 1867 respondere censuit; *Negative; et esse locum novae propositioni, nominationi et electioni, praevio examine.*

Ex QUIBUS COLLIGI POTEST :

I. Cum de conditionibus servandis in aliqua electione facienda quaeritur, distinguendam esse apprime solemnem canonicam electionem a caeteris minoris momenti electionibus.

II. In solemni canonica electione quae circa Praesules ecclesiasticos versatur, ea omnia esse accurate servanda quae positivo iure sunt statuta, nisi ex consuetudine legitime praescripta aliud invaluerit.

IIÍ. In aliis minoris momenti electionibus satis esse servare quod ipse electionis conceptus natura sua exigere videatur (1).

IV. Quin imo quamvis electio ita confecta, ut ille inter plures electus habeatur qui maiora suffragia ostendere prae caeteris possit in quibusdam casibus non aequa videatur: tamen existente aliquo Statuto aut legitima consuetudine quae id firmen t, talem electionem rite subsistere.

V. Seclusa in Italia ex aliquo titulo lege concursus in conferenda theologali Praebenda, subintrare Tridentinam legem, quae nonnisi personis idoneis eam conferri iussit, facto scilicet idoneitatis experimento (2).

VI. In ^praesenti casu prêter defectum praevii examinis ab Ordinario proponente instituendi, inconsultam nimis visam fuisse electionem.

SPOLIORUM.

***Die** 24 **Augusti** 1867.* ***Sess.** 24* **c.** *16* ***de** Refor.*

Compendium facti. In cathedralibus ecclesiis canonice unitis A. et B., mortuo Episcopo, quaedam controversia orta est inter Capitula utriusque Cathedralis circa divisionem spolioruin Episcopi defuncti faciendam. Capitulum enim cathedralis ecclesiae A. contendebat sibi pertinere unam ex tribus spoliorum partibus ; e contra Capitulum ecclesiae cathedralis B. contendebat sibi pertinere non duas ex tribus partibus* sed tres e quatuor partibus. Capitulum A. innitebatur praesertim consuetudini; Capitulum B. innitebatur vigenti ecclesiasticae disciplinae.

Propositum autem est S. Congregationi dubium quod infra ponitur.

(i) Confer causam quam deduximus in *Vol. I. p.* **113.**

(2) Confer aliam causam in *Vol. II. pag.* **373.**

Disceptatio synontiea.

QUID sui FAVORE DEDUCERET CAPITULUM A. — Admittebat quidem Capitulum A. in ecclesiis cathedralibus canonice unitis spolia Episcopi dividenda esse, servata proportione, iuxta rationem reddituum quos Mensa episcopalis percipit ex utraque unita ecclesia: tamen, subiungebat, cum eiusmodi redditus utriusque Mensae distincte accurateque computari non sine magna difficultate possint, consuetudinem recte subintrare, quae partem spoliorum determinat.

Consuetudinem autem determinantem tertiam spoliorum partem ostendi posse Capitulum contendebat ex quibusdam vetustis resolutionibus capitularibus, quae sive implicite sive explicite de hac tertia spoliorum parte mentionem facerent.

QUAE SUI FAVORE DEDUCERET CAPITULUM B. — E contra Capitulum B. statuto principio, divisionem faciendam esse habita ratione reddituum utriusque Mensae, contendebat, Mensam episcopalem percipere tres ex quatuor reddituum partibus ab ecclesia cathedrali B.; ideoque tres ex quatuor spoliorum partibus sibi pertinere. Eo vel magis quod redditus utriusque Mensae sint separati; et ad rem adducebat Constitution. Sanctissimi D. N. diei 1 Iunii 1847, *Quum illud* in qua haec constituta sunt: O *Ubi enim aliquis Episcopus simul praefuerit duabus vel pluribus ecclesiis unitis, vel iti perpetuam administrationem concessis, quae habeant Capitulum et Cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem ecclesiarum unitarum vel in perpetuam administrationem concessarum redditus non sint divisi, sed unam episcopalem Mensam perpetuo constituant: si vero redditus divisi ac separati fuerint, divisionem fieri mandamus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione fructuum.))* Quae ultima verba casui praesenti rite applicantur.

Negabat praeterea adesse consuetudinem favore ecclesiae cathedralis A., quam quidem Capitulum A. non satis probabat, quod si probaret, subiungebat Capitulum B, eam suo vigore destitutam esse existimandam ob clausulas adiectas allegatae Constitutioni; in ea namque legitur: *Non obstantibus scilicet, si opus fuerit, Nostrae et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito*

non tollendo aliisque Apostolicis Constitutionibus et ordinationibus caeterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus.

Post haec nonnulla *ex officio* adducebantur quae ostendunt quaenam fuerit in his causis iudicandis S. Congregationis disciplina: nimirum quoties quaestio mota fuerit coram S. C. C. de spoliis inter duas ecclesias dividendis , toties resolutum fuisse ea ecclesiae illi cedere debere, cuius redditibus ab Episcopo ea acquisita fuisse praesutnantur, iuxta Constit. S. Pii V. die 30 Augusti 1567: *Romani Pontificis,* quae confirmata fuit alia Constitutione Innocentii XII. *Inscrutabili,* die 29 Ianuarii 1694.

Anno 1708 cum obiisset Episcopus Gorius, qui ab ecclesia Cathacensi translatus fuerat ad ecclesiam Suessanam, et orta esset quaestio circa spolia, sequens S. C. propositum fuit dubium: « An bona mobilia, libri, pecuniae caeteraque, praeter sa-
» era paramenta, inventa tempore obitus Episcopi Gorii Suessani,
» prius Episcopi Cathacensis apud ipsum, spectent ad ecclesiam
» Cathacensem vel potius ad ecclesiam Suessanam:» et rescriptum prodiit die 28 Septembris 1709: *bona quaesita ex fructibus ecclesiae Cathacensis spectare ad eandem;* quae quidem Resolutio confirmata fuit die 25 Ianuarii 1710, ut in *Lib. Decr.* 59 *p.* 331 *et* 60p. 27. Item in *Trivicanaseu Tricaricen.* 6 Iulii 1726. Mortuo Episcopo Viglini, qui translatus ab Episcopatu Trivicano ad Episcopatum Tricaricensem, priorem ecclesiam per annos decem et septem administraverat, et alteri paucos menses praesederat, proposita sunt dubia: I. « An mobilia, libri, pe-
» cuniae, argenta, aliaque bona (praeter sacra Paramenta) bon.
» mem. Simonis Viglini prius Episcopi Trivicani et postea Tri-
» caricensis reperta tempore eius obitus spectent ad Ecclesiam
» Trivicanam, vel potius ad ecclesiam Tricaricensem in casu.»
II. « An paramenta et vasa, sacra aliaque argenta et supellecti-
» lia ad usum Cappellae et cultum divinum destinata reperta ,
» ut supra, debeantur ecclesiae Trivicanae vel potius dictae ee-
» clesiae Tricaricensi in casu: » quibus die 6 Iulii 1726 responsum fuit: ad I. et II. *pertinere ad ecclesiam Trivicanam* (1).

(i) **Ut clarius duae adductae Résolutiones intelligantur, casum hic indicamus, Cum Patres Concilii provincialis Beneventani habiti anno i(¡93, Innocentio Xii supplicassent pro quadam compositione super spoliis Episcoporum Regni Neapo-**

Sed altera indicabatur Resolutio, quae propius casum nostrum attingit, scilicet quae data est in quadam *Treien* Spolii* die 30 Augusti 1845. Enimvero cum anno 1843 defunctus esset in ecclesia Montisfalisci Episcopus Mattei, qui antequam ad eam transferretur rexerat ecclesias Camerinensem et Treiensem, accidit, ut Treiense Capitulum postulaverit partem e sacris utensilibus, quae defuncto Archiepiscopo inservierunt, pro rata portione fructuum et temporis, quo Praesul ille administrationem Treiensis ecclesiae retinuerat, et contradicentes invenerit Camerinenses capitulares sibi universa spolia pro eo tempore contendentes. Proposito itaque dubio : « An et quomodo spectet ad » Treiensem cathedralem ius ad sacra utensilia defuncti Archie- » piscopi Mattei in casu: » responsum prodiit: *affirmative et spectare proportionaliter ratione fructuum.* Hanc autem disciplinam

titani cum Camera Apostolica ad modum et formam, qua Capitula Cathedralium eiusdem Regni iam erant admissa, dictus Pontifex Constitutionem edidit in qua Archiepiscopos, Episcopos et Praelatos inr feriores Regni Neapolitani exemit a Spolio, ita tamen ut Spolia praedicta essent applicanda non ut antea favore Camerae Apostolicae, sed favore Cathedralium, et, illis non indigentibus, favore Parochialium ecclesiarum.

Sed in ea Constitutione non fuerat praevisus casus Episcopi, qui ab una ecclesia ad aliam transferretur: hinc ea dubia proposita fuerunt S C. resolvenda; in his autem dubitandi formulis interseritur incisum *praeter sacra paramenta,* **quia haec sacra paramenta praeservaverat iam S. Pius V. in supra citata Constitutione , ita ut nemo de his posset testari, neque ea Camerae Spoliorum obvenire: edixit scilicet. «** *Quod de caetero omnia et singula ornamenta et paramenta ac vasa, nec non Missalia et Gradualia ac cantus firmi et musicae aliter quomodolibet nuncupati libri et aliae res sacrae etiam auri et argenti ac quaecumque alia bona per quoscumque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos.... ad usum et cultum divinum etiam in eorum privatis aedibus et Cappellis vel Oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento ,vel ab intestato relicta, sub quibusvis facultatibus testandi et alias disponendi de bonis per eos ex Altari vel alias quomodolibet acquisitis... minime comprehendantur, nec sub nomine spoliorum veniant* **(intellige quae cedere debeant Camerae Apostolicae),** *sed ad singulas ecclesias, monasteria... in quibus resederint... omnino spectent et pertineant...* **» Quam legem confirmavit Innocent. XII: ea vero adeo censetur privilegiata, ut disputato in Sacra Congregatione Concilii dubio: «An Creditori- » bus defuncti Episcopi in subsidium, si » alia bona non sufficiant, satisfaciendum » sit ex bonis etiam benedictis seu Pon- » tificalibus non obstante Const. Beati » Pii V: » S. Congregatio nonnisi post longam disputationem die 29 Maii 1683 affirmativum dedit responsum, licet dicta Constitutio solum sustulerit contrarias dispositiones de dictis bonis factas per ultimam voluntatem vel per donationem, ut notatur in folio Causae** *Trivicanae* **supra citatae.**

peculiari auctoritate sua SSmus D. N. plenissime confirmavit, ut in cit. Constit. *Quum illud.*

Observabatur denique in Propositione consistoriali pro ecclesiis unitis de quibus agimus, fructus Mensae ita indigitari soleré, ut scutata 1500 rependantur ab ecclesia B. et scut. 500 ab ecclesia A.

Dubium.

« An et qua proportione dividenda sint spolia bon. mem. » Episcopi (N.) inter ecclesiam (B.) et ecclesiam (A.) in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii re discussa die 24 Augusti 1867 respondere censuit: *affirmative pro una ex quatuor partibus favore Capituli (A.)*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Quamvis Episcopi facultate testandi fuerint a Sede Apostolica donati de bonis ex redditibus ecclesiasticis acquisitis, non tamen inter haec bona comprehendi, sacra utensilia.

II. Eiusmodi sacra utensilia nequaquam spoliorum Camerae cedere, ubi iura Camerae Apostolicae vigent, sed propria manere eius ecclesiae vel ecclesiarum, quibus vel simul vel successive praefuit Episcopus, iuxta Constitutionem: *Quum illud* (1).

III. Excipiendum esse casum, quo sacra Utensilia ad solvendum aes alienum, quod defunctus Episcopus contraxerit, omnino sint necessaria.

(1) Vid. Appendicem II.

CIECA SOLEMNITATES BAPTISMI NATOBUM EX CIVILI CONTUBERNIO.

Supplices Preces. Parochus N. Sacrae Congregationi sequentia exposuit:

« Hac mea in paroecia ab immemorabili mos invaluit ut spurii infantes baptizentur sine populi concursu sonituque Organi vel aeris campani, adhibitis tamen in loco sacro coeremoniis a Rituali Rom. praescriptis.

» Pluribus meis est nuper ovibus ingesta opinio contractum civilem minime differre a catholico matrimonio ex hoc quod prima vice illis, qui solemnem suis natis collationem Baptismi postulaverunt, quamvis iungi ab ecclesia renuerint, acquievi, suadente mei Episcopi epistola etc.»

Quaerebat itaque Parochus quomodo se gerere debuisset. Sacra autem Congregatio, re cognita, sequentem epistolam ad Episcopum eiusdem Parochi mittendam censuit.

Perillustris ac Revme Domine

Die 31 Iulii 1867.

« Pro certo habet sacra haec Congregatio, Amplitudinem Tuam firmiter tenere , eos , qui matrimonii, ut aiunt, civilis contractu inito, communi contubernio vivunt, quin sacramentale foedus coram ecclesia celebrent, in locis ubi lex sacrosanti Concilii Tridentini viget (cap. 1 Tametsi sess. 24 de Refor. matr.) habendos esse , iuxta catholicam doctrinam, tanquam publicos *concubinarius*, eorumque propterea filios censeri et esse illegitimos.

» Quamobrem, quum in quibusdam tuae dioecesis paroeciis ab immemorabili, uti fertur, mos invaluerit, ut illegitimi quilibet infantes baptizentur, adhibitis tantum in loco sacro caeremoniis a Rituali romano praescriptis, at absque populi concursu et sine Organi aerisque campani sonitu, quo legitime natorum baptisma celebratur; Sacra haec Congregatio censet, praefatam consuetudinem, quae obtinere etiam dignoscitur in pluribus locis tuae

dioecesis finitimis, observandam esse in casu, quo aqua Baptismi abluendi sint infantes eorum parentum, qui sub civilis coniugii praetextu scandalosam vitae communionem inierunt, quum nullum prorsus inter eos matrimonium existat coram Deo et Ecclesia, neque legitimi sint filii, qui ex ipsis nascuntur.

» Caeterum , sublata praedicta consuetudine , facile fieret, ut ignarae plebis multitudo nullam prope adesse differentiam suspicaretur inter civilem actum et catholici matrimonii sacramentum, si, absque usitata distinctione in extrinseco apparatu, eamdem solemnitatem, quae hucusque locum tantummodo habuit in legitimorum natorum baptismo, adhiberi cerneret pro illigitimis ex civili contubernio.

» Quin imo, quum extrinseca illa solemnitas, qua aeris campani et Organi sonitu populus advocatur ad infantium Baptisma etiam in parentum honorem aliquatenus cedat; ita sicuti dignum est ut huiusmodi honore gaudeant ii qui sancto catholico ritu magnum Sacramentum in Christo et Ecclesia susceperunt, sic indignum prorsus reputatur, ut eodem honore fruantur, qui publice in peccato vivunt et gravissimo scandalo caeteris fidelibus offensionem et ruinam pariunt. Itaque dum curandum potius est, ut infantes ex huiusmodi parentibus nati quantocius per Baptismi lavacrum in Ecclesiam recipiantur, cavendum insimul erit ne praefatae solemnitates pro his adhibeantur.

* Haec Amplitudini Tuae significare opportunum duxit Sacer hic Ordo, quoniam relatum est, Parochos, qui praedictae consuetudini inhaerent, per aliquos etiam ecclesiasticos viros incusari, quasi regulas nimis rigorosas sequerentur; dum e contra clare patet eos se gerere in re tanti momenti uti probos Parochos decet, ac propterea mereri ut Amplitudinis Tuae Auctoritate foveantur ac tutentur.

» Interim impensos animi mei sensus testatos volo Amplitudini Tuae, cui fausta omnia adprecor a Domino.»

Datum Romae ex S. C Concilii die 31 Iulii 1867.

Amplitudinis Tuae

Uti frater

P. Card. CATERINI Praefectus.

PETRUS **Archiep. Sardianus Pro-Secretarius.**

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Civile, ut aiunt, matrimonium, in locis quibus Tridentinum Decretum *Tametsi* viget, quod servatum non fuerit, Romae appellari civile contubernium.

IL Filios ex eo natos, illegitimos reputari, tanquam ex concubinatu progeni tos.

III. Quare Parochos in eorum Baptismate ea ratione se gerere debere, prout, iuxta legitimos locorum mores, se gerunt erga filios ex concubinatu progenitos.

IV. Maxime vero si, hac agendi ratione neglecta, irrepere possit in populo ea opinio, civile contubernium matrimonium verum legitimumque esse (1).

(i) Recoli possunt proscriptae Propositiones in Syllabo quas adduximus^. 175 ex quibus haec omnia tamquam consectaria etiam inferuntur. Affinitatem habent cum re praesenti ea quae rescripsit Gregorius XVJ. S. M. ad Archiep. Friburgensem de solemnitatibus in matrimoniis mixtis, quas Apostolicas Litteras adduximus in *Vol.U.* **jt>/>.634et 635.Recoli etiam potest Responsum S. C. C. circa benedictionem mulierum post partum spurium, quod adduximus in** *Fol. I. p.* **349.**

EX S, COMMONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

DECIMARUM.

Die 28 Aug. 1857,5 Mar. 1858, 16 Dec. et 4 Feb. 1859;et 3 Iunii 1864.

Compendium facti* In quodam oppido dioecesis A., tres adsunt paroeciae, videlicet una a S. Maria nomen habens, altera a **S.** Cruce, altera a S. Stephano. Earumdem Rectores praediti sunt iure et onere recolligendi ab incolis ibidem commorantibus frumenti decimam eiusque partem Episcopo dioecesano pensitandi, ita videlicet, ut Parochus S. Mariae tria rubia, Parochus s. Crucis rublum unum cum dimidio, item rublum unum cum altero dimidio Parochus s. Stephani eidem Episcopo ex consuetudine persolvat.

Quod ad huius consuetudinis initium attinet, sciendum est, anno 1555 Curiae episcopalis tabularium incendio absumptum fuisse; ideoque quodlibet memoriae vestigium intercidisse: quod autem reliquum tempus respicit, anno 1578 cura ac diligentia illius temporis Episcopi, inventarium bonorum omnium ad mensam episcopalem pertinentium conflatum fuerat, ubi adnotabatur a Parochis illius oppidi, de quo agimus, persolvi debere rubia sex; idemque repetitum comperiebatur in alio inventario, quod ab Episcopo, qui Cathedram Episcopalem id temporis obtinebat, conditum fuerat anno 1765. Huc accedebat, eamdem consuetudinem ex nunquam interrupta observantia usque eo pacifice custoditam fuisse.

Iamvero, veluti persaepe fit, difficultates a Parochis offendebantur in decimarum recollectione exsecutioni mandanda : quamvis enim familiae' opibus non destitutae decimas Parocho pendere minime detrectarent, attamen familiae pauperes et parum religiosae huic obligationi satisfacere detrectabant : unde fiebat, ut decimarum colligendarum cumulus omni ex parte compleri non posset, ac multum imminutus existeret. Itaque

Parochi eo ipso, quo Episcopum in decimarum partem vocare non desinebant, id unum praetendere se posse arbitrabantur, ut ipse non certam eam ac determinatam sex rublorum quantitatem assequeretur, sed, servata proportione, tantum sibi assumeret, quantum a Parochis perceptum fuisset: quo posito, quota Episcopo obtingens ad eam sex rublorum quantitatem ascendere debuisset, si totus decimarum cumulus completus esset, decrescerei autem pro rata portione decimarum quae exigi nequivissent.

Quoniam vero Episcopus, cuius mensa non ita pingui redditu potiebatur, suis iuribus detrimentum inferri posse minime censebat, adeoque certam eam sex rublorum quantitatem sibi adiudicabat, Parochi rem ad S. C. Episcoporum ac Regularium rite definiendam detulerunt. Itaque, auditis Parochis, Episcopo, ac Promotore fiscali, controversia isthaec proposita fuit sub dubii formula, quae infra legetur.

QUAE IN CONSULTATIONE PRO EPISCOPO AFFEREBANTUR. — In hac prima propositione Episcopus praeter factorum narrationem in sui praesidium satis habuit afferre exemplum cuiusdam causae *Cassanen. Quartae decimarum,* penes S. C. Concilii ventilata©, cuius haec erat facti summa. Clerus Ecclesiae Parochialis s. Mariae Maioris Maratheae inferioris, qui decimas tritici exigendi ius et onus obtinebat, quinquaginta modios Episcopo tradere tenebatur. Cum igitur occasione, qua lis quaedam circa hoc ius cum Clero ipso ac populo excitata ac longius protracta fuerat, decimas ipsas exigere nullo pacto potuisset, Episcopo praedictos modios quinquaginta persolvere abnuebat.

Quare Episcopus penes eamdem S. Congregationem idoneis allatis documentis comprobavit, ex consuetudine centenaria hanc decimas exigendi obligationem Clero inhaerere, et sibi e contra ius esse ab iis accipiendi quinquaginta tritici modios et pacifice ad eam usque diem eam consuetudinem fuisse servatam. Quapropter proposito dubio « An Clerus Ecclesiae parochialis » Maratheae continuare debeat in annua praestatione modiorum, » seu tumulorum 50 frumenti pro quarta decimarum debita Epi- » scopo in casu?» die 27 Septem. 1738 Emi Patres rescripserunt: *Affirmative.* Impetrato per Clerum novae audientiae beneficio, propositoque dubio die 4 Iulii 1739 « An standum vel recedendum sit a decisis: » Emi Patres responderunt - *In decisis et amplius.*-

QUID PRO PAROCHIS IN CONSULTATIONE PROFERRETUR. — Quamvis antiquitus sancitum esset, ut Episcopo portio decimatis semper et ubique debita censeretur, attamen iure, quo modo vivimus, inductum est, ut Episcopi eam ex iure SS. CC. unice sibi praesumere non possint, nisi accedat consuetudo. *Cap.de Quartae De Praescr.*

Iamvero etsi Episcopo, contra quem agebant Parochi, consuetudo suffagaretur, ut decimas exactas participaret, nihilominus neque titulum originarium, neque alia documenta exhibebat, quibus demonstraret, sex ea rubia tritici *taxative* sibi deberi ex titulo canonis, seu quotae decimalis in quantitate certa et immutabili. Quae cum ita essent, Parochi subdebant, consuetudinem allatam nihil aliud evincere , nisi quod Episcopus, veluti condominus seu socius ac portionarius in iure decimandi existimandus esset. Quocirca, si ea tritici quantitas, quae a populo solvi debebat, ab ipsis exigi nequivisset, nihil magis iustitiae consonum esse, quam quod portio tritici eidem debita pro rata portione decrescere deberet.

QUID INSUPER A CAUSIDICO FAVORE PAROCHORUM ADDERETUR. —Cum consultatio typis edita fuisset, Parochi sibi Causidicum adsciverunt, qui ulterius iura sua defenderet. Hic autem Restrictu facti et iuris, ut aiunt, conscripto ac Patribus Emis distributo, praeter alia, quae tuebatur, in eo potissimum insistebat, quod, quotiescumque Episcopus ratione quartae decimalis in genere, minime vero ex titulo canonis aut certae et immutabilis quantitatis ius decimandi cum Parochis simul obtineat, idem iura sua persequi possit non quidem contra Parochos sed contra populum debitorem; idque peculiariter accidere subiiciebat, si Parochi pro decimis exigendis omni diligentia usi sint et nihilominus nullas, aut aliquas tantum decimas exigere potuerint. Ad hanc rem astruendam idem Orator ingentem Canonistarum et Decisionum Rotalium numerum sive bene sive male exscribebat.

Deinceps argumentum a *Cassanensi* causa desumptum constabat, ob oculos propositis diversitatibus, quae suo iudicio inter illam et nostram hanc causam intercedebant, quas heic speciatim recensere opus non est.

Hisce praestitutis dubium proponebatur « An et quomodo pa-
» rochi *(oppidi N.)* debeant praestare Mensae Episcopali sex rubia
» tritici in casu. »

Emi Patres die 28 Aug. 1857 responsum dedere - *Affirmative si exegerint: alias Episcopus utatur iure suo contra singulos, qui tenentur praestare decimas.*

CAUSA INCIDENS INDE SUBORTA DE CONCEDENDO BENEFICIO NOVAE AUDIENTIAE.— Huiusmodi resolutio Episcopo primum paullo obscurior visa est, adeoque datis uteris eam luculentius declarari postulavit: sed postmodum, quomodocumque intelligeretur, plena gravaminis contra mensam episcopalem edita ab eodem dicta est. Itaque idem Episcopus novae revisionis beneficium exoravit.

Huic veniae elargiendae difficultatem facessebat disciplina Sacri Ordinis, qui tempus pro petenda novae causae revisione utile ad decendium post cognitam resolutionem praefinivit (1). Et quamvis haec ratio proprie praescripta fuerit pro causis *iuris ordine servato* propositis iuxta pragmaticum S. C. Ep. et Reg. decretum anni 1834; nihilominus usu inductum est, ut eadem disciplina etiam in causis oeconomice disceptatis, qualis erat ea de qua agebatur, utique retineretur. Cum Parochorum Causidici^ eidem disciplinae mordicus insisteret; at contra Episcopus plura momenta rationum adferret, ut Sacra Congregatio petitae veniae adnueret, opportunum visum fuit ob detrimentum quod mensae episcopali imminebat, controversiam incidenter obmotam iudicio plenae Congregationis deferre. Consultatione itaque conscripta cum dubio « An concedendum sit beneficium » novae audientiae in casu » Emi Patres petitis annuerunt die 5 Martii 1858 dato responso « *Affirmative* ».

CAUSAE CONTINUATIO SUPER MERITO. — Cum res ad hunc statum adducta fuisset, Episcopus etiam suum sibi adscivit Causidicum, qui, refutatis rationibus a parte contraria probatis, bonum sui Clientis ius in tuto poneret. Iamvero sepositis aliis animadversionibus minoris momenti, illud non praetereundum, quod auctoritates ab adversario allegatas non ita fideliter e suis locis exscriptas fuisse, uti par erat, idem affirmabat.

Quidquid vero sit hac de re, illud summopere adnotandum, quod Episcopi Causidicus strenue sustinebat, Clienti suo assistere consuetudinem immemorabilem, aut saltem centenariam ad certam et immutabilem quantitatem sex rublorum tritici a Pa-

ci) **Vid. Appendicem, quam adduximus in** *Vol. II. p.* **440** *n.* **12.**

rochis adversariis exigendam. Id enim luculentissime demonstrabant duo superius memorata inventaria, alterum illud nempe anni 1578, et aliud anni 1765, coniuncta cum immemorabili (ante incendium anni 1555) observantia, ordine non interrupto, ad haec usque tempora protracta.

At posita huiusmodi consuetudine, quamvis *generatim* admitterentur iura ab adversario iactitata magis vel minus modificata, nihilo secius *speciatim* in themate in* quo illiusmodi gravissima adiuncta concurrebat, antiquissimae observantiae standum esse valide propugnabat. Namque in utroque iure talis ac tanta vis est consuetudinis immemorabilis ac centenariae, ut nulla res titulum ea meliorem portendere valeat. Vis (ita ad rem docet S. Rota in *Praenestina Mutae* 22 *Martii* 1819 *coram Martinese* §. 3.) « Vis dominium ? Vis pactum vel privi- » legium ? Cuncta haec, et siquid exoptas, ex immemorabili » possessione et centenaria sunt praesumenda.» Quae porro centenaria cum in Causa *Cassanensi* apprime concurreret, Emi Patres S. C. Conc. non dubitarunt iterum iterumque decernere, Episcopo a Parochis adversariis determinatam et minime diminuendam quinquaginta tritici modiorum quantitatem esse tradendam.

Quae cum ita essent, et ex parte Parochorum nihil in ea propositione novi deductum fuisset, die 4 Februarii 1859 , dubium disceptandum concinnatum est. « An sit standum, vel re- » cedendum a decisis » Emorum Patrum responsio fuit : *Recedendum a decisis, et esse servandam consuetudinem exigendi a Parochis quotannis rubia sex tritici.*

SEQUITUR EIUSDEM CAUSAE CONTINUATIO. — Recessum istum a resolutione diei 28 Augusti 1857 aegre admodum Parochi succumbentes pertulerunt: itaque novae audientiae beneficium ipsi etiam petierunt et impetrarunt. Post aliquam comperendinationem, cui causa obnoxia fuit, denique iidem Parochi alterius Causidici opera adhibita scripturam typis editam Emis Patribus distribuerunt pro generalibus comitiis mensis Decemb. anni 1859. In hac scriptura Causidicus totus in eo erat, ut rationum momenta a Causidico Episcopi prolata, quorum vi recessum a decisis ortum habuisse non immerito putabat, singulatim discuterei ac refutaret: sed praesertim infringere connitebatur argumentum a consuetudine immemorabili, vel saltem centenaria desumptum.

Inter caetera oculis Patrum Emorum casus proponebatur, quo Parochi (neque id non fieri plane potest) aliquando ne rubia quidem sex ex decimis percipere possent. Quod si aliquoties vere contingeret, iniquum porro fuisset illud praescribere , ut Parochi quotam tritici Episcopo debitam de suo exsolvere teneantur: exemplo fortasse ducto ab agro emphiteutico, qui si omnino depereat, solutioni canonis ab emphiteuta domino directo rependendae nullatenus locus est.

Quocirca die 16 Decem, anni 1859 in pleno Auditorio dubium conditum fuit « An sit standum in primo vel secundo loco decisis » Emis Patribus respondere placuit « *In secundo loco decisis , excepto tamen casu, quo Parochi pro respectiva rata post adhibitam omnem diligentiam exigere non potuerint ñe rubia quidem sex ad Episcopum spectantia, et amplius.*

ALTERIUS CAUSAE INDE ORIGINEM DUCENTIS EXPOSITIO. — Si quando magnum incendium in silvis excitatum est, quod, flammis longe dilatatis , arbores omnes in cinerem redegerit, illud persaepe accidit, ut quamvis deinceps quaelibet flammea vis exstincta plane videatur, nihilominus aliquod ignis vestigium delitescat; ita ut dici possit cum poeta "Venusino « *incedimus per ignem suppositum cineri doloso:* » ita de hac causa factum fuisse colligitur: licet enim per hanc ultimam resolutionem cum clausula *et amplius* omnis controversiae locus sublatus fuisset, attamen aliquibus post annis non unum quaestionum caput inter Episcopum et Parochos pullulavit.

Anno 1861 contra Episcopum novus extitit adversarius, Parochus nempe loci B., qui et ipse ratione decimarum rubia quinque Episcopo dioecesano praestare tenebatur. Hic itaque collatis consiliis cum duobus ex tribus Parochis, qui penes S. C. Ep. et Reg. superioribus annis depugnaverant (tertio eiusdem loci Parocho omnino silente) rubia quinque, quae pro anno 1861 debebat, Episcopo denegavit aeque ac alii duo memorati Parochi, qui similiter ei denegabant quotam rubli unius cum dimidio a singulis pro eodem anno 1861 persolvendi. Itaque Episcopus, separatis libellis, hosce tres in iudicium vocavit penes Ecclesiasticum Curiae suae iudicem, qui, partibus de more auditis, propitiam Episcopo sententiam contra singulos protulit. Parochi succumbentes, apud Ecclesiasticum Tribunalis Civilis

Almae Urbis Iudicem appellationem interiecerunt, qui sententiam appellatam numeris omnibus confirmare non dubitavit, ex quo factum est, ut sententia ipsa in rem iudicatam abiret.

Cum adhuc penes modo memoratum Ecclesiasticum Almae Urbis iudicem lites penderent, Parochus quinque rublorum debitor tam suo, quam aliorum duorum, de quibus dixi, Parochorum nomine, a S. C. Ep. et Reg. supplici oblato libello, declarari postulaverat, an per ea verba resolutionis 16 Decem. 1859 *apost omnem adhibitam diligentiam* » intelligi deberet, quod, experimentis amicabilibus frustra pertentatis, singulos decimarum debitores in ius vocare, eosque iudicio excutere quisque Parochus obligaretur. Sed S. C, habita ratione litis pendentis interloquì interea noluit iuxta disciplinam similibus in casibus observatam, sed respondit *a Expectetur exitus causae.))*

Ubi itaque primum causa definitivum exitum sortita est, idem Parochus tum suo, tum aliorum duorum nomine S. C. iterum exoravit, ut controversiam, quam ipse moverai, definire dignaretur. Quapropter S. C. libellum exhibitum Episcopo de more mittendum iussit. Hic primum satis habuit suum in Urbe negotiorum gestorem deputare, qui Promotoris fiscalis et ipsius Episcopi deductiones S. C. deduceret. Item Parochi suum in Urbe Defensorem elegerunt, qui Restrictum iuris et facti in Clientum defensionem typis editum conscripsit. Antequam vero calamo manum admoveret, dubium quod hic in calce legitur, coram s. Congregationis *Summista* quem vocant, concinnatum fuerat et rite utrinque acceptatum.

QUAE ARGUMENTA CONTRA IURA EPISCOPI PROFERRENTUR. — Ad factum quod attinet Defensor Parochi rublorum quinque debitoris, (qui unus diligentiam omnem se adhibuisse affirmabat) in medium afferebat testimonium plurium hominum perhibentium, ex Altari Parochum decimarum solutionem coram populo indixisse. Addebat, publicum Municipii famulum per domos de hac obligatione familias moniturum direxisse; pluries personaliter iisdem familiis idipsum Parochum inculcasse; 'publicam Praeconis vocem per oppidum decimarum debitorum auribus insonuisse; sexaginta etiam homines in ius ab eodem Parocho vocatos, et iudicis sententia damnatos fuisse, apparitorem publicum ad damnationes exsequendas dimissum, et nihil praeter miserias et

calamitates, additis implicationibus et conviciis, ab ipso fuisse in domibus inventum: locationis contractum pro decimis exigendis publice affixis Edictis a parocho propositum esse, et unam ac unicam quadraginta seutatorum, quae tenuissima erat, oblationem fuisse acceptam. Ad ius quod attinet, Parochi Defensor propugnabat, contra decimarum debitores censuris ecclesiasticis procedendum esse, quas solus Episcopus infligere potest *Cap.* 5 *Pervenit et Cap.* 21. *Ex parte De Decimis.* Quin imo in *Ciernen.* 2 *Dispendiosam de iudic,* legitur, ut *a super decimis procedi valent simpliciter, et de plano et sine strepitu iudicii et forma:* » quod et sapientissime sancitum aiebat ; aliter enim contra populum universum in iudicio agere oporteret.

Super haec item contendebat, in iure constitutum esse, ut Episcopus ius habeat repetendi quartam decimalem a Parochis, si decimas a populo collegerint: si autem secus se res habeat, ius Episcopo non deesse quo contra singulos declmatores seu decimarum debitores agere queat. Et quamvis directam actionem, rigorose sumptam, non habeat ad eam rem Episcopus, nihilominus eidem in promptu esse nobile iudicis officium, cuius vi similiter, immo uberius etiam id quod petit, consequi potest, veluti comprobare satagebat exemplo causae *Novariensis,* de qua agit *Decis.* 122. *Decis.* 321, *et Decis.* 357 *Par. V. Tom. 1. Recent.* Ex hac doctrina idem Defensor inferebat, cum nulla obligatio (quilibet enim potest iuri suo renunciare) Parochis inhaereat exigendi decimas, praesertim pro decimae quarta Episcopo debita, naturalem ipsam rationem et aequitatem postulare, ut interpretatio illorum verbusculorum *post omnem adhibitam diligentiam* non ita rigide facienda sit; ita ut satis sit, si moraliter omnes diligentiae, quae a bono patre familias adhiberi solent positae sedulo fuerint et absolutae, quin devenire opus sit ad iudiciale excusáionis experimentum.

QUAE AB EPISCOPO IN SUI IURIS PRAESIDIUM REPONEBANTUR. — Episcopus , qui primum ab opera Causidici adsciscenda abstinuerat, dein suum et ipse Defensorem in Urbe elegit, qui praeter deductiones a se ipso conscriptas, memoriam elucubraret, quae ex adverso deducta erant favore Parochi debitoris quinque rublorum reiiciebantur vel tamquam exaggerata vel nulla consideratione digna. Quamvis enim in oppido , de quo agebatur

plerique reperirentur qui decimae 27 librarum tritici quae aestimabantur pretio ne obulorum quidem 30, forsitan pendendae impares essent, reliqua tamen longe maxima pars eiusmodi erat, quae decimae solvendae plusquam idonea reperiebatur. Gaeteroquin vero, cum de tenuissima summa res esset, eaque liquidissima, nil causae erat, cur magnae curae, magnae expensae, magni labores exquirerentur. Dein ea, quae a Parocho ad diligentiam a se adhibitam ostentandam et populi miseriam exaggerandam dicta vel gesta fuisse dictitabantur, ut plurimum, in fide nitebantur ipsius Parochi, qui in propria causa testis esse nullatenus poterat.

Quod vero ex adverso ponitur contra decimatores procedendum non esse cum strepitu fori, sed per censuras ab Episcopo irrogandas, respondebatur, primo textus adductos ita esse intelligendos, ut non celeriter et immediate ad remedia iuris procurandum sit, sed amicabilia quaeque tentamina in antecessum esse exhaurienda : quae si irrita cedant, stultum esse illud contendere , ut decimarum debitores in ius rapi non possent : si enim ita se res haberet, ubi decimatores sese in ius rapi non posse pro certo scirent, admodum pauci invenirentur, qui decimas absque ulla difficultate exsolverent. Praeterea quotidianam experientiam nos doceri, nullo non tempore morosos decimarum debitores iudiciali fuisse actione compulsos. Ex quo facile erui quam et indecorum et odiosum sit asserere, pro decimis exsolvendis, nostris praesertim hisce temporibus, decimatores censuris esse afficiendos.

Allata insuper Doctorum auctoritate protuebatur Defensor, eos, qui ad adhibendam diligentiam obstringuntur, non liberari, nisi iudicialia remedia corripuerint, si necessitas postulet. In casu autem proposito nullatenus dici posse contendebat *omnem diligentiam* a Parochis in decima exigenda positam fuisse, nisi iudicialibus remediis manus fuisset apposita.

Denique circa auctoritatem a causa *Novariensi* penes S. Rotam pluries discussa observabat, eam causam ita terminatam ultimo fuisse, ut Parochi qui in contentionem venerant, ad decimas a populo exigendas compulsi fuerint. Quod si in eiusdem discussione Sacer Ordo tenuit, Episcopis viam non esse inter-

clusam ad exercendum nobile Iudicis officium, non tamen additam fuisse obligationem ad illud exercendum.

His aliisque copiose disputatis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo et contra quem diligentia adhibenda a » Parocho N., et Parochis NN. extendenda sit ad iudicialem ex» cussionem in casu. »

RESPONSIO. — Emi Patres die 3 Iunii 1864 rescripserunt: *Affirmative in omnibus.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. In quaestionibus decimarum, quae a Parochis percipiuntur cum obligatione portionis Episcopo rependendae multum interesse dignoscere, an Episcopus portionem accipiat tamquam simplex consocius seu ex simplici titulo quartae decimarum, an potius ex pacto sive tacito sive solmniter inito, fixa immutabilisque portio eidem sit praestanda.

II. In priori casu, descrescente decimarum perceptione, eidem Episcopo ratam portionem decrescere; in altero casu non item.

H. Probatam consuetudinem immemorabilem, constantem portionem accipiendi, haberi loco pacti: talis enim consuetudo est praeclarissimorum titulorum foecunda.

IV. Aequitatem tamen non pati, ut Episcopus eandem portionem percipiat, si nec eam colligere Parochi contributores valuerint.

V. Diligentiam tamen omnem adhibere Parochos teneri, quae eo usque procedere potest, ut decimarum debitores in ius vocentur, et iudicis sententia damnentur.

VI. Negligentia posita, non impediri Episcopum quominus interveniat nobili iudicis officio quod sibi inhaeret ad cogendos decimarum debitores ut solvant decimas alicui tertio, qui directam adversus eos actionem non habeat.

VII. Colliges demum S. Congregationem etiam in causis *oeconomice* disceptatis,, post decendium a Resolutione data ordinarie non concedere novam audientiam.

VIII. Eo tempore elapso, si interveniant iustae causae, novam audientiam posse obtineri ope plenae Congregationis, quae de causis eandem concedendi iudicet.

EX S, CONGREGATIO! SS, RITUUM.

VICENTINA

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVO DEI

LAlHTiO SOSSIO MARTIRI QUINQUENNI

BEATO NUNCUPATO.

Die 31 Augusti 1867.

NONNULLA DE EIUS MARTYRIO REFERUNTUR. — Anno H80 Bassani ex coniugibus Georgio de Lorenzoni et Maria Rosa humili loco natus est, et in baptismate Laurentii nomen adeptus, cuius Martyrium aemulaturus erat. Illud autem satis mirandum de eodem adhuc infantulo ferunt inter caetera historici: eius patrem cum secunda a nuptiis die belli causa uxorem, domum ac patriam deserere coactus esset , et tandem novem post mensibus eo reversus filium decem diebus ante natum domi reperisset, hunc ex adulterio conceptum iniuria suspicatum arrepto gladio uxorem interimere voluisse : sed filium protensa dextera Patrem ab eo scelere deterruisse his vocibus per prodigium emissis: « *Siste Pater : mea mater innocens est, et ego filius tuus sum.* » Quinque igitur post annis die 5 Aprilis, quae erat Parasceve, cum Puerulus procul matre et sociis solus esset in agro, aliquot Hebraei quorum iis temporibus vesana in Christianos rabies mirum in modum excreverat , arbitrati se obsequium praestare Deo si quem eo die Christianum interfecissent, sanctum puerum rapiunt, et ad quercum alligatum diris excruciant modis, atque enecant. Tum ut crimen tegant, cadaver obruunt saxis. Profectis inde

homicidis illis venerabile corpus in publico coemeterio Marosticae, quod parvum oppidum est Bassano haud ita dissitum, sepelitur. Sed gloriam martyris nocturni splendoris indicio, Deo manifestante, cum et Marosticae et Bassani Cives de eius Corpore altercarentur, hoc plaustro impositum boves divino ductu Marosticam detulerunt: ubi ab eo usque tempore altari in beati Martyris honorem extructum est, eximiam populorum venerationem Domino confirmante sequentibus signis.

QUAE IN EIUS CULTUS IMMEMORABILIS CONFIRMATIONEM ADDUCTA SINT.

Neminem latet percelebris Urbani VIII. Constitutio, qua eorum omnium, qui sine Apostolicae Sedis iudicio Altarium honore in terris fruerentur, nomina Sanctorum albo expungi iussit, nisi et eorum virtutes severo examine probarentur, et gloria patratis a Deo prodigiis manifestaretur. Edixit tamen ibidem, *se nolle quidquam detrahere iis* (sive Beatis sive Sanctis) *qui centenariam ante sua decreta possessionem publici cultus obtinuissent.* Igitur ut in B. Martyre Laurentino probaretur casus exceptus ex tempore immemorabili quoad confirmationem cultus obtinendam, debebat Causidicus ostendere, eidem publicum cultum centum saltem annis ante annum 1634, quo constitutio illa edita fuit, fuisse scientibus et tolerantibus Ordinariis constanter praestitum. Quod quidem ille multiplici argumentorum genere feliciter peregit. Nam primo haud paucis allatis veterum scriptorum testimoniis beatum Märtyrern Laurentinum iam inde ab anno 1485, quo interemptus est, publico cultu donatum fuisse demonstrabat: ut inde pateret non centum tantummodo annis, sed centum et octo supra quadraginta ante Urbani "VIII. decretum hunc publicum cultum initium duxisse. Idem confirmare studuit nonnullis publici cultus indiciis, cuiusmodi sunt 1.° sollemnes sacri corporis *elationes* vel *translationes,* quarum prima eodem ipso anno facta est quo B. Martyr impiorum gladiis occubuit, cuius supra meminimus: 2.° *leones* et *signa* seu effigies saeculo eodem XV. elaboratae, iuxta ea quae Matta de Canoniz. Sanctorum scripsit *part.* 2 *c.* 23 *q.* 13: « Species probationis huiusmodi cultus immemorabilis fa-
» ciunt periti deponentes cum iuramento, picturas, imagines...
» factas fuisse de tempore ex quo eliciatur centenaria cultus ante
» decreta : » quae quidem est sententia Urbani VIII. in citato decreto, et Bened. XIV. *lib.* 2 *cap.* 23 *num.* 12. 3.° *Titulus Beati*

et *Martyris* Laurentino nostro a Saec. XV. ad nostram usque aetatem tributus: iuxta ea quae idem Pontifex Bened. XIV. *eodem lib.* 2 *cap.* 24 *n.* 26 affirmat. & Cultus autem exhibiti argumenta » sunt . . . . ex titulo *Sancti* atque *Beati,* qui omni tempore tum » in voce, tum in scripto ab omnibus publice et palam illis datus » est. » 4.° *Reliquiarum immemorabilis veneratio et distributio;* quam quidem Bened, inter caetera publici cultus argumenta recenset. 5.° *Acta sacrarum Visitationum;* ex quibus patet, Ordinarios et cognovisse et probasse cultum beato Martyri publice praestitum: cuius rei probatissima afferebantur documenta. Quae quidem sacrae visitationes licet sint tantum tres, sufficere tamen eas inquiehat ad Episcoporum tum scientiam, tum tolerandam demonstrandam : praesertim cum nec eas afferre fuerit necesse; siquidem his deficientibus Bened. XIV. *loc. sup. cit.* scribit: «po» test aliunde demonstrari scientia et tolerantia saltem Ordito narii. . . . quippe quod Ordinarii ea edocti praesumantur, quae » fiunt in eorum Dioecesibus. .. » Videlicet qui fieri poterat, prosequebatur Causidicus, ut triginta Episcopi, qui a tempore Martyrii B. Laurentini Patavinae Ecclesiae subinde praefuerunt, atque alii multi qui dein Vicentinae, cui Marosticae oppidum subiicitur, et cultum quo B. Märtyrern prosequebantur populi, et frequentes sacri corporis translationes solemni pompa peractas, aras eidem extructas, eiusdem Imagines palam expositas, eius Reliquiarum tum publicam venerationem tum distributionem, sollemnem tandem in eius honorem festivitatem quotannis Marosticae praesertim celebratam omnino ignoraverit? 6° *Annua festivitas* in eiusdem honorem celebrata, quam inter caetera publici cultus argumenta enumerat Bened. XIV. *loc. sup. cit.* cuius quidem festivitatis annuae eximia afferebat Orator monumenta, praesertim cum de re satis publica ageretur. *T Oblationes:* quas quidem publici cultus indicia esse inficiatur nemo: adferebantur autem sexdecim virorum octogenaria aetate testimonia, qui votivas tabelias in Altari B. Martyris se vidisse testati sunt; tum etiam Cleri populique Marosticani supplex libellus, quo asserebant, in publicis calamitatibus ad B. Laurentinum se omnes confugere eique tum cerae tum olei munera offerre. 8° Demum *cultus continuatio* ad haec usque nostra tempora. Nam et hodiedum eius corpus Marosticae, et dextri brachii particulam BaSsani ma-

güo honore coli : eius imaginem saec. XIV. depictam ibidem in Aede B. V. a Gratiis nuncupatae palam expositam adservari; festivitatem in eius honorem ab immemorabili tempore institutam hodiedum celebrari, et cereorum oleique oblationes adhuc fieri facili admodum ratione ostendit. Quarum probationum congeriem cumulat, confirmat, ac quasi coronat Benedicti XIV. suffragium de cultu immemorabili B. Martyris Laurentini in Epistola, quam ille dedit, dum iam esset summus Pontifex, Benedicto Veterani Sacrae Consistorialis Aulae Advocato, Fideique Promotori : ubi praeclarum praebet testimonium circa immemorabilem huius Martyris cultum: concluditque affirmando, *nihil hinc praeterea desiderari ut ipsis* (nempe Laurentino et quibusdam aliis) *debeatur idem cultus* (sc. publicus) *iisdem in locis etc.*

Disceptatio synoptiea.

QUAE CONTRA OGGERERENTUR AB FIDEI PROMOTORE. —Pauca quidem Fidei Promotor in hac controversia animadvertit; sed ea eiusmodi sunt ut omnino negligi a nobis non possint. Ac primo inficiabatur haberi in hac causa scientiam et tolerandam Sedis Apostolicae vel Ordinarii, quam tamen exigit Bened. XIV. *loc. cit. c.* 23 « ad » adprobationem casus excepti ex tempore immemorabili: » quin imo et ipsa centenarii cultus ante Urbani VIII. decretum monumenta deesse affirmabat. Quorum prius ut probaret, demonstrare aggressus est, eiusmodi cultum inconsulta imo expresse obstante Sancta Sede, et Ordinario, qui id temporis, quo Laurentini Martyrium accidit, Patavinae Ecclesiae praeerat, ad quam tum Marosticae oppidum pertinebat, disertis verbis obsistente ac prohibente. Ad hoc probandum afferebat Sixti IV. Epistolam anno 1475 ad Dominos et Officiales per Italiae partes constitutos datam, in qua expresse prohibet sub poena excommunicationis, quominus cuiusdam pueri Simeonis Tridentini, qui ab Iudaeis in odium fidei Christianae occisus iis diebus ferebatur, et plurimis post necem clarescere signis, *Imagines depingantur, chartae in modum historiarum conscribantur, et publicae exponantur venditionis* quibus rebus fideles in Iudaeos eorumque bona incitabantur: quae omnia *pessimae praesumptionis* nota inurit, quod *quempiam in Sanctos referre, et miracula adprobare Apostolico sit dumtaxat iudicio reservatum.* At vix decem, prosequitur fidei Promotor,

ab hac Sixtina Constitutione effluxerant anni, cum puerulus noster Laurentinus ab Iudaeis interfectus est; eiusque- corpus solemni pompa e publico Marosticae Coemeterio in sacellum- S. Sebastiani delatum est, eique tanquam Martyri honores publice sunt impensi, obstante S. Sedis praescripto quod, iisdem occurrentibus causis, tanquam generale habendum erat; ex quo nimirum eo usque exsarsit Vicentinorum civium in Iudaeos ira, ut publico decreto omnes illos ex suis finibus exsulare coegerint, quod quidem fieri vetuerat Sixtus in sua illa epistola. Quod vero pertinet ad Ordinarios, opportunissime obiiciebat Fidei Promotor Acta Visitationis quae Rmus Petrus Barozzi Patavinae Ecclesiae Episcopus anno 1488 mense Octobri peregerat, in quibus haec habentur expressa-Die 14 Mensis Octobris 1488- *In eo altari* (in Ecclesia S. Sebastiani) *quod spectantibus ad Orientem sinistrum est, habetur pueri nescio cuius cadaver... et propterea, quia a Iudaeis occisus fuerit, in veneratione tanta eius oppidi* (Marosticae) *est, ut vestibus, annulis et similibus oppletum sit. Hoc publice venerari debet nemo:* Et postquam pueri eiusdem lineamenta et indicia quaedam tradiderit Episcopus, ultimo subiicit: *ferunt ei in hanc usque diem capillos crescere et ungues, hoc autem, quia, ut cernere est, corpus, cum adhuc viveret, succi plenum fuit,miraculi nihil habet.* Caeteri vero insequentes utriusque Dioecesis Episcopi quid senserint ignorari inquit Fidei Promotor, cum ab eo ipso anno 1488 usque ad annum 1587 nullum inter Pastoralium Visitationum Acta, quoad Laurentini cultum, monumentum reperiri, ut testabatur Vicarius Generalis Patavinae Dioecesis in sua Epistola ad Episcopum Vicentinum data anno 1863.

Duo igitur monumenta superesse concludebat, quae ad praescriptionem evincendam aliquatenus valent 1.° Acta Visitationis Pastoralis anno 1787 factae ab Antistite Iulio Urbano Patavinae Dioecesis Vicario Generali, qui asserit *integrum adhuc esse corpus Beati Martyris, atque olim magnum hominum concursum ex devotione haberi consuevisse:* Sed haec longe abesse inquit Fidei Promotor ab anno editi Urbaniani decreti, a quo legitimi cultus probatio initium sumat necesse est ut centenaria praescriptio constet. 2.° Duas tabulas saeculo XV. peritorum iudicio depictas, quarum in hac re valorem infirmare studebat. Tandem et ipsum

Benedicti XIV. praeclarum de nostro puero Martyre suffragium infirmare curabat: 1.° **quod innitatur totum Curiae Patavinae testimonio, ducentis et sexaginta annis ab eiusdem Pueri nece in lucem edito:** 2.° **quod licet Pontifex** *nihil desiderari* **asserat** *ut pueris illis* **(inter quos et nostro Laurentio)** *debeatur idem cultus iisdem in locis in quibus centum ante id temporis annos illum continenter sunt consecuti,* **tamen addit =»** *scientibus et probantibus ordinariis;* **quod quidem in casu nostro minime accidisse, imo contrarium omnino evenisse compertum est.**

ORATORIS RESPONSIO ET OBIECTIONUM CONFUTATIO. — **Omnibus quae ab Fidei Promotore oggesta essent in duo praecipua capita redactis nempe, hunc cultum vitiosum fuisse, quod inscia Apostolica sede, et invito loci Ordinario incoeptus fuerit, et eius cultus centenariae praescriptionis documenta deesse; quod ad Sedis Apostolicae ignorantiam excludendam, incredibile prorsus esse ait ut tot sapientes probique Episcopi de re tam gravi Pontificem non admonuerint: profecto vel crassae ignorantiae, vel sui muneris negligentiae incusandos fuisse certum est. Dein negabat Sedem Apostolicam ignorasse cultum nostro Martyri Marosticae atque alibi exhibitum, quod Marcus Corner Episcopus Patavinus processum, quem pro illius Canonizatione conficiendum curaverat, ipse Romam detulerit ad Clementem VIII. licet dein mortuo Romae eodem Antistite processus ille deperiit. Num et Bened. XIV. ignoravit qui tam praeclarum pro eo suffragium dedit? Sixtinam autem Constitutionem, seu potius Epistolam peculiarem casum spectasse. Tertio denique contendit Causidicus necessario non exigi Sedis Apostolicae sive scientiam sive consensum ad hoc ut legitima cultus praescriptio habeatur, sed sufficere scientiam et tolerantiam Ordinarii: quod quidem demonstrabat ex particula** *vel* **qua Bened. XIV. de hac materia disserens** *loc. saep. cit.* **utitur:** *Opus insuper est* **(ad comprobandum cultum immemorabilem)** *ut accesserit scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae, vel Ordinarii* **: hinc licet Romani Pontifices beati nostri martyris cultum constanter ignoraverit, nihil prohibet quominus hic legitime et inchoari et praescribi potuerit. At enim adest Pontificis expressa inhibitio in Epistola Sixtina supra citata. Sed haec, reposuit egregius Orator, non tantum cultum ipsum removet quam illius consequentias, scilicet civium odia in Iudaeos,**

ex quibus tristissima in dies exoriebantur mala: hinc factum est ut Sixtus IV. de pace sollicitus iusserit Tridentinus abstinere ab imaginibus occisi pueri Simeonis pingendis, et reliquis publici cultus actibus quos supra memoravimus, ne *propterea Christi Fideles contra Iudaeos eorumque bona incitarentur; ideo etiam quod multi eorum plura exinde sint passi pericula.* **Caeterum hac, quaecumque ea fuerit, inhibitione non obstante , teste Benedicto XIV.** *lib.* 1 **c. 14** *n.* **4 anno 1558** *facta est apostolica auctoritate cultus* **(b. Simeonis)** *approbatio.*

Quod autem pertinet ad Patavini Praesulis in actu pastoralis Visitationis inhibitionem, hanc iisdem de causis, Orator existimabat, illum fecisse: nam agebatur de puero iisdem ferme temporibus ab Hebraeis item occiso, et de iisdem amovendis consequentiis , quae erant ira et vexationes Fidelium in Iudaeos quae quotidie recrudescebant, ita ut hi Vicentinae ditionis finibus exsulafe tandem coacti fuerint. Non igitur cultum amovit, sed eius consequentias potius prudens Ordinarius eliminare ac prae vertere studuit, ea quae rerum adiunctis adactus ore vel scripto mandasset voluntatis efficacia non confirmans. Nam neque Fratres minores in quorum templo corpus Laurentini asservabatur , neque eos qui eidem publicum impenderent cultum ulla excommunicationis poena mulctavit, nec inde corpus illud auferri, aut omnia cultus indicia obliteran mandavit. Quin imo asserere non omisit Orator, et quidem merito, per eiusdem pastoralis visitationis acta, quae allata sunt, beati Pueri cultum ab ipso anno quo occisus fuit, initium duxisse confirmari ; quem quidem cultum ea Episcopi acta non interruperunt, sed aliquanto prudentiores et cautiores in eo impendendo Fideles reddiderunt.

Tandem quod pertinet ad consequentes Pastores; verum quidem esse, ait Orator, tres tantum haberi pastoralium visitationum actus, quorum unus tantum refertur ad tempora ante editum Urbanianum decretum. Sed hoc praesenti causae minime officere ; nam Ordinariorum voluntatem non ex actibus tantum *conscriptis* **et explicitis esse desumendam , sed etiam ex silentio ipso, quod quidem Bened. XIV. sufficere arbitratus est** *loco sup. cit.* **ad evincendam Ordinariorum tolerantiam et scientiam : sic enim scribit : « Potest adhuc aliunde** *(scil. praeter acta conscripta)* **demonstrari scientia et tolerantia saltem Or-**

» dinarii . . . . quippe quod Ordinarii ea edocti praesumantur » quae fiunt in eorum dioecesibus. » Donec igitur adversarii, concludebat Orator, non ostendant contrariam alicuius sive Patavini sive Vicentini Episcopi testificationem (praeter illam Petri Barozzi quam vidimus fuisse temporum necessitate *coactam)* Ordinariorum silentium tanquam eloquentissimam huius cultus adprobationem habendam esse.

Quod secundo loco oggerebatur scilicet, deesse centenariae praescriptionis documenta, profligabat Orator enumeratis pluribus ex hisce documentis, quorum praecipua sunt: acta pastoralis visitationis anno 1488 ab Episcopo Patavino Petro Barozzi Marosticae factae; vetustissimum quoddam autographum ibidem in coenobio Fratrum Minorum de Observantia compertum: marmorea inscriptio in Aula magna Consilii Vicentiae prostans, in qua de exilio ob necem B. Laurentio illatam Iudaeis indicto mentio fit: disceptatio quaedam de B. Simone Tridentino, quam magni facit Bened. XIV. (in Ep. Sup. cit. ad Bened. Veterani) in qua haec praeter caetera leguntur vulgari idiomate. - *Cultus religiosus erga istum sanctum Puerum perstitit semper invariabilis in longo annorum ducentorum ac sexaginta spatio ab eius martyrio usque in praesens tempus, uti Marosticae ita et in finitimis locis . . . . In privatis et publicis horum popidorum calamitatibus recursus fit ad Dominum per eius fidem, detecta his occasionibus sacri illius Depositi arca, quo maiore supplices populi flagrent ardore religionis.* Quae quidem documenta authentica Urbani VIII. aevum longe praecedunt. Quod si desiderantur et aliud monumentum decurrente iam centenaria editum, hoc praesto esse ait Orator in sup. citatis actis pastoralis visitationis a Praesule Iulio Urbano peractae anno 1587 de quibus iam loquuti sumus. Hic autem meminit duarum illarum tabularum quas Saeculo XV. pietas fuisse periti iudicarunt, quaeque Bassani in templo B. Mariae Opiferae publice prostant. Tandem quoniam Fidei Promotor argumentum ipsum quod ex Bened. XIV. suffragio depromitur impetierat, quasi vero totum Curiae Patavinae testimonio inniteretur, Orator novo utens argumentandi genere , hac Promotoris censura eumdem Pontificem, *levitatis* et *contradictionis* incusari affirmabat : *Levitatis* quidem, quod idem Pontifex tam expressum ac dissertimi de vetustate cultus B. Lauren-

tini suffragium scripto dedisset labili atque infirmo documento, quasi vero ipse non expenderit prius huius monumenti firmitatem auctoritatemque: *contradictionis y evo:* quod ille egisset contra canones a se ipso statutos; nam inter illos canones de statuendo atque evincendo immemorabili cuiusque beati cultu, hunc ille praecipuum ponit, scilicet, *Episcoporum, scientiam* ac *tolerandam;* quam cum in nostri Laurentini cultu adesse adversarii denegaverit, consequitur per ipsos, Pontificem hunc in eo ferendo iudicio sibi ipsi contradixisse: atque eleganter concludebat, si forte contingat sibi in hac causa contrariam dari sententiam, id sibi tributurum gloriae se cum tanto Pontifice profligan'.

His copiose adductis propositum est resolvendum

Dubium*

« An constet de Cultu publico et ecclesiastico ab immemo- » rabili tempore praestito praedicto Servo Dei, seu de casu ex- » cepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII. »

RESOLUTIO. — Emi Patres causa discussa die 31 Augusti 1867, audito de more voce et scriptis Sanctae Fidei Promotore respondere censuerunt: *Affirmative seu constare de casu excepto.* Quam sententiam SSmus D. N. ratam habuit confirmavitque die 5 Septem, eodem anno.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quamvis R. P. Urbanus VIII. cultum publicum exhibere deinceps prohibuerit alicui Servo Dei sine Apostolica Auctoritate, nihilominus magno in pretio habuisse longoevas seu centenarias consuetudines quibus christianus populus aliquem Servum Dei veneratus sit tanquam Beatum aut Sanctum.

II. Eiusmodi longoevas seu centenarias consuetudines veneratione esse habendas sive de fidei cultore agatur, sive de Martyre: nec infantes, qui in odium fidei sunt interempti, a martyrii gloria publice veneranda fuisse exclusos.

III. Eiusmodi consuetudines eo genere argumentorum eaque ratione probari, quibus caeterae legitimae consuetudines iuxta propriam indolem probari debent.

Alterum eiusdem generis Decretum emissum est eodem die: dubium vero quod propositum est huiusmodi erat;

Novarien. Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti servae Dei Panaceae virgini saeculari Beatae nuncupatae: « An constet de Cultu publico et ecclesiastico ab immemo- » rabiii tempore praestito praedictae Servae Dei: seu de casu » excepto a Decretis sa : me : Urbani Papae VIII. » Referente Causam Emo Card. Prospero Caterini, S. C. respondit; *Affirmative, seu constare de casu excepto.* Quam sententiam SSmus confirmavit die 5 Septembris.

Alterum diversi generis Decretum est quod sequitur.

Romana seu Bolonien. Canonizationis Beati Iosephi Labre Confessoris: « An constet de validitate Processuum Auctoritate Aposto- » lica constructorum alterius in Urbe, alterius in Monte Falisco su- » per novis Miraculis in specie: an testes sint rite ac recte exami- » nati, ac iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum » de quo agitur: » Causae Ponente Emo Praefecto Card. Patrizi, S. Congregatio dicto die respondit : *affirmative in omnibus.* Quam sententiam SSmus confirmavit die 5 Septem.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER

SACERDOTIS PROFESSI HOFBAUER

ET INSIGNIS PROPAGATORIS CONGREGATIONIS

SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

Primum huius causae stadium apud S. Sedem synoptice enarravimus in *Volum. II. pag.* 465 *et seqq.* cum autem procedi in his causis non possit nisi constet obtemperatum fuisse Decretis Urbani VIII. de cultu publico ecclesiastico Servis Dei nondum canonizatis haud exhibendo, cum insuper Processus hac super re ordinaria auctoritate Emi Archiepiscopi Vindobonensis rite conditus esset, et lata sententia; supererat, ut dubium S. Congregationi SS. RR. proponeretur: An haec iudicis sententia super obeditione decretis praedictis confirmanda esset.

Itaque Orator causam dicens ostendit, et in novo hoc processiculo conficiendo omnia observata esse ad unguem, quae observanda erant, videlicet nihil in eo conficiendo defuisse: non enim auctoritatem defuisse in iis, qui praefuerunt inquisitioni, cum Cisamensis Episcopus facultatibus omnibus necessariis et opportunis rite ab Emo Archiepiscopo Vindobonensi fuerit instructus, caeterique officiales actibus conficiendis praepositi eiusdem auctoritate fuerint deputati: arcessitos fuisse testes numero plures scientia rerum et probitate spectatissimos, omnes rite inductos, citatos, iuramento adstrictos et legitime examinatus : perquisitiones et indagines diligenter susceptas atque institutas in iis locis ufri suspicari quis possit aliqua cultus extare vestigia.

Post haec deveniens ad causae meritum ostendebat Orator obedientiam praestitam fuisse Decretis Urbani VIII. de cultu publico non exhibendo. Ostendebat videlicet, omnia venerationis signa, et quidem multiplicia Servo Dei exhibita, nihil habuisse commune

cum cultu illo publico, quod Beatis et Sanctis, canonizatis exhibetur. Quare concludebat sententiam emissam esse confirmandam.

Disceptatio gynoptiea.

EA QUAE FIDEI PROMOTOR ANIMADVERTERET. — Nonnulla, nec magni momenti, in contrarium animadvertere potuit Censor, ex quibus haec selegimus: nimirum circa processum animadvertit, quamvis versio testificationum in latinum idioma a delegato iudice adprobata fuerit, ac declarata ***in omnibus et per omnia cum suo originali concordans,*** haud tamen Romae ratam habitam fuisse, praesertim ab Emo Card. Relatore: optabat insuper ut Iudex quasdam italorum ecclesias invisisset, quas constabat Servum Dei per plures annos rexisse.

Ad causae meritum gradum faciens Fidei Promotor plura facta vel etiam expressiones in conscriptis vitae S. Dei commentariis expressas notabat, quae licet argumenta non essent ecclesiastici cultus, tamen eius esse indolis ait, quae ***ad cultum praestandum invitare possent:*** hoc enim vetitum etiam esse animadverterat ex doctrina Benedicti XIV. /. 2 ***c.*** 12. Eiusmodi autem incitamenta ad Cultum publicum Servo Dei praestandum non defuisse, testium depositionibus confirmabat ; namque in primi processus tabulis Testis XIX. testatus erat: « Referre » possum, me ***in solemni Servi Dei cadaveris translatione*** in » ecclesiam ad Scalas Marianas coram fuisse.... hoc etiam re- » ferre possum, tum Nuntium Apostolicum, tum hodiernum Ar- tt chiepiscopum Olòmucensem... ***isti solemnitati*** praesentiae suae » splendorem addidisse. » Quin imo in hac altera inquisitione testis IV. enarraverat: « Referre possum, homines cum P. Hof- » bauer ossa in novam arcam transferrentur^ ertatim, ut ita di- » eam, expetiisse, reliquias: » qui testis addidit: « Procumbebant, « adhucque procumbunt ad Servi Dei sepulcrum, orabant saepe « per integras horas, et adhuc orant apud illud.»

His adde, subiungebat Censor, accensas lampades seu candelas, tot admotos ferme stimulos reperies ad ecclesiasticum cultum excitandum.

QUID HIS ANIMADVERSIONIBUS REGERERET CAUSAE ORATOR.—Hic ut Censori satisfaceret circa primum, attulit Attestationem Emi

Card. Reisach Causae Relatoris, qui versione cum Originali processu collata, idipsum testatus est, quod Iudex supra dictus protulit. Ad alteram animadversionem respondit, non esse necesse ut Iudex visitet omnia loca ad quae aliquandiu officii causa ServusDei residere consueverit, quod esset intollerabile pondus: caeterum Benedictum XIV. docere probationem cultus non praestiti in ecclesiis et sacellis, diversis ab eo ubi Dei Servus sepultus est, per testes fieri; neque ullum addere verbum de ulteriori inquisitione, «nisi forte Fidei Promotor praeexistentiam » cultus in iisdem locis comprobasset: » *I.* 2 c. 15 *n.* 10.

Quoad alteram animadversionem in causae merito supra indicatam , respondebat inter caetera Orator referens doctrinam Bened. XIV. Z. 2 c. 13 w. 4 docentis: «Si haec prodeant ex sincero » devotionis affectu, semota quacumque industria humana, nihii in eis erit, quod reprehensionem mereatur; cum enim pro» veniant ab opinione et fama sanctitatis, neque fiant nomine » Ecclesiae, neque instituta sint ab ipsa Ecclesia ad exhibendum » cultum Beatificatis et Canonizatis, referenda idcirco erunt ad » cultum privatum, nec ulla unquam ratione dici poterunt Ur» bani Decretis repugnantia. » Quae quidem multo fortius valere subiungebat, de hominibus privatim orantibus ad sepulcrum, eo vel magis quod haec similia facta adduci soleant ad famam sanctitatis evincendam. Nec ea esse quae ad cultum ecclesiasticum praestandum invitare possunt, cum sint actus, quos si millies repetas, semper remanent in genere privati cultus : maxime cum expressionem illam Benedicti XIV. ad alios prorsus casus a nostro alienos, considerato contextu, Orator inquiebát esse referendam.

Quoad lumina apud tumulum S. D. incensa *die commemorationis defunctorum vel hebdomada insequenti* respondebat, agi de re circa quam nemo poterat decipi, quia talis est in Germania usus sicut in aliis etiam regionibus; et luminibus ex privata pietate iis diebus sepulcra onorari, non quia inter superos adscriptus defunctus indicetur; sed ad significandum hunc quoque participem fieri suffragiorum , quibus per ea praesertim tempora iuvantur animae piacularibus ignibus detentae. Haec autem confirmabat ex iis, quae docte disseruit Benedictus XIII. cum in minoribus esset in opere : *Sermoni sopra il Purgatorio, serm.* 9.

His aliisque adductis causa proposita est iudicanda sub sequenti dubio.

Dubtum.

« An sententia lata a Iudice delegato ab Emo et Revmo
» D. Cardinali Archiepiscopo Vindobonen. super Cultu nunquam
» exhibito praedicto Ven. Dei Servo, seu super obedientia Decre-
)) tissa: me: Urbani Papae VIII. sit confirmanda in casu et ad
» effectum de quo agitur.»

RESOLUTIO. — Emi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, Emo Causae Ponente Carolo Augusto De Reisach, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Petro Minetti sanctae Fidei Promotore in ordinariis comitiis die 31 Augusti 1867 rescribere consuerunt: *sententiam esse confirmandam.* Quam Resolutionem SSmus D. N. confirmavit die 5 Septembris.

Ex QUIBUS POTEST COLLIGI:

I. Iuxta solemnia Urbani VIII. Decreta non posse procedi ad ulteriora in causis Venerabilium Servorum Dei, nisi constet cultum publicum ecclesiasticum illis exhibitum non fuisse.

II. Hunc autem compleri per novum ordinarium processum super hac re constitutum, et per sententiam de cultu ecclesiastico non exhibito per Ordinarium vel delegatum ab Ordinario emissam, quae confirmanda est ab Apostolica Sede.

III. Non esse tamen confundenda signa ecclesiastici cultus, qui Canonizatis uti talibus exhiberi solet, cum signis vel privati cultus, vel praeclarae aestimationis venerationisque a fidelibus ex privata pietate alicui Servo Dei exhibitae.

Duo alia huius generis Decreta eodem die emissa, publicata Romae sunt, quorum unum respicit causam Ven. S. D. Generosi a Promosello, cuius synopsim altera vice dare curabimus, cum de eius causa loqui incoeperimus in *Vol. II. p.* 36. Alterum Decretum est quod sequitur.

Romana seu Lucana Sacerdotis professi e congregatione cler. Regul. Matris Dei et primi socii Beati Ioannis Leonardi Fundatoris praedictae congregationis: « An sententia lata a Iudice sub-

» delegato-ab Illmo et Rmo D. Archiepiscopo Lucano super Cultu » praedicto Ven. Servo Dei nunquam praestito, seu super obe~ » dientia Decretis sa: me: Urbani VIII. sit confirmanda in casu et » ad effectum de quo agitur:» Causae ponente Emo Card. Bofondi responsum est die 31 Augusti 1867: *Sententiam esse confirmandam :* Quae sententia pariter confirmata est a SSmo D. **N.** die 5 Septem.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

CIRCA RELIQUIAS INSIGNES.

Die 12 Iunii 1822.

Compendium facti. Canonici Collegiatae Ecclesiae SS. Lucae et Faustinae Viterbii, facultatem obtinuerant a S. Rituum Congregatione recitandi Officium sub ritu duplici SS. Viti et Crescentii M M. quorum festum incidit die 15 Iunii, ea potissimum ratione, quod eorumdem SS. Reliquiae adservarentur in dicta ecclesia et putarentur *insignes.*

Deinde vero in recognitione earumdem Reliquiarum inventae fuerunt non tibiae praedictorum Sanctorum, ut existimabantur, sed ossa longiora et maiora *femoris.*

Exorto inde dubio Capitulo et Canonicis, an praedicta ossa *Femoris* censeri deberent *Reliquiae Insignes,* et ne privarentur Canonici eadem facultate recitandi officium sub ritu duplici, preces porrexerint huic S. Congregationi, ut declararet an ossa Femoris alicuius Sancti sint et dici possint *Reliquiae Insignes.*

Disceptatio synoptica.

Observabatur eiusmodi quaestionem veluti resolutam censeri posse a S. C. SS. RR. Namque S. Rituum Congregatio, quae ante

annum 1667 (in quo instituta fuit haec S. Congregatio Indulg. et SS. Reliquiarum) de Reliquiis decernebat, Decreto 3 Iulii 1867 edixit: *Necessarium esse, ut Reliquia sit Insignis eius Sancti de quo celebrare petunt officium, veluti Corpus integrum, aut magna pars eiusdem, aut Caput;* et alio decreto 13 ianuar. 1631 declaravit pro Reliquia insigni haberi posse *brachium, crus, aut illa corporis pars in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva :* quod decretum ita stricte observatur, ut neque pro insigni Reliquia sola tibia haberi possit, quando huic etiam Fibula non sit unita , etiamsi os principale sit Tibia ; quia sub nomine cruris integrum membrum intelligitur, quod cum e duobus praedictis ossibus nempe Tibia et Fibula constet, ideo vere integrum, nisi ea simul coniuncta sint, dici nequeat: ita S. Rituum Congregatio sub die 3 Iunii 1662. Hisce positis S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondendum unanimiter censuit: *ossa praedictorum MM. non esse Reliquiam insignem* et Decretum quod seqnitur fuit emissum.

DECRETUM. « Quamvis quaelibet Sanctorum Corporum pars veneratione colenda sit; *haec est enim Sanctorum gloria, quorum etsi per universum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo :* nihilo tamen seciu's maior solet esse fidelium devotio erga integrum alicuius Sancti Corpus, aut eiusdem membra praecipua. An autem haec inter, enumeranda sint femoris ossa , ut veluti Reliquia insignis habeatur a Capitulo et Canonicis Collegiatae ecclesiae SS. Luciae et Faustinae Viterbii postulatum fuit S. huius Congregationis Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositae oraculum.

«Eadem S. Congregatio in Palatio Quirinali sub die 15 Aprilis currentis anni, re mature perpensa, auditisque insuper consultorum votis, protulit negativam sententiam.

» Et facto verbo cum SSmo in audientia habita die 11 Iunii 1822 S. Congregationis votum nedum approbavit, verum publicari mandavit.

» Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis Indulg. die 12 Iunii 1822.»

G. Card. Ab AURIA PAMPHILI Praef.

Pro R. P. D. Bernardo Ugo Secr.

Petrus Can. Tor ruca Substitutus.

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Quamvis Martyrum heroumque fidei Cultorum corpora eorumque partes, tamquam sacra pignora veneratione sint habendae; nihilominus distinctionem inductam esse inter Reliquias insignes et non insignes.

II. Eiusmodi distinctionem repetendam esse ex maiori vel minori veneratione qua, natura duce, feruntur fideles erga Sanctum, potioribus vel minoribus extantibus sacri pignoris partibus.

III. Hanc distinctionem S. Sedem sequutam esse et definivisse ad varios praesertim sacrae Liturgiae effectus **(1)**.

(1) SolemnLPecreto Urbis die 8 Aprilis 1628 ab Urbano VIII. adprobato (quod a Gardellini refertur sub N. 740 *recent, edit.* nec non in Rubr. Missalis et Breviarii) S. RR. Congregatio haec definivit, §. 3: *«Insignes autem Reliquias esse Corpus, Caput, Brachium, Crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva et legitime ab Ordinariis adprobata.* » Et cum rogata esset die 3 Decemb. 1672 « An pro Reliquia insigni possit fieri » Officium duplex iuxta huius S. G. De» ere tu m , quando scilicet Caput, Rra» chium, aut Crus non sunt integra, sed » mutilata, et partes demptae non ad» sunt, ut conglutinan possint: et si pro » Reliquia mutilata fieri possit Officium » duplex: » respondit : *Servandum esse Decretum huius S. C. ad unguem.* Item die 3 Iunii 1662, cum rogata esset: «An Tibia sit reliquia insignis: » respondit : *negative, iuxta Rubricas in Missali et Breviario romano impressas.*

EX ÂCTiS CONSISTORIALIBUS.

Lie 20 Septembris Í867.

Sanctissimus Dominus Noster, quem Deus incolumem diu servet, Consistorium secretum habuit die 20 Septembris 1867, in quo Emus et Rmus Cardinalis Camillus Di Pietro, dimisso titulo s. Ioannis ante Portam Latinam, optavit vacantem ecclesiam suburbicariam Albanensem: dein Emus et Rmus Cardinalis Iosephus Maria Milesi, praehabito assensu Sanctissimi Patris, procuratione et nomine Emi et Rmi Cardinalis Philippi De Angelis, dimisso titulo s. Bernardi ad Thermas, optavit titulum vacantem s. Laurentii in Lucina.

Habita deinde Allocutione, quam dedimus in fasciculo XXVII, p. 113, idem SSmus Pater iuxta consuetas formas contulit officium Camerarii S. R. E. Emo et Rmo Cardinali Philippo De Angelis Archiepiscopo Firmano.

Praeterea proposuit sequentes ecclesias:

ECCLESIAM CATHEDRALEM ALBANEN. **vacautem per gloriosum obitum cl. me. S. R. E. Card. Ludovici Altieri qui, lue grassante, animam suam dedit pro ovibus suis,quam ecclesiam optavit Emus et Rmus Camillus Card. Di Pietro dimisso titulo s. Ioannis ante Portam Latinam.**

Quartodecimo ob Urbe lapide intra Latii fines Albani urbs partim in planitie, partim in colle aedificata duorum fere passuum millium continetur ambitu, octingentas circiter domos, et septies pene mille complectitur incolas Apostolicae Sanctae Sedi in temporalibus quoque obtemperantes.

Cathedralis Ecclesia maiori nuuc amplitudine et ornatiori structura praestans, S. Pancratii Martyris titulo, Sanctae Sedi Apostolicae est immediate subiecta.

Eius Capitulum duas recenset Dignitates, quarum post pontificalem prima est Archipresbyteratus, altera Archidiaconatus, cui Praebenda inhaeret theologalis; undecim Canonicos, quos inter Poenitentiarium, sex insuper Reneficiatos vel Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Archipresbyterum ab aliis Sacerdotibus adiutum animarum cura in Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis etc. et inter Sanctorum Reliquias Brachium s. Pancratii Martyris ipsius civitatis Patroni adservatur.

Nulla alia praeterea reperitur Albanensi in urbe paroecialis, aut collegiata Ecclesia, sed quatuor virorum, ac duo mulierum monasteria, quibus hodie pro puellis instituendis sub s. Iosephi Sororibus religiosa domus adiungitur, quatuor laicorum sodalitates, nosocomium, mons pietatis nuper erectus et seminarium.

Dioeceseos ambitus ad viginti quatuor milliaria plus minus extenditur, et decem sub se complectitur loca.

ECCLESIAM METROPOLITANAM DE GUATIMÀLA in America centrali vacantem per obitum bo. me. Archiepiscopi Francisci Garcia Pelaez, ad quam translatus est R. **P.** D. Bernardus Piîiol y Aycinena hactenus Antistes de Nicaragua.

Guatimala urbs, et caput Guatimalensis ditionis in America centrali, ampla amoenaque in planitie ad rivum *de las Vacas* aedificata, salubri potitur aere, eamque quinquaginta fere incolunt catholicorum millia.

Metropolitanae Ecclesiae optime elegantisque structurae, S. Iacobi Apostoli titulo, quatuor suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, quarum post pontificalem prima est Decanatus , sex cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per duos Presbyteros-Rectores animarum cura in metropolitana exercetur, ubi est fous baptismalis etc. et extra urbem coemeterium.

Sex aliae insuper recensentur Guatimalae paroeciales Ecclesiae, quarum nonnullae baptismali fonte munitae", quinque pro viris, ac totidem pro mulieribus monasteria, triplex conservatorum, plures laicorum sodalitates, pontificia universitas **Si** Carolo dicata, peramplum nosocomium ac duplex seminarium; deficientiae vero montis pietatis consulitur.

Archidioeceseos ambitus latissime patet, ad quater mille et quingentas protenditur leucas quadratas et plurima sub se complectitur loca.

ECCLESIAM IABEN. SEU SANCTAE ELISABETH in insulis Philippinis per Litteras Apostolicas « *Qui ab initio fuit homicida* » datas 6 Kalendas Iunias 1865 a SANCTITATE SUA ad Cathedralis honorem evecta m et a primaeva erectione sua vacantem, ad quam evectus est R. P. Fr. Mariani Cuartero y Medina Presbyter Archidioeceseos Caesaraugustanae et Ven, Ordinis Praedicatorum s. Dominici Professus, ex benignitate SSmi D. **N.** ad praesentationem serenissimae Reginae Catholicae: idem promotus olim Manilensi in universitate s. Theologiae Professor, tum Rector Collegii quod habet Praedicatorum Ordo Olcaniae in Archidioecesi Toletana, dein Procurator Generalis eiusdem Ordinis Provinciae SSmi Rosarii in insulis Philippinis.

larum urbs et caput provinciae Yloilanae in insulis Philippinis, prope flumen *Yloilo* ad orientalem plagam insulae *Panay* in planitie aedificata, miti ac salubri potitur aere, et a viginti novem millibus inhabitatur incolis sub temporali dominio praefatae Serenissimae Reginae Catholicae.

Praecipuum paroeciale templum Dominae Nostrae de *Candelaria* hactenus dicatum, ex praecitatis Apostolicis Litteris ad Cathedralitatis fastigium evectum est, titulo seu invocatione S. Elisabeth Reginae Hungariae in posterum fruiturum, ac prisca retenta parochialitate cum animarum cura, et Archiepiscopo de Manila suffragantur.

Cathedrale Capitulum ad normam aliorum Capitulorum in insulis Philippinis extantium erigendum, constabit ex sufiicienti-Canonicorum numero,(quos inter Theologus ac Poenitentiarius erit), atque aliquibus mansionariis, seu cappellanis; interea tamen duo-Presbyteri Episcopo sacra facienti praesto erunt, ác divina persolvent officia.

Per Presbyterum Ordinis Eremitarum S. Augustini animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc.

Episcopales aedes satis commodae, decentes, et quoad fieri poterit Cathedrali proximae erunt comparandae, ac interim Gubernii expensis conducendae.

Nulla alia paroecialis vel collegiata Ecclesia Jarensi in urbe reperitur, ast pro xenodochio infirmis et egenis exci-

pienâis, pro monte pietatis pauperibus iuvandis, pro seminario clericis educandis atque instituendis consultum est per ea, quae in praecitatis Apostolicis Litteris continentur.

Dioeceseos ambitus nonnullas complectitur insulas ac districtus a Coebuano vel Nominis Iesu Episcopatu seiunctos, ac ultra centum viginti sub se continet paroecias.

ECCLESIAM CATHEDRALEM TREVIREN. **vacantem per obitum bo. me. Episcopi Leopoldi Pelldram, ad quam promotus est R. P. D. Mathia Eberhard hactenus Antistes Paneadensis in partibus infidelium et eiusdem Trevirensis ecclesiae suffraganeus, a RR. Capitulo et Canonicis Trevirensibus, vigore indulti Apostolici in Episcopum electus, et iuxta Decretum Congregationis Consistorialis a SSmo adprobatus ex benignitate eiusdem confirmatus.**

Treviri, vel Treveri vetustissima urbs magni Ducatus Rheni inferioris in Borussia ad Mosellam fluvium sita, duorum circiter passuum millium habet ambitum mille et ducentas continet domos, eamque viginti circiter inhabitant incolarum millia.

Cathedralis Ecclesia , veteris et go~thicae structurae , s. Petri Apostolorum titulo Coloniensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post Pontificalem prima est Praepositum, octo Canonicos numerarios absque theologali aut poenitentiaria praebenda, quatuor insuper honorarios, sex-Beneficiarios, seu Vicarios praebendatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Canonicum Parochum animarum cura in Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis etc.

Septem aliae recensenturTreveris eius. que suburbiis paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, unum pro viris ac duplex pro mulieribus monasterium, nonnullae laicorum sodalitates, nosocomium, mous pietatis, convictus et seminarium cum alumnis.

Dioeceseos ambitus satis late patet, ac triginta quatuor supra sexcentas sub se complectitur paroecias.

ECCLESIAM CATHEDRAL. VAPINCEN. **vacantem per translationem R. P. D. Victoris Felicis Bernadou ad metropolitanam sedem Senonensem, ad quam promotus est R. D. Amati Victor Franciscus Guilbert ex benignitate SSmi ad nominationem Sermi Gallorum Imper. Idem promotus Presbyter dioeceseos Constantiensis dioecesanus Missionarius, humaniorum literarum Professor primum in minori suae dioeceseos Seminario et dein utriusque Seminarii Rector, et Parochus in oppido cognomento** *Valognes* **renunciatus est.**

Vapincum, *Gap,* **urbs Galliae et caput provinciae, vel regionis Alpium Superiorum, montibus obducta, et in planitie posita, ultra septem continet catholicorum incolarum millia sub temporali gallico dominio.**

Cathedralis Ecclesia sub titulo Bmae Virginis Mariae in caelum assumptae iterum aedificatur, ac interim officia divina in aliis urbis sacellis provisorie celebrantur, ipsaque Ecclesia Archiepiscopo Aquensi suffragatur.

Eius Capitulum novem cum Theologo ac Poenitentiario recenset Canonicos titulares, aliosque Presbyteros, qui cum pueris de choro, et solemnioribus festis cum alumnis maioris seminarii divinis inserviunt.

Per Canonicum Archipresbyterum animarum cura exercetur in Cathedrali, quae fonte ditatur baptismali etc.

Nulla alia reperitur Vapinci parochialis, aut collegiata Ecclesia, sed plures sive pro viris, sive pro mulieribus religiosae domus, nosocomium , seminarium maius in urbe, ac parvum in dioecesi: mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur alpium superiorum regionem, ac centum triginta fere continet sub se incolarum millia.

METROPOLITANAM ECCLESIAM BURGEN, vacantem per obitum clar. me. Archiepiscopi Ferdinandi S. R. E. Presbyteri Cardinalis de la Puente, ad quam translatus est R. P. D. Anastasius Rodrigo Yusto hactenus antistes Salamantinus ad praesentationem Seriüae Reginae Catholicae:

Burgi pervetusta Castellae veteris urbs, eiusdemque nominis provinciae caput ad Arlanzam flumen aedificata, a quindecim fere incolarum millibus inbabitatur sub temporali dominio Serenissimae Reginae Catholicae.

Perpulchra et magnifica gothicae structurae Ecclesia metropolitana Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo **gloriatur, cui iuxta Literas Apostolicas** *« Ad Vicariam »* **datas nonis Septembris 1831 sex suffragantur Episcopi.**

Eius Capitulum ex praecitatis Literis Apostolicis sex adnumerat dignitates, quarum post pontificalem prima est Decanatus, quatuor cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos *de officio,* **quatuordecim** *de gracia,* **ac vigenti Beneficiatus.**

Per Presbyterum animarum cura exercetur in metropolitana, ubi fons adest baptismalis etc.

Novem insuper recensentur Burgensi in urbe paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, decem mulierum monasteria, aliquot laicorum sodalitates, triplex nosocomium et duplex seminarium, mons autem pietatis desideratur.

Archidioeceseos ambitus ad septuaginta circiter leucas protenditur, et mille et septingentas sub se continet paroecias.

Dein patefecit iam peractam electionem ope S. Congregationis de Propaganda Fide, qua scilicet R. D. Ioannes Valsh praepositus fuit *ecclesiae Sandvicen.* in Canada. Insuper postulatio Sacri Pallii facta est pro metropolitanis ecclesiis *Burgen,* et *De Guatimala,* nec non pro ecclesia *Quebecen,* favore Praesulis Francisci Baillargeon, qui eidem Sedi successit mortuo Antistite Petro Flavio Turgeon, qui ab eo fuerat in munere pastorali coadiutus.

Denique consuetum praestitum est iuramentum coram SSmo D. N. ab Emo et Rmo Cardinali electo Episcopo suburbicario.

APPENDIX II.

CONSTITUTIO SANCTISSIMI D. N. QUA DISPONITUR DE SACRIS UTENSILIBUS EMINENTISSIMORUM CARDINALIUM SACRORUMQUE ANTISTITUM EX HAC VITA DECEDENTIUM.

Antequam dictam Constitutionem referamus , expedit nonnulla recolere ex historia iuridico-ecclesiastica, quae circa Clericorum testamenta versatur.

Compertum est prioribus Ecclesiae saeculis prohibitum fuisse Clericis testani de bonis, ex redditibus ecclesiasticis, acquisitis. De qua re luculenta sunt vetera Canonum documenta. In Canonibus qui sub nomine Apostolorum veniunt, *Can.* 40, haec habentur: « *Sint autem manifestae res propriae Episcopi, si tamen habet proprias, et manifestae Dominicae, ut potestatem habeat de propriis moriens Episcopus sicut voluerit, eis quibus voluerit, derelinquere ; ne sub occasione ecclesiasticarum rerum, quae Episcopi esse probantur intercedant. .. et iustum est hoc apud Deum et homines, ut nec Ecclesia detrimentum patiatur ignoralione rerum Pontificis, nec Episcopus vel eius propinqui sub' obtentu Ecclesiae proscribantur, et in causas incidant qui ad eum pertinent, morsque eius iniuriis infametur.* » Quae quidem fere verba repetierunt Patres Concilii Antiocheni habiti anno 332 in *Can.* 24. Eo tempore redditus Ecclesiae consistere solebant in Primitiis, Decimis et Oblationibus, de quibus passim sermo est in veteribus documentis.

Haec autem disciplina de rebus per Ecclesiam acquisitis non testandis per multa saecula perseveravit, eamque in vigore revocavit Concilium Lateranense sub Alexandro III. celebratum, in *Can.* 15 statutum legitur: « *Indemnitati itaque ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint* (Clerici), *penes ecclesias eadem bona praecipimus remanere.* » Quam sanctionem clarius exposuit idem Alexander III. in *cap.* 12 *de testam.* quo edixit: « *Quia statuimus in Lateranensi Concilio, ut bona per ecclesiam acquisita, ad eam in Clericorum obitu devolvantur, dubilatis, an hoc sit de immobilibus tantum, vel de, mobilibus sentiendum. Respondemus, quod generaliter bona quaelibet per Ecclesiam acquisita, eis debent iuxta Lateranense Concilium post adquirentis obitum remanere:* et post alia: *Caeterum quae ex haereditate vel artificio aut doctrina proveniunt, distribuantur pro arbitrio decedentis. Quia vero nonnulli in diversis ecclesiis Beneficia possident, dividantur, quae habuerant per aestimationem congruam inter ipsos.* » Attamen idem. Alexander III. in dicto capite non improbavit consuetudinem testandi favore causae piae ; sic enim ait : « *Licet autem mobìlia per Ecclesiam aequi-*

sita, de iure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen non est improbandae, ut de his pauperibus et religiosis locis, et illis, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua iuxta servitii meritum consequantur. »

Rationi scilicet videbatur consonum, ut non negaretur morientibus ea facultas, quae eisdem dum viverent non deerat, disponendi de redditibus ecclesiasticis in pias causas.

Haec insuper disciplina paulatim quosdam novos modos induxit, ut scilicet bona Clericorum eorum obitu reperta, de quibus iidem Clerici vel testari non potuerint, vel si potuerint iuxta locorum consuetudines ad causas pias testati non sint, non cederent in earum ecclesiarum utilitatem per quas fuerunt acquisita , sed in ea Fiscus episcopalis succederet ; fortasse ad exemplum quorumdam Monachorum in quorum spolia succedebat Monasterii Abbas. Hoc tamen tamquam abusum, nisi legitimum privilegium aut consuetudo suffragantur, improbavit Bonifacius VIII. in ***cap.*** 9 ***de Officio Ordinarii in*** 6 , his verbis : ***« Praesenti prohibemus edicto ne Episcopi vel eorum Superiores aut Abbates, seu quivis alii Regulares vel Saeculares Praelati, aut ecclesiasticae quaecumque personae, vacantibus ecclesiis quibuscumque sibi subiectis... eorumdem bona (morientibus eorum Rectoribus vel Ministris) in ipsis inventa... occupare aut in usus suos convertere, quoquo modo praesumant: nisi de speciali privilegio vel consuetudine iam praescripta legitime, seu alia causa rationabili hoc eidem competere dignoscatur.*** » De hoc Decreto mentio deinde facta est in Concilio Constantiense anno 1417 ***sess.*** 39, in quo statutum fuerat: ***Praelatis etiam inferioribus huiusmodi spoliorum exactiones praeter et contra iuris communis formam fieri interdicimus, Constitutione Bonifacii VIII. Papae, quae incipit*** Praesenti, ***super hoc edita specialiter in suo robore duratura. »***

At si privilegium vel consuetudo aut alia causa rationabilis suffragari poterat Episcopis, aliisque Superioribus, ut spolia Clericorum sibi non singulis ecclesiis obvenirent, magis consentaneum erat, ut Sedis Apostolicae Camera pro summis universae Ecclesiae indigentiis in eiusmodi spolia sive Clericorum, sive Sacror. Antistitum pro rerum adiunctis subintraret, prout pedetentim factum est.

At haec iura Apostolicae Sedis pluribus RR. Pontificum Constitutionibus firmata , multas subierunt vicissitudines. Quosdam abusus, qui per constitutos Collectores et Sub-Collectores invexerant, repressa S. Pius V. in Constitut, quae incipit ***Romani Pontificis,*** anno 1567, qua scilicet, ne sub traherentur debita obsequia et opportuna subventionis auxilia singulis ecclesiis edixit: ***« Cum itaque, sicut accepimus nonnulli Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et Abbates seu Commendatam, ac alii Beneficia ecclesiastica obtinentes, proprii honoris et salutis imme-***

mores, etiam praetextu jacultalum testandi eis per Sedem Apostolicam concessarum, in eorum ultimis voluntatibus res sacras ac vasa, ornamenta et paramenta ecclesiastica, aliaque cultui divino dicata, quandoque ex fructibus ecclesiasticis per eos acquisita, non ecclesiis ei monasteriis ac Beneficiis, quibus praefuerunt, seu a quibus proventus ecclesiasticos et stipendia acceperunt , prout rationi et honestati consentaneum foret, sed aliis locis etiam aliquando non piis, ac interdum eorum consanguineis et affinibus relinquere: et Camerae Apostolicae Colleclores, praetextu, quod illa sub appellatione Spoliorum veniant, tamquam eiusdem Camerae Spolia exigere et percipere non erubescant...» atque inde constituit, ut sacra utensilia sive Episcoporum, si ve aliorum quorumcumque, qui Beneficia ecclesiastica obtinuerint sive cum cura, sive sine cura, in ecclesiarum singularum favorem cederent. Ac praeterea declaravit, defini vilque, supellectilia domestica Presbyterorum non comprehendi sub nomine Spolii, quod Apostolicae Camerae obvenire debeat.

Hac historico-iuridica adumbratione praemissa, melius intellegetur Constitutio supra indicata, quae est tenoris qui sequitur.

PIUS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

I. «Quum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus quae animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Iam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus fratribus nostris S. R. ***Ii.*** Cardinalibus Sancta haec Sedes tribuere solet per Apostolicas litteras in forma Brevis incipientes - ***De benignitate Sedis Apostolicae-iisàem*** per alias similes litteras in forma Brevis, quarum initium-Cwm ***fel.rec. Urbanus Viii.***-facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicuius ecclesiae, seu cappellae, vel loci pii, non obstante Constitutione Urbani VIII. - ***Aequum est*** - edita die 21 iulii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia pontificio sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevi , etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis et Abbatibus ex quodam invecto usu addi consueverit clausula. <- ***Salvaque in praemissis » quoad ecclesias cathedrales, metro» politanas, aut patriarchales, quibus » praefueris, seu quas alias ex con» cessione vel dispensatione Apostolica » in titulum, administrationem, seu » commenda obtinueris, dispositionem » constitutioni fel. rec. Pii PP. V. anno*** » 1567 ***tertio kalendas Septembris anno » secundo»*** saepesaepius dubia exorta sunt circa interpretationem et vim huiusmodi reservationis, eo vel magis quod in superius memorato Brevi. « ***De benignitate Sedis Apostolicae"*** praefatae s. Pii V. Constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia re-

spicit, aperte derogatur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis, Episcopis, et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adiecta clausula eam vim haberet, quam verba prae. seferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales utpote qui in memorata s. Pii V. constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teueri, etsi alii contrariam sententiam tueantur.

2. «Quae cum ita essent ven. frater noster Petrus Cardinalis Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis Episcopalem ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI. Praedecessore Nostro, ut rem certo definiret atque expresse declararet, an Cardinales Episcopi, seu Abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis uteris S. Pii V. praedecessoris nostri comprehendantur, ac statueret, quaenam sacra ornamenta, et supellectiles, et utensilia S. R. E. Cardinalium ad sacrarium pontificium ex memorata Constitutione Urbani VIII. et quaenam Patriarcharum, Archiepiscoporum Episcoporum et Abbatum *Nullius*, sive Cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata Sancti Pii V. Constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium , et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultanee plures ecclesias gubernaverit.

3. «Nos igitur qui in memorati decessoris Nostri bon. mem. Gregorii XVI. locum, licet immerentes, suffecti sumus ad praecidendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas, de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, haec, quae sequuntur,auctoritate Noslra Apostolica decernimus, et mandamus. I. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Constitut. S Pii V. incipiente - *Romani Pontificis,* - exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis, nec non exceptis pariter Cardinalibus *Abbatibus Nullius,* qui in Romana curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata Constitutione - *Aequum est* - Urbani VIII. Praedecessoris nostri, ad pontificium sacrarium sperabunt. II. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis Constit. S. Pii V. cuius initium - *Romani Pontificis providentia,* - in uteris in fortna Brevis incipientibus - *De benignitate Sedis Apostolicae* - apponi solitis, in altero Brevi quod incipit - *Cum fel. rec. Urbanus* ***VIH.*** - auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana constitutio, eiusque loco substituantur ea quae sequuntur. « *Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus,* » *metropolitanis, patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessio-*

» ne et dispensatione Apostolica in ti- ». tulum, administrationem, seu com- x> mendam obtinueris, te vehementer » hortamur, prout iam Bened. XIV. » Praedecessor noster in sua Consti- » latione incipiente « Inter arduas » » *Cardinales hortabatur, ut in prae- » dictis rebus disponendis eas eccle- » sias prae oculis habeas, caeterisque » praef eras.»* Quae vero hoc in articulo praescripsimus ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium litterarum publicationem enunciatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent; IIT. Sacra utensilia quae vigore constitutionis S. Pii V. incipientis - *Romani Pontificis* - ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmáticas, sandalia , chirothecas , albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, alterum cui titulus canon missae; item calices, patenas, píxides, ostensoria, thuribola, vas aquae benedictae cum aspersorio , pelvim cum urceo, vasa Sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus , et tintinnabnlo, palmatorias , icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem , faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta , sive vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua; dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui, sacrisque functionibus fuerint destinata ; exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex ecclesiae redditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia redditibus ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli summi pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae reddituum, quibus comparata fuerint, et praeter ea, quae in constitutione Urbani VIII. incipiente « *Aequum est* » in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas , lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio , vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus, ac tintinnabulo, tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribolum, et his similia, exceptis an-

milis, et crucibus peetoralibus etiam cum sacris reliquiis. IV. Quando Episcopus duas, vel plures ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales habita ratione fructuum ac temporis, iuxta constitutionem S. Pii V. incipientem « *Romani pontificis*.» V. Ubi vero aliquis Episcopus simul praeterit duabus, vel pluribus ecclesiis uuitis, vel in perpetuam administrationem -concessis, quae habeant capitulum et cathedralem ecclesiam propriam , ac distinctam , sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum redditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero redditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione fructuum. Vt. Quod si constet, Episcopum, qui per translationem duabus ecclesiis successive praebuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis, ex cuius Episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus, et mandamus, decernentes has litteras firmas, validas atque efficaces esse et fore , suosque plenarios, et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque ad quos spectant, seu spectabunt, plenissime suffragari;sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et extraordinarios iudicari, ac definiri debere, irrituinque et inane quidquid secus super his á quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. JXon obstantibus, si opus fuerit, nostra, «it Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, atque in universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque etiam speciali, et individua mentione, ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

»Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 1 Iunii MDCCcxLvii. Pontificatus nostri anno primo.»

Aloisius Card. Lambruschini, a Brevibus Apostolicis.

APPENDIX IIL

DUO REFERUNTUR DOCUMENTA, QUAE INDICATA SUNT IN ACTIS S. SEDIS QUAESTIONES LÖVANIENSES RESPICIENTIBUS.

In actis Sanctae Sedis quaestiones Lovanienses respicientibus, quorum seriem in praecedenti fasciculo exposuimus , mentio fit de quadam epistola quatuor cl. Professorum in celebri catholica Universitate Lovaniensi missa ad Card. De Andrea, qui tum Sac. Congregationi Indicis praeerat. Haec epistola, quam iisdem doctrinis imbutam S. Sedes iudicavit, quas reprobaverat in operibus Ubaghs de vi nativa humanae rationis, ut nominatim eruitur ex documento quod adduximus pag. 222, sequentis est tenoris:

Eminentissime Princeps:

« Quum viris catholicis nihil antiquius esse debeat quam ut ad mentem Sedis Apostolicae sententias suas exigant, nos infrascripti, in Universitate Catholica Lovaniensi Professores, controversiam, quae de rationis humanae vi nativa non sine aliquo animorum aestu in Belgio nostro nunc agitatur, ad arbitrium Sacrae Indicis Congregationis conferendam duximus ; et foret nobis hoc sane quamgratissimum, Eminentissime Princeps, si Sacra Congregatio respondere dignaretur ad nonnullas quae ad praesentem controversiam pertinent quaestiones. Quas antequam proponamus, pauca praefari nobis liceat.

» Bationalistae, quod te non latet, Eminentissime Princeps, ut divinam revelationem radicitus evellant, magno conatu studioque id agunt, ut veritatum omnium , praesertim earum ex quibus constat religio naturalis, notitiam manare ostendant, veluti e sifo fonte, ex absoluta et omnino iudependenti mentis humanae vi, et, ut aiunt, spontaneitate. Itaque fingunt, primaevos homines principio quidem instar muti pecoris sylvestrem egisse vitam, at sensim sensimque , ope solius rationis sua sponte sese evolventis, et sermonem invenisse, et civilem societatem condidisse, denique et cultum quemdam religiosum excogitasse atque instituisse. Hanc porro primam religionem, utpote plane rudem atque imperfectam, non aliud quidem fuisse docent nisi crassam quamdam , ut aiunt , fetichismi formam, quam deinceps tamen homines , sicut litteras, artes, scientias, aut quodvis aliud humanum inventum, cogitando et ratiocinando perfecerint. Hinc comminiscuntur, apud Indos, Aegyptios, Graecos, caeterosque populos antiquos varias apparuisse poiytheismi formas, quae progressu tempo-

ris perpetuo perfectores evaserint, ac totidem veluti gradus extiterint, per quos homo altiorem illam religionis formam^ quae christiana vocatur, tandem fuerit assecutus. Atque ita sacratissimam nostram religionem pro nobiliore quodam humani ingenii foetu habent, ideoque et humanae rationis iudicio atque dominio eam subiiciunt, eamdemque huius unius rationis ope continuo quodam ac necessario progressu in dies ulterius perficiendam esse declarant.

» Atque haec est, Eminentissime Princeps, theoria illa, quae sub specioso nomine *progressus continui* in variis incredulorum scholis hodiedum docetur; atque inde haec doctrina, tamquam teterrima quaedam pestis, longe lateque serpit atque grassatur.

» In impia autem illa et exitiosa doctrina refellenda plerique ex recentioribus inter catholicos apologetis iam statim illud negant, scilicet rationem humanam pollere absoluta illa ac penitus independenti vi sive spontaneitate, cui rationalistae religionis originem acceptam referunt; at docent e contra, variisque argumentis ab experientia ductis probant, hominem, ut nunc nascitur, praeter internam illam suae rationis vim nativam, indigere externo aliquo intellectuali auxilio, ut obtineat eum rationis listini , qui illi sufficiat ut ad distinctam Dei notitiam ct veritatum moralium cognitionem ope unius suae rationis pervenire possit.

» Hanc vero de indigentia externi alicuius intellectualis auxilii sententiam, cui quamplurimi ex praestantissimis apolegetis catholicis hodiedum subscribunt, ad pravum sensum detorserunt nonnulli Galliae scriptores, quos traditionalistas appellant. Docent scilicet traditioualistae illi, nullam veritatum metaphysicam m et moralium ideam menti humanae a Deo inditam esse; ac mentem humanam habere videntur pro animi vi sive virtute mere passiva, docentes primam illarum veritatum ideam et cognitionem ex sola institutione externa, veluti ex unico fonte, in mentem innuere, hominemque illarum veritatum notitiam eo fere modo acquirere, quo factum aliquod historicum ex aliorum testimonio discere solemus. Ex horum igitur sententia testimonium Dei revelantis, quod ope continuae traditionis servatum et in omnes populos propagatum sit, pro unico fonte et principio cognitionis veritatum religionis naturalis sit habendum. Et fuere quoque nonnulli qui asserere non dubitarunt, fieri non posse ut homo illis ordinis naturalis veritatibus, quales suut existentia Dei et animae humanae immortalitas, cum certitudine assensum praebeat, nisi prius divinae revelationi fidem adhibuerit: et sententiam sententiae suae oppositam erroris insimularunt rationalistarum et semipelagianorum.

» Hanc vero traditionalistarum doctrinam professores Lovanienses , tum in suis praelectionibus , tum

etiam in variis suis scriptis , tamquam falsam perpetuo improbarunt; et ad eam referendam, inter alia, haec monere solent:

1.° » Videri, secundum illam traditionalistarum doctrinam; omnem veritatum ordinis naturalis cognitionem revocari ad actum fidei, atque ita tolli essentialem illam quae exstat inter fidem et rationem differentiam. Atqui, *rationis vsus* (uti monuit Sacra Indicis Congregatio) *praecedit fidem, et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit.*

2.° » Videri consequi ex eadem illa doctrina, humanae menti abnegandam esse vim naturalis luminis, quod ei sufficiat ut ad cognitionem veritatum moralium pervenire possit ; ideoque et videri doctrinam hanc propius accedere ad errores Baii, Calvini etc. , qui in statu naturae lapsae vires rationis, quod ad veritates morales attinet, penitus extinctas esse docuerunt; atqui ex S. Scriptura et communi SS. Patrum et theologorum consensu apertissime constare, hominem rationis usu fruentem naturali suae rationis lumine, absque ullo revelationis supernaturalis et gratiae auxilio, posse cognoscere atque etiam demonstrare plures veritates metapbysicas et morales, inter quas existentia Dei et immortalitas animae sint recensendae. Sedulo quoque monent hic professores Lovanienses, omnino tenendum esse, ut ne ipsa fides concutiatur, exstare quaedam fidei preambula, eaque *naturaliter* cognosci; atque ibi recitant S. Congregationis Indicis declarationem illam , qua dicitur : *Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis libertatem ; cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animae spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem, allegari convenienter nequit.*

3.° » Videri porro consequi ex eadem illa doctrina, dicendum esse, ad cognitionem veritatum ordinis naturalis absolute necessariam fuisse revelationem supernaturalem; atqui hoc adversari communi theologorum sententiae, qui ibi non agnoscunt nisi moralem istiusmodi revelationis necessitatem.

» Haec igitur, inter alia, Eminentissime Princeps, contra eam traditionalistarum doctrinam ore et scripto monemus, atque inde a primo eius ortu monuimus.

» Quodsi ab una parte humanae rationis vires tuemur, ab altera tamen parte profitemur , sicut iam supra innuimus, nos in ea esse opinione, ut putemus non esse humanae menti tribuendam omnimodam illam spontaneitatem sive absolutam independentiam, quam ralionalistae eidem tribuunt; sed de mente humana sic sentimus : Mens humana vi pollet interna sibique propria; per se et continuo actuosa est; attamen, ut homo hac mente praeditus perveniat ad expeditum usum rationis, opus habet externo aliquo in-

tellectuali auxilio. Itaque opinamur, principia veritatum rationalium, raetaphysicarum ac moralium, a Deo conditore humanae menti indita esse; at simul arbitramur, hanc esse mentis nostrae legem naturalem sive psychologicam, ut homo *indigeat institutione* aliqua *intellectuali* ad obtinendum eum rationis usum, qui illi sufficiat ut distinctam Dei et veritatum moralium cognitionem sibi comparare possit. Non negamus , humanae menti absque illa institutione inesse confusum quemdam harum veritatum sensum , et vagam quamdam apprehensionem; sed loquimur hic de vera cognitione, hoc est, de clara et certa illarum veritatum notitia acquirenda. *Institutionem* autem intelligimus externum quodvis intellectuale auxilium, sive de industria, sive non data opera praestitum , idque sive voce , sive scripto, sive.gestn, sive alio quovis modo , quem sociale commercium suppeditat. *Indigentiam* porro intelligimus *absolutam;* at non eo sensu, ut putemus, Deum non potuisse aliter condere hominem, sed eo sensu, ut putemus , esse eam indigentiam omnibus hominibus , quales nunc nascuntur, communem. Hanc vero absolutam institutionis indigentiam extare affirmamus, si sermo sit de expedito rationis usu acquirendo ; minime vero dicimus, quod e contra falsum putamus, singularum veritatum ordinisnaturalis cognitionem ope institutionis esse comparandam: nam ubi homo iam usu suae rationis reapse fruitur, ipse sua sola ratione quamplurimas veritates detegere atque cognoscere potest. Praeterea notamus institutionem illam, quam dicimus ex nostra sententia non esse habendam tamquam *efficientem causam per quam* homo perveniat ad expeditum rationis suae usum , sed tamquam *meram conditionem sine qua* non possit ad expeditum illum usum pervenire; quemadmodum, verbi gratia, aer, calor, humor requiruntur tamquam *conditio sine qua* non possit manifestari vita, quae in aliquo grano seminis reapse inest, sed involuta ac latens. Principia legis naturae *scripta* sunt, in corde hominis; verum ea numquam distincte *legere* quis poterit, nisi postquam ope intellectualis illius, quod diximus, auxilii ad expeditum suae rationis usum pervenerit.

» Sententiam nostram sive doctrinam hactenus expositam, Eminentissime Princeps, probare solemus variis argumentis ab experientia et observatione psychologica petitis , quae huius loci non est exponere.

» Patet, autem, hac doctrina, rationalismi principium de nativa humanae rationis independentia et *absoluta,* ut aiunt, *spontaneitate* radicitus convelli; et tamen per eam nullatenus tolli, sed omnino integram et salvam in ea permanere nativam vim omnem humanae rationis internam.

» Et possumus ex nostra doctrina contra rationalistas sic contendere: Si homo , ut ralionalistae docent, primitus in hac terra in statu igno-

rantiae absolutae constitutus fuisset, numquam sola vi sua ex hoc ignorantiae statu exire potuisset. nec unquam (posita eadem naturae conditione , quae nunc est) sine Dei interventu, quocumque tandem modo iste interventus concipiatur, pervenire potuisset ad eum rationis usum, quo principia aut praecepta religionis naturalis cognovisset.

«Caeterum nostram hac de re sententiam adnumerandam esse arbitramur inter eas quaestiones, quae a philosophis catholicis libere disputantur. Verumtamen **R.** D. Lupus, canonicus Leodiensis, in opere quod inscribitur : *Le traditionalisme el le rationalisme examinés au point de vue de la philosophie et de la doctrine catholique*, nostram sententiam sive doctrinam *erroris theologici* insimulare non dubitat, et asseverare eam nexu tudivulso cohaerere cum perversis doctrinis Baii et Calvini, atque aperte repugnare doctrinae catholicae Sacrae Scripturae, et communi Patrum et theologorum sententiae. Quas criminationes in quadam epistola, nuper in Belgio louge.lateque propagata, sua auctoritate approbare et firmare visus est R. P. Perrone.

» Norunt tamen illi scriptores sententiam, quae ab ipsis tam iniuriose notatur , a multis auctoribus vere catholicis et doctis non tantum in Belgio, sed etiam in Gallia, in Germania, in Italia propugnati; sciunt eam ut veram haberi ab Episcopis non paucis, et a pluribus theologis et philosophis, Sedi Apostolicae ac sanis doctrinis addictissimis. Et notum pariter est, eamdem sententiam in multis seminariis aliisque scholis catholicis cum assensu Episcoporum tradi atque doceri.

« Sed iam, post expositam nostram in controversia hac re sententiam, humiliter petimus ut nobis liceat, Eminentissime Princeps, sequentes propositiones S. Indicis Congregationis subiicere iudicio:

1.° » An licet auctoribus catholicis, in disquisitone mere philosophica de vi nativa rationis humanae , docere: Deum, si voluisset, potuisse quidem ita condere hominem, ut is, ipsa sola suae rationis vi et ope veritatum ordinis naturalis menti eius inscriptarum, nullo praeterea indigens quocumque tandem externo intellectuali auxilio, pervenisset ad expeditum usum rationis: - videri tamen potius dicendum , hominem nunc ita nasci, ut ad expeditum illum rationis usum obtinendum praeterea indigeat externo aliquo intellectuali auxilio, quod tamen non sit habendum tamquam *efficiens causa per quam* perveniat, sed tamquam mera *conditio sine qua* non possit pervenire ad eum rationis usum, qui illi sufficiat ut distinctam Dei et veritatum moralium cognitionem sibi comparare queat?

2.° » An licet auctoribus privatis, privata sua auctoritate, eam sententiam censura notare asserendo, illam cum perversis Baii et Calvini doctrinis cohaerere, atque S. Scripturae, unanimi Patrum et theologorum sen-

tentiae, definitionibus Ecclesiae, et S. Indicis Congregationis propositionibus repugnare?

3.° •> Num Calviniana habenda est interpretatio eorum qui docent, verba Apostoli *(Rom.* I, 19-20) accipienda esse de hominibus in vitae societate inter se coniunctis, plenoque rationis usu fruentibus, ut ex tota contexta oratione confici videtur?

4.° » An licet reprehendere ac iniuriose notare auctores catholicos qui asserunt,-simili sensu, hoc est de hominibus pleno rationis usu fruentibus, intelligendam esse S. Indicis Congregationis propositionem hanc: *Ratiocinatio Dei existentiam, animae spiritualitatem, hominis Ubertatem, cum certitudine probare potest?*

» Reliquum est, Eminentissime Princeps, ut optima quaeque Eminentiae Vestrae apprecantes, scribendi finem faciamus cum humili voto, ut nos tui observantissimos benevolentia complecti digneris.

» Datum Lovanii, kalend. Februarii **MDCCCLX.**

J. Th. B**EELEN,** *S. S. Pii IX Cubie, ad hon. S. Script et. ling. Orient, prof.*

J. B. L**EFEBVE,** *theol. dogm. prof.*

G. C. **UBAGHS,** *phUos.prof.*

N.J.L**AFORET.***philos.prof.* »

Quae epistola S. Congregationi Indicis non fuit proposita, sed dictus Card. De Andrea perperam suo nomine sequentem tradidit responsionem, de cuius valore mentio fit in documentis adductis^?. 211 *et* 213.

Praeslantis. et Claris. Professores:

« Acceptis litteris vestris, quas ad me dedistis kalendis Februarii huius anni, commisi doctis et eruditis quibusdam theologis Sacrae huius Congregationis Consultoribus, ut philosophicam de vi nativa rationis humanae doctrinam, quam iisdem litteris dilucide exponitis, atque in benemerita Universitate Lovaniensi tradi a Professoribus testamini, diligenter considerarent et expenderent. Qui quidem Theologi una cum R. P. a secretis, re sedulo antea accuratequc perpensa, in consultationem acciti concordi nobiscum sententia censuerunt:

I.° » Memoratam doctrinam nullatenus adversari quatuor illis propositionibus, quae ab hac Sacra Congregatione circa nativam rationis humanae vim non ita pridem prodierunt.

2.° » Recte adnumerandam esse inter eas quaestiones, quae a philoso^phis catholicis] libere in utramque partem disputari possunt; adeoque

3.° » Ad eamdem doctrinam quod attinet, standum esse Constitutioni Benedicti XIV. P. M. quae incipit: *Sollicita et provida* §. 23.

» Hanc sententiam vobis, Egregii Professores, libenter communico, atque vobis ex animo gratulor de sincerissimo vestro erga Apostolicam Sedem, columnam videlicet et firmamentum veritatis, obsequio.

» Romae, postrid. kalend, martias, anno **MDCCCLX.** »

L >£S H**IERONYMUS** **CARD.DE ANDREA**

S. Ind. Congreg. Praefectus.

Sequitur Secretarii subscriptio.

U ACTIS CONSISTORIALIBUS.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PI 1

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XX. DECEMBRIS MDCCCLXVIi.

Venerabiles Fratres

« Dives in misericordia Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, moestis rebus iucunda permiscet, Venerabiles Fratres, ut in eo semper sperantes, nullisque deterriti difficultatibus pergamus alacriori usque animo iustitiae iter insistere, et Ecclesiae suae sanctae causam impavide propugnare, omnesque vires ad Apostolici ministerii Nostri partes explendas intendere. Omnes profecto vident, quanta divinae suae bonitatis argumenta praebere dignetur clementissimus Dominus inter gravissimas calamitatés, quibus in hac tanta temporum iniquitate ubique afflictatur Ecclesia, et baec Apostolica Sedes premitur, atque inter maxima, quibus undique cingimur, pericula. Et sane dum Satanas, eiusque satellites, et filii, horrendis quibusque modis contra divinam nostram religionem, contra Nos, et hanc Petri Cathedram furere, et saevire, ac infelicissimae Italiae populos, ex parte longe maxima Nobis devotissimos, divexare non cessant, misericors, ac miserator Dominus miris ostentis adest Ecclesiae suae, adest Nobis, et omnipotenti sua auxiliatur virtute. Enimvero, Venerabiles Fratres, omnes catholici orbis Sacrorum Antistites arctissimo fidei, caritatisque vinculo Nobis, et huic San-

ctae Sedi in dies obstricti unanimes, et id ipsum sentientes, qua voce, qua scriptis, rei catholicae causam defendere, et Nos, et hanc Apostolicam Sedem omni ope iuvare non desinunt. Atque etiam laici viri, in magnis, publicisque per Europam congressibus, suam attpllunt vocem ad catholicae Ecclesiae, et huius Sanctae Sedis iura tutanda, et ad civilem Nostrum, eiusdemque Sedis Principatum vindicandum. Quae eiusdem civilis Principatus causa in Parisiensi praesertim Senatu, et in Collegio legibus ferendis nuper fuit unanimis prope suffragiis ac sententiis splendide et magnifice propugnata, bonis omnibus plaudentibus et exultantibus. Catholici autem populi abominandam inimicorum nostrorum perfidiam vehementer detestantes, publicis, ac splendidis significationibus filialem suam erga Nos, et hanc Sanctam Sedem pietatem et venerationem declarare, et continuis largitionibus Nostras, eiusdemque Sedis angustias sublevare gaudent, atque utriusque sexus fideles, licet pauperes, suo aere Nobis opitulantur. Ac praesto sunt inter ecclesiasticos, Laicosque, Viros, tum clarissimi Scriptores, qui suis operibus, tum disertissimi oratores, qui suis sermonibus in publicis quoque conventibus veneranda, et inconcussa iustitiae, veritatis, et huius Apostolicae Sedis iura diligenter, sapienterque defendere, et adversariorum mendacia refellere summopere gloriantur. Quamplurimi autem viri, nobilissimo etiam genere nati, ex omnibus fere regionibus, religionis causa excitati, propriis familiis, ac etiam uxoribus, filiisque relictis, ad hanc urbem certatim concurrunt, et omnibus despeetis incommodis ac periculis, Nostrae militiae nomen dare, et pro Ecclesia, pro Nobis, ac pro civilis Nostri, et huius Sanctae Sedis Principatus defensione vitam ipsam profundere non dubitant. Nec desunt catholici parentes, qui religionis spiritu incensi filios suos etiam unigénitos ad huius Sanctae Sedis causam tuendam mittunt, et illustre Machabaeorum matris aemulantes exemplum, illos pro hac causa sanguinem fudisse gloriantur, et gaudent.

^Accedit etiam ut populi civili Nostrae ditioni subiecti, quamvis nefariis omnis generis insidiis, minis, damnisque a perditissimis hominibus exagitati, tamen stabiles et immoti in sua erga Nos, et hanc Sanctam Sedem fide permaneant. Quos inter profecto eminet Romanus Populus, Nobis penitus dilectus, summis-

que laudibus decorandus, cum fere omnes cuiusque ordinis, gradus, et conditionis huius Almae Urbis cives singulari Nos affectu et obsequio prosequi, ac civili Nostro, et Sanctae huius Sedis Imperio obtemperare, Nobisque succurrere summopere gestiant Nostis autem, Venarabiles Fratres, qua fidelitate Nostri milites, omni certe laude dignissimi, excellant, et qua admirabili virtute ipsi contra scelestissimorum hominum turmas depugnarunt, et quanta cum gloria in acie mortem pro Ecclesia occubuere. Ac probe scitis, Serenissimum ac Potentissimum nobilis, et generosae Gallicae Nationis Imperatorem, gravissima Nostra considerantem pericula, strenuos suos misisse milites, qui cum praestantissimis eorum Ducibus, omni alacritate et studio, in Nomentano praesertim, et Eretino certamine, Nostris militibus auxilium dare, et cum ipsis fortiter dimicare, et pro hac Sancta Sede cum summa sui nominis laude mortem oppetere laetati sunt. Neque ignoratis quomodo in sacrarum praesertim expeditionum regionibus, Deo auxiliante, divina evangelii lux quotidie magis effulgeat, ac sanctissima nostra religio maiora incrementa suscipiat, et sedentes in tenebris, et umbra mortis, depulsa mentis caligine, ad sanctae matris Ecclesiae sinum confugiant, et quomodo ubique varia pia instituta quibusque christianae, civilisque societatis classibus, et necessitatibus vel maxime utilia in dies augeantur.

» Quae quidem omnia a Nobis breviter commemorata, ac multiplices impiorum hominum insidiae miro modo detectae, ac dissipatae, luculenter ostendunt quomodo omnipotens, et misericors Domihus, in cuius manu sunt hominum corda, Ecclesiam suam mirifice tueatur, defendat, et evidentissime confirmet, inferi portas nunquam adversus eam esse praevalituras, ipsumque Nobiscum esse omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Itaque, Venerabiles fratres, maximas, ac immortales clementissimo misericordiarum Patri pro lot acceptis beneficiis semper agamus gratias, omnemque spem, et fiduciam in Eo unice collocantes, non desistamus ferventissimis precibus Ipsum exorare, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi pergat Ecclesiam suam ab omnibus eripere calamitatibus, ac Nos liberare a Nostris, Suisque inimicis, eorumque impia consilia, et desideria confundere, et dissipare. Atque etiam Eum depre-

cemur, ut eosdem inimicos, atque etiam illos, qui contra Nos pugnantes in Nostrorum militum potestatem redacti, omnique caritate a Nobis tractati, in sua pertinacia persistunt, ad salutarem poenitentiam, ac rectum iustitiae tramitem reducere dignetur. Quo vero facilius annuat Deus precibus nostris, deprecatores apud Eum indesinenter adhibeamus primum quidem Immaculatam Deiparam Virginem Mariam, quae omnium nostrum est amantissima mater, ac potetitissimum christianorum auxilium, quaeque *quod quaerit invenit, et frustrati non potest ;* deinde vero Beatissimum Petrum Apostolorum Principem, et Coapostolum eius Paulum, omnesque Sanctos Caelites, qui cum Christo regnant in caelo. Antequam vero dicendi finem facimus Nobis temperare non possumus, quin meritas, amplissimasque laudes tribuamus, et gratissimi animi Nostri sensus iis omnibus, et singulis profiteamur, qui Nostram, huius Sanctae Sedis, Ecclesiaeque causam, tum voce, tum scriptis, tum subsidiis, tum alia quavis opera, ac vel ipsius vitae discrimine, tanta cum sui nominis gloria propugnare contendunt. Atque haud omittimus in omni oratione, et obsecratione, cum gratiarum actione, Deum, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, humiliter, enixeque precari, ut istos omnes Ecclesiae suae filios Nobis carissimos, ac strenuissimos eiusdem Ecclesiae defensores, uberrimis quibusque divinae suae gratiae donis, omnibusque caelestibus suis benedictionibus cumulare velit »

EX S, CONGREGATIONE CONCILII.

NOMINATIONIS SEU DISPENSATIONIS.

Die 25 Maii 1867. *Sess. 24 c. 12 et sess.. 25* c. 9 *de Refer.*

Compendium laeti. Aderat in insula Gaudi insignis collegiata ecclesia, quam in Cathedralem nuper evexit SSmus D. N. Apostolicis Litteris die 14 Septembris 1864: pius fundator nomine Basilius duas canonicales Praebendas illi Collegiatae adiunxerat anno 1746, et pro utraque Praebenda distinctas et consonas leges edicens, de Praebenda de qua est quaestio, hanc legem praestituit: ut ius *praesentandi Canonicos pertinere deberet ad ipsum Basilium fundatorem quamdiu vixerit, eoque vita functo... ad maiorem natu marem seu foeminam ex filiis et descendentibus in infinitum quondam Catharinucciae viduae Francisci Bugeia.* Haec quidem quoad ius patronatus activum; quoad passivum vero edixit: *quod praesentatio fieri possit in personam minoris et minori aetate constituti, dummodo sit aetatis duodecim incoeptorum, oriundus seu descendens ex oriundis huius insulae Gaudi... esse debeant ex descendentibus Catharinucciae Velia Bugeia si fuerint idonei... semper praeferantur adstrictiores in gradu consanguinitatis dictae Catharinucciae.... si vero occurrente vacatione plures concurrerent in aequali gradu, eo casu, liceat praenominatis patronis eligere ex eis unum sibi benevisum... eiusmodi Canonicatus et Praebenda in perpetuum habeant naturam iurispatronatus laicorum etiamsi ius nominandi et praesentandi transiret in ecclesiasticas personas, seu loca pia* **(1).**

Dictae Catharinae quatuor fuerunt lilii, scilicet, Ioannes, Anna, losepha, et Clara : vacante in praesentia canonicali Praebenda, quaedam Rosa, descendens ex linea Ioannis, et tanquam natu maior ex universa Caharinae progenie praesentavit nepotem ex suo filio Salvatorem tresdecim annos natum et nondum eie-

ci) **Recede quae scripsimus pag. 233 §. HI.**

ricum: quidam Ioannes, tamquam natu maior ex linea Annae, item quidam Iosephus, tanquam natu maior ex linea losephae, singuli praesentarunt Sacerdotem Iosephum, qui per lineam Clarae ex dicta Catharina pariter descendebat, sed remotiore gradu distare videbatur quam Salvator.

His duobus praesentatis accessit nomine proprio quidam clericus Franciscus, qui preces Curiae Episcopali porrexit tanquam ex Catharina descendens et sua iura in medium deducenda reserva bat ad eam obtinendam Praebendam.

Primus praesentatus, nempe Salvator, de sua idoneitate aliquatenus anceps, preces SSmo obtulit, ut quatenus stricto iure canonicam institutionem in Praebenda obtinere non posset, ea sibi concederetur ex canonica aequitate, cum ad hoc causae canonicae suppeterent.

Remissis de more his precibus Episcopo pro informatione et voto, utque auditis iis quorum id interesset de resultantibus referret; alter praesentatus Iosephus Sacerdos restitit petitioni, cuius exauditio in sui damnum cessisset; tertius, scilicet Franciscus clericus, protestatus est adversus quemvis concurrentium actum, se non audito.

Episcopus autem post expositam rerum historiam , nonnulla animadvertebat, videlicet : evecta collegiata ecclesia ad Cathedralis honorem, sibi videri Praebendam canonicalem cadere sub Tridentinam dispositionem ***sess.*** 24 c. 12 *de Refor.* licet in casu nostro a Fundatore etiam minores fuerint ad eam vocati: eo vel magis, quod Praebendae eiusdem ecclesiae primaeva sua constitutione essent omnes presbiterales, et Missae Conventualis celebratio expleretur per turnum: ideoque sentiebat cum supplicante Salvatore dispensandum esse super aetatis defectu, ut in similibus casibus S. Congregatio declaraverat, et nominatim in *Balneoregien.* die 21 Iunii 1760, et in alia *Balneoregien.* die 14 Ianuarii 1764, et in *Pergulana* die 20 Decembris 1854. Plures autem concurrere causas hanc dispensationem impertiendi, videlicet fere nullum detrimentum divini cultus; cum Capitulum constaret vigintiquatuor individuis alternis vicibus choro inservientibus: mentem explicitam fundatoris, qui aetate minores quam par sit ad Canonicatum etiam vocavit : supplices ferventesque Patronae preces: dotes Salvatoris qui et orphanus et

optimae spei esset adolescens: denique Romani Pontificis verba, qui in erectione cathedralis iura omnia Patronorum sarta tectamque voluit. Et praeter caetera adnotabat, quoties inter alios concurrentes exaudirentur preces Salvatoris, omittendas non esse providas dispositiones quae in aliis casibus praescriptae sunt, ut in *Pergulano,* die 20 Decembris 1851, ut scilicet deputaretur Administrator ecclesiasticus, qui expletis oneribus, reliquos Canonicatus redditus erogare t pro Salvatore, ut in Seminario educetur usque ad aetatem 21 annorum, quin idem in Canonicatus possessionem immittatur usque dum *in sacris* non sit initiatus.

Et hoc subiungebat esse Capituli votum.

Hisce habitis Uteris, prout moris est, rescriptum fuit Episcopo ut praefigeret partibus terminum ad deducendum iura sua coram S. Congregatione, quod quidem praestiterunt Salvator et Iosephus, Causidicis in Urbe constitutis.

Disceptatio synoptica»

DEFENSIO SALVATORIS QUOAD PRIMUM DUBIUM. — Contendebat Causidicus, ex universa progenie, quae a Catharina descendebat, tantum Rosam, utpote natu maiorem, ius praesentandi in praesentia habuisse, cum Fundator edixisset, *quoties vacatio occurrerit, nominationem spectare debere ad Maiorem natu marem seu foeminam ex filiis, nepotibus, posteris et descendentibus in infinitum quondam Catharinucciae :* in facto autem constare ex omnibus descendentibus natu maximam esse Rosam: hanc autem presentasse Salvatorem, qui proximiori gradu prae caeteris Catharinae iungebatur: quin imo etiamsi alii eodem gradu reperirentur, unica extante Patrona, utpote natu maxima ex universa progenie, illum sibi benevisum praesentare prae caeteris potuisse.

Neque obstare, subiungebat, status mutationem, qua Collegiata in Cathedralem transiit, quasi vero opponeretur lex Tridentina *sess.* 24 *de Refor. c.* 12, qua edicitur: *In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus habeant adnexum ordinem Presbyterii, Diaconatus vel Subdiaconatus.* Namque eiusmodi status mutatione iura patronorum non tolli, cum ea non destruat, quae cum novo ecclesiae statu compatibilia censentur* ceu cum

caeteris docet Card. De Luca *de Canon, et Cap. disc.* 6 *n.* 5, *et de Iure patronat, disc.* 66 *n.* It *et* 12 ubi inter caetera inquit: «si » dicta erectio fiat in Collegiatam vel in Cathedralem, facta cen- » setur absque Patroni praeiudicio, et consequenter sibi rema- » net ius praesentandi ad Canonicatum, *eo modo,* quo sibi compe- **ri** tebat in iure praesentandi unum vel plures Rectores seu Be- » neficiatos, *Seraph, decis.* 1444, *Buratt decis.* 162 *n.* 30 *et* 31. »

Eo vel magis quod non solum Patroni huic iuri nominandi adolescentem non renunciarunt, sed etiam eo tempore illud ius exercuerunt, cui obstitisset pari modo Tridentina lex *cap.* 12 *sess.* 24 *de Refor.* in quo edicitur: *Hortatur etiam sancta Synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, Dignitates omnes et saltem dimidia pars Canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et Collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia vel iure canonico.* Neque id mirum, quandoquidem fundatoribus licet conditiones apponere in limine fundationis, etiam contra ius.

In praesenti praeterea casu illud maxime favore Patronorum militare Orator testabatur, quod in Bullis erectionis, quibus Collegiata insignis transiit in Cathedralem, expresse praeservabantur Patronorum iura : Pontifex enim inquit : *aliorum autem Canonicatuum et Beneficiorum quorumcumque respectivas fundationes et Patronatus leges confirmamus et observari mandamus.*

QUOAD SECUNDUM DUBIUM.—Verum facta etiam hypothesi , dicta iura obstare, quominus Salvatori canonica institutio traderetur, eam concedendam esse contendebat Orator, per dispensationem.

Ad hoc probandum utebatur exemplo citatae *Balneoregien.* die 21 Iunii 1760; quod quidem exemplum cum de duriori casu agat, ex eo *a fortiori* favore Salvatoris concludi posse videbatur: nam in *Balneoregien.* lex fundationis facultatem tribuerat Patronis praesentandi simpliciter *habilem;* praesentatus autem fuerat adolescens decem annorum: in presentía autem lex fundationis facultatem dedit Patronis nominandi etiam adolescentem duodecim annorum, et praesentatus est Salvator aetatis tresdecim an. praeditus caeteris conditionibus a fundatore praestitutis.

Post haec nonnulla Orator adducens harum dispensationum exempla, in mentem revocabat principium illud penes S. Con-

gregationern receptum, quo, si inter plures nominatos adsit aliquis inhabilis, qui prae caeteris maiore iure polleat, non censetur irrogata caeteris iniuria, si hic per Apostolicam dispensationem habilis fiat: pari enim iure aestimatur habilitas naturalis, et habilitas, quae per dispensationem superveniat (1).

DEFENSIO IOSEPHI SACERDOTIS QUOAD PRIMUM DUBIUM. — Iosephi Orator, initio contendebat, iuspatronatus de quo agimus esse *gentililium lineare*, ita ut illi omnes ius aequale praesentandi haberent, qui in unaquaque linea ex Catharina profiuente, maiores natu reperirentur: scilicet non unice senior ex universa progenie ius nominandi haberet, sed singuli maiores natu, qui in singulis lineis extarent, in quocumque reperirentur gradu; de qua re ita Pitonius *de Contr. Patr. Alleg.* 100 *n.* (363. « Quando con» cursus est inter lineas praerogativae gradus non servatur nisi » discretive in qualibet linea, et unusquisque proximior de sua » linea succedit pariter cum altero proximiore et de altera li- tt nea, licet inter eos gradus inaequalitas comparative vigeat. » Quare in praesentia tot Patronos seu voces esse inquiebat Orator, quot erant lineae ex Catharina procedentes: atqui iosephus Sacerdos duas sui favore habuit voces ex duabus distinctis lineis: ergo alterum praesentatum Salvatorem vicisse dicendus est: compertum enim est eum inter praesentatos esse instituendum,

(i) Orator, ut removeret insuper difficultatem ex carentia primae tonsurae petitam, ob quam inhabilis ad ipsum Canonicatum Salvator erat, iuvabatur etiam ex peculiari *Motu-Proprio* **Pii** VI. **die 25 Iunii 1 777 quo, pro Melitensi Dioecesi, haec inter alia statuit:**

« Cum autem contingat non raro, ut ad unum idemque Beneficium aut Ecclesiasticam Cappellaniam multi ex testatorum voluntate sint vocati; compellaturque proinde Episcopus omnes ad primam promovere Tonsuram, ut omnes Beneficii et Cappellaniae Ecclesiasticae capaces efficiat, unde inutilis exurgit Clericorum numerus, cum Beneficium aut Cappellania non nisi uni possit conferri; volumus ideo, ut in posterum, quoties id contigerit, quicumque se ad Beneficium seu Cappellaniam ius habere putaverit, congruo tempore coram Ordinario se sistat, qui, si idoneum quoad scientiam et bonos mores, omnique canonico impedimento carere compererit, literas testimoniales eiusdem favore super idoneitate ad primam Tonsuram expediat, quarum vigore ius habere praetendens, etiam in concursu Clericorum causam agere valeat coram Iudice Ecclesiastico, perinde ac si prima Tonsura fuisset initiatus; quae demum illi conferri poterit, qui in causa victor extiterit, et per Iudicis sententiam Beneficium seu Cappellaniam obtinuerit, reputabitur que ad hunc effectum **arctatus,** *ut arctatorum privilegiis potiri valeat.»*

cui maior Patronorum numerus suffragatur, *cap. Quoniam de Iurepatr.*

Sed praeterea contendebat Orator praesentationem Salvatoris ex sese esse inefficacem et nullam, eo quod esset inhabilis ad canonicam institutionem obtinendam, quo casu, etiamsi a pluribus Patronis fuisset praesentatus, universum iuspatronatus consolidan censetur in iis, qui habilem praesentarunt, *Milevitana Beneficiorum* 10 *Iunii* 1712 *coram Aldrovando §. Omissa.*

Porro, subiungebat, fundatorem vocasse descendentes ex Catharina expressis verbis *si fuerint idonei,* atqui idoneitas canonica ad ecclesiasticum Beneficium obtinendum exigit, ut, qui illud affectet, sit *Clericus:* de qua re Pyrrhus Corrad. *Prax. benef. 1.*1 *c. &n.* 100 *et seqq.* scripsit: « Quoad quartum requisitum » dicimus, quod Beneficium ecclesiasticum sit Clerico non autem » Laico conferendum : quandoquidem beneficium est res ecclesiastica, quae Sacerdoti vel Clerico datur in ordine ad Sacrum » ministerium in perpetuum concessa, mediante canonica institutione; quia sicut non potest Beneficium ecclesiasticum a laico » conferri, ex eo quod sit ius spirituale, ita ex eadem ratione, » neque a laico iurium spiritualium incapace potest obtineri ..... » quare etiamsi sit in aetate legitima constitutus ad Beneficium » simplex obtinendum, tamen nec Beneficium liberae collationis » obtinere, nec ad illud, si fuerit de iurepatronatus, praesentari, » *si actu non sit Clericus,* aliquo modo poterit, licet in continenti » postmodum promoveatur, *dec. penes Buratti* 21 *n.* 1 ubi, quod » praesentatus ad Beneficium iurispatronatus cum non esset » Clericus tempore praesentationis de eo coram Ordinario factae, praesentatio non fuit valida, cum hoc requireretur in » praesentando etiam ad simplicia, adeo ut non sufficeret si in » continenti fieret Clericus etc. et sicut esse debet quis Clericus tempore dictae collationis, ita tempore praesentationis. » Atqui Salvator praesentatus fuit clericali tonsura non initiatus: ergo etc.

Sed frustra quaerimus, prosequebatur Orator, de idoneitate Salvatoris ex lege fundationis; indoles enim Beneficii de quo agimus immutata est per erectionem Cathedralis: in omnibus enim ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus habere debent adnexum ordinem Presbyterii, Diaconatus vel Subdiaconatus, ita

ut nonnisi ad eos idoneos recipi possint, urgente Tridentina lege, *sess.* 24 *c* 12. *«Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, Canonicatum aut Portionem recipiant, nisi, qui eo ordine sacro sit initiatus, quem illa Dignitas, Praebenda aut Portio requirit; aut in tali aetate, ut infra tempus a iure et ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat. »*

Et ad rem adducebat Orator Resolutionem S. C. C. die 12 Februarii 1644 emissam ad dubium his verbis conceptum: « An Ca» nonicatus de iuspatronatus laicorum in ecclesia Collegiata ante » S. Concilium Tridentinum absque aliqua expressione Ordinis » sacri erectus, si postea erigatur dicta Collegiata in Cathedra» lern cum reservatione Canonicis iurium, quibus antea utebari» tur, possit idem Canonicatus retineri absque susceptione ali— » cuius ordinis sacri?» Cui S. Congregatio respondit: *retineri non posse Canonicatum absque susceptione Ordinis sacri.* Et in eundem sensum cedere, inquiebat, duas *Balneoregien**. supra citatas, nec non causam *Pergulanam* die 20 Decemb. 1851; in hac enim disserebatur de idoneitate adolescentis duodecim annos nati et nondum Clerici, qui nominatus fuerat ad Praebendam, olim titulo simplicis Cappellaniae, sub conditione tantummodo suscepti Clericatus, erectam in ecclesia Patrum Erem. s. Augustini, quae tamen a s. m. Pii VII. in Cathedralem evecta est. Disputatum idcirco est super dubio : « An Ioannes Antonius Redini indigeat » dispensatione super defectu aetatis, ita ut, et quae aetas re» quiratur ad assequendum Canonicatum Droghini nuncupatum » in casu:» et responsum prodiit: *affirmative.*

Neque forte dicas, pergebat Defensor, Tridentinam dispositionem in praesentia minime urgere, quod in Apostolicis Litteris Cathedralem erigentibus dictum esset: *aliorum autem Canonicatuum.... respectivas fundationes et patronatus leges confirmamus et observari mandamus.* Hae enim aliaeque similes clausulae adhiberi assolent ad excludendam liberam et alternativam Sedis Apostolicae et Ordinarii collationem , et ad servanda quaevis patronalia iura, quae tamen cum nova Beneficii indole non répugnent. Quid porro magis absonum ab officio Canonici Cathedralis, quam infantulus, qui sui muneris ratione in divinis officiis per seipsum psallere, Missas conventuales canere, in'senatum

Episcopi cooptari, eidemque Episcopo sacra ac solemnia peragent assistere deberet?

Hinc esse quod S. CC in superiori Resolutione allegata, quamvis ageretur de iuspatronatus laicali absque aliqua ordinis sacri expressione, erecta Collegiata ecclesia in Cathedralem, *cum reservatione facta Canonicis iurium , quibus antea utebantur,* respondit *retineri non posse Canonicatum absqiie susceptione Ordinis sacri.* item in *Balneorogien.* anni Î 764, quamvis in Litteris Apostolicis Innocentii XII. legeretur clausula: *sine aliquo eorum,* (qui antea iura habebant), *praeiudicio:* item in *Pergulana,* quamvis in Litteris Pii VII. statueretur: *salvo cuiusvis generis patronatus iure, adeo ut, qui necessariis praediti requisitis subinde ex"patronatus iure erunt acciti, in Canonicatus possessionem immittantur cum iisdem honoribus et oneribus ac caeteri Canonici.*

Quare,.concludebat Orator, praesentationem Salvatoris ex sese viribus carere, utpote qui inhabilis ad Canonicatum Cathedralis assequendum: eo vel magis quod fuerit praesentatus-nulla adiecta conditione obtinendae dispensationis, de qua re haec scribit Pitonius *loc. cit. Alleg.* 2 *n.* 16: «Praesentatio autem incapaeis et in- » habilis est penitus nulla, quando non fuit facta sub conditione » dispensationis, tam si Patroni praesentaverint incapacem *seien* » ter, quam ignoranter.»* Et non solum Salvator sine ulla conditione fuit praesentatus, sed neque intra tempus ad praesentandum utile per dispensationem curavit se habilem reddi prout fuisset necessarium, iuxta ea quae inter caeteros docet Pyrrhus Corradus *loc. cit. I.* 4 c. 6 *n.* 26.

QUOAD SECUNDUM DUBIUM. — Gradum faciens Orator ad secundum dubium, pluribus auctoritatibus insistebat, non debere concedi Salvatori dispensationem, utpotequae cessisset in praeiudicium seu iniuriam sui clientis valide et legitime praesentati, quique insuper Sacerdotali ordine esset insignitus: namque principium viget penes S. C C. nunquam dispensationem concedi inhabili praesentato in praeiudicium alterius habilis ut in *Montisfalisci* die 28 Martii 1857 §. *Post haec;* in *Perusina* die 14 Martii 1774 *§. Praesentis* et passim. Maxime cum dispensatio abnormitates supra indicatas non tolleret, ut ponderatur in *Aretina Canonicatus* die 1.8 Mart. 1775.

His copiose utrinque adductis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An sustineatur nominatio favore Salvatoris.... in casu.
» Et quatenus negative.

H. » An sit locus dispensationi favore eiusdem Salvatoris in » casu.

III. » An et cuius favore danda sit institutio in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii die 25 Maii 1867 causa cognita respondere censuit:

Ad 1. *Affirmative favore Salvatoris, qui teneatur Tonsura clericali insigniri intra quatuor menses et procedere ad ulteriores Ordines suo Içco et tempore, deputalo interim Ecclesiastico Administratore usque ad susceptionem Subdiaconatus. qui Administrator, satisfactis oneribus, superextantes redditus eroget favore Salvatoris iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

Ad 11. et III. *Provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

J. Quamvis ex lege fundationis vocari possint Clerici ad Canonicatum in ecclesia collegiata consequendum, qui aetatem canonicam assecuti non fuerint ; hoc tamen locum habere non posse in ecclesiis cathedralibus, obsistente Tridentina lege.

II. Commutato statu collegiatae ecclesiae in Cathedralem, iura Patronorum novo nobiliori Ecclesiae statui aptari debere, eamque idcirco immutationem subire, quam natura sua exigit immutatio subiecti.

III. Colliges praeterea, Sanctam Sedem congruam dispensationem non concedere personae praesentatae ex iure inhabili, quando aliae habiles pari iure ex praesentatione a Patronis facta polleant.

IV. Congruam tamen dispensationem identidem concedere personae praesentatae ex iure inhabili, si causae canonicae concurrant, quamvis aliae habeantur nominatae habiles, dummodo hae non idem ius ex nominatione acquisiverint.

V. Sicut enim Sancta Sedes non concedit gratiam in detrimentum iuris acquisiti a tertio, ita e converso eam non impediri

quominus habilem reddat illum, qui vi suae nominationis caeteros excludat.

VI. In praesentia autem, omissis caeteris, Salvatorem fuisse unicum praesentatum ab ea Patrona, quae, utpote ex universa Catharinae progenie maior nata, iure gaudebat ad canonicatum vacantem praesentandi.

IMPEDIMENTI SPONSALIUM.

Die 27 Iulii 1867. *Sess. 24* **c.** *i de Ref. matr.*

Compendium facti. Livius et Caia humili genere et loco nati octo fere annos mutuo amori indulserunt, donec Caia deflorata est, prolemque edidit. Dein Livius, relicta Caia, nuptias cum muliere alia parare coepit: quare Caia ad Curiam episcopalem se convertens petiit obtinuitque, ut interponeretur impedimentum quominus ad alias nuptias Livius procedere posset. Eo impedimento perculsus Livius petiit ab eadem Curia, ut breve temporis spatium adversariae suae p rae figere tu r, tanquam terminusad assertum sponsalium impedimentum comprobandum, quo inutiliter elapso, locus esset eiusdem impedimenti remotioni.

Itaque Caiae Procurator sese in Curia stitit, demonstrare paratus haec tria: I°. Livium vere firmiterque promisisse Caiae, se cum eadem initurum matrimonium: et Caiam promissionem acceptasse: 2°. Caiam iugiter honestam vitae rationem prosequutam esse: 3°. a Livio sub matrimonii promissione et fuisse deflora tam, et repetitis accessibus prolem edidisse.

Incoepti in Curia processus tabulae cum fere absolutae essent causa siluit ob politicas subversiones: Livius autem ad S. Sedem se convertit ut causa definiretur.

De moré rogatus est Ordinarius ut congruum praefigeret partibus litigantibus terminum ad deducenda iura sua coram

S. C- C. et acta processus transmitteret, suo expresso voto datisque opportunis informationibus. Ordinarius faciens his omnibus satis, inter caetera scripsit: Livium praetextu matrimonii coram civili auctoritate antea contracti, concubinarie vivere cum alia muliere alterius dioecesis, prole suscepta.

Ex processus autem tabulis, inter caetera, haec deprehendebantur: i° duo documenta aderant, quorum primum ex actis civilibus depromptum testabatur: *Livium anno* 1862 *mense Maio coram magistratu civili se stitisse, ut publicaretur promissio matrimonii cum Caia, quod exsecutioni fuit mandatum, sed eundem postea omisisse curas ut reliqui actus subsequerentur.* Alterum vero documentum ex Curia depromptum testabatur : *mense Iunio anno* 1862 *fidem favore Livii et Caiae ab Ordinario datam esse, ut contrahere inter se possent matrimonium.*

Adductae praeterea sunt duae epistolae Livii, quibus respondebat querimoniis Caiae, quasi fidem datam ille proculcasset : in una scilicet respondebat, *se nunquam fuisse proditorem, nec quidquam veritatis in Caiae querimoniis contineri: eamque monebat ut, despecta quavis contraria suspicione, de modo cogitaret* * *quo omnes finiri possent quaestiones.* In altera vero, eandem fere sententiam Livius scripserat die 31 Augusti 1862.

His accedebant depositiones testium, qui ex propria scientia haec testati sunt: *Livium dixisse, cito se initurum matrimonium cum Caia: Caiam, praesente Livio, dixisse, se nupturam esse Livio, qui ad haec nihil respondit: Livium cothurnos sibi suae sponsae comparare quaesivisse, cum matrimonium inire deberet - Livium saepissime queslum esse de dotis mulieris defectu et de suorum parentum* (Livii) *dissensu.* »

Testes plures deposuerunt, *alium virum Caiae domum fre^ quentasse- Eiusmodi virum fuisse sponsum sororis Caiae.*

Ex aliis depositionibus testium, haec eruebantur: Livium sive interpellatum, sive reprehensum, sive sponte loquentem, fassum esse: *se auctorem stupri, sui esse nuptias cum Caia inire: Caiam se illecebris seduxisse cum promissione matrimonii, eamque déflorasse, ut suspicio removeretur ex quodam rumore orta, quem ipse audierat, Caiam non esse virginem; attamen virginem deprehendisse: se differre nuptias ratione dotis.*

Haec et similia ex actis.

A disceptatione synoptica abstinemus, cum eadem prorsus redeant, quae pluries in his ephemeridibus de sponsalibus agentes retulimus.

Dubium.

« An et quomodo sit locus remotioni impedimenti sponsalium » in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii causa cognita die 27 Iulii 1867 respondere censuit: *non esse locum remotioni impedimenti; et ad mentem.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Deflorantem honestam puellam cum promissione matrimonii, ex deliberato consilio facta, teneri ad eamdem matrimonio sibi iungendam.

II. Neque ob eam rationem obligationem cessare, quod vir in ea conditione deinde se constituat, quam iniqua civilis lex tuetur per civile scilicet contubernium (1).

(I) **Hic quaeri facile potest, quomodo in his adiunctis se gerere possit Ordinarius, si Sponsus conscientiae suae consulere velit. Namque difficultas omnibus sese offert: ex una enim parte Sponsus obligatione sponsalium obstringitur ad ducendam eam uxorem, cum qua sponsalia contraxit; neque haec tenetur cedere iuri suo cum tanto sui damno: ex altera parte Sponsus, licet ex sua malitia, obstringitur tamen vi civili ad convivendum cum civili concubina ; et ideo frustra adhiberentur censurae canonicae ad eum cogeadum ut primam mulierem uxorem duceret: de qua re recoli possunt, quae scripsimus in** *Fol.II. pag.* **258. Hisce in adiunctis praxis S.C.C, haec esse videtur, ut Sponsus paratus semet ostendat ad omnia damna primae mulieri illata resarcienda, assignando scilicet eidem congruam dotem , assumendo sibi onus alendae prolis, si quae fuerit, et deinde supplices porrigat preces SSmo, ut hic super sponsalium obligatione, si mulier suo sponsalium iuri valedicere nolit, dispensare dignetur.**

IURIS FUNERANDI ET EMOLUMENTORUM,

Die 16 Februarii 1867. *Sess. 24 c. 13 de Reform.*

Compendium facti. In urbe Tipherno quaedam viget consuetudo solemni pacto confirmata, iuxta quam cathedralis ecclesia non tenetur solvere quartam funerum Parochis civitatis, quoties horum subditi sepulturam eligant in cathedrali ecclesia eadem.

Decessit Àngelus in eadem urbe, et in suo testamento scriptum reliquit, ut iusta funebria sibi persolverentur in cathedrali ecclesia.

Parochus, cui suberat Angelus, ratus, per eam legem, qua praecipitur ut fidelium cadavera in publico coemeterio sepeliantur, impeditam cuique esse facultatem eligendi sibi dormitionis locum; inde concludebat, in nulla alia ecclesia praeter Parochialem peragi posse funera; proindeque Capitulo funera peragent contradixit, contendens sibi tantum ius esse exponendi in ecclesia defunctorum paroecianorum cadavera, sibique restituenda esse omnia funerum emolumenta, damnis refectis.

Secundum hunc tenorem preces obtulit Sacrae Congregationi Concilii, cui dubium, quod sequitur fuit propositum.

Dubium.

« An et quomodo annuendum sit Parochi precibus in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 16 Februarii 1867 respondere censuit: ***negative et amplius.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

Per publica coemeteria recens inducta nullimode laesa esse iura ecclesiarum et fidelium quoad funera (1).

(1) **Videsis quae scripsimus in** *Fol L pag. 87 et pag.* **124** *et seqq.* **nec non in praesenti Volumine** *pag. A4.*

Die 27 Iunii 1867. *Sess. 24 c. 14 de Refor.*

Compendium facti. In quodam oppido Archidioecesis N. sex extant diversi nominis Sodalitates canonice erectae: hae sodalitates simul accedere solent servato ordine ad publicas ecclesiasticas supplicationes.

Anno 1860 in dicto oppido supplicatio habita est ad pluviam pro agrorum siccitate impetrandam: at dum, sacer Orator concionem ad populum haberet, Sodalitas a SSmo Sacramento nuncupata, procedens, semet in templo ante caeteras sodalitates collocavit, quod causa fuit tumultus et dissensionum; unde praesens causa ortum habuit.

Cum dissensiones et scandala praecedentiae ratione deinceps fieri pergerent, die 27 Maii anno 1864 Archiepiscopi Vicarius praescripsit omnibus Sodalitatum Rectoribus, ut in supplicationibus peragendis singulae sodalitates ad templorum fores consistèrent, solò Clero saeculari, et regulari ingrediente. Sed haec dispositio non placuit Rectori Sodalitii a SSmo Sacramento, ita ut Vicarius ad S. C. C. sese convertens imperaverit Decreti a se emissi confirmationem: quae quidem in hanc sententiam fuit emissa, ut scilicet Sodalitates Decreto obtemperarent, praesentatis tamen iuribus cuiusque Sodalitii, quae deinde deduci deberent coram S. C. C, interea Vicarius moneret Rectorem Sodalitii a SSmo Sacramento, ut a praetenso iure in proxima Supplicatione peragenda desisterei, ipsi etiam imputando quidquid inordinatum esset eventurum, si sodales sacram functionem perturbassent.

Rebus ita gestis, Sodalitium sua iura deinde in medium deduxit coram S. C C. enarrans, iuxta consuetudinem in supplicationibus sacris ag©«dis, se in quasi possessione esse ingrediendi templa simul eum Clero, caeteris sodalitiis extra templa consistentibu^ ostendebat insuper qua ordinata ratione id fieret, et qua«! ordinate tota supplicatio procederet.

Remisso hoc libello ad Archiepiscopum ut, susceptis informationibus et iis auditis quorum id intererat, referret super

supplicar!tium iure, transmissis documentis ad rem facientibus, nihil interea innovato ; septem et viginti testes auditi sunt, qui unanimiter deposuerunt, in solemni supplicatione Corporis Domini et in alia sancti Patroni illius oppidi, Sodalitium a SSmo .Sacramento semper ingressum fuisse templa cum Capitulo et Clero, caeteris Sodalitiis extra templa manentibus: idem pariter observatum fuisse in caeteris supplicationibus.

Animadvertebat praeterea Archiepiscopus, vi tantum consuetudinis hoc ius dictum sodalitium prae caeteris posse sibi vindicare; cum recentioris esset institutionis: addebat tamen, si agatur de solemni supplicatione Corporis Dominici, sicut de aliis omnibus, quibus defertur SSmum Sacramentum , exclusivum eidem pertinere praecedentiae privilegium, prout eruitur ex Resolutionibus S. C. Rituum: et de Sodalitpte agi, quae pro cultu SSmo Sacramento tribuendo plures sumptus et largilionum onera singulis annis persolveret: et concludebat, tum pro consuetudinis existentia, tum pro privilegio quod tali Sodalitio iure competeret, praecedentiam eidem Sodalitio dari expedire.

His acceptis notitiis, decretum fuit emissum de causae tractatione *in folio,* et iterum ut moris est rogatus fuit Archiepiscopus ut, communicato hoc decreto, moneret partes, praefixo eisdem congruo termino, ut quatenus vellent, iura sua deducerent coram S. C. C.

Partibus auditis, tota quaestio ad id reducebatur: non negabant caeterae sodalitates consuetudinem favore dicti Sodalitii; sed inquiebant: si interdictum sibi esset ingredi templa evitandae confusionis causa, id neque Sodalitio a SSmo Sacramento debere permitti; quandoquidem cura Rectoris ipsum Sodalitium non amplius constaret octodecim vel viginti Sodalibus ut antea: sed multo ampliori numero fuisse auctum.

Opinabatur autem Archiepiscopus, praescribendum esse ut in posterum Clerus tantum saecularis et regularis templa ingrediatur, et octo vel decem Sodales a SSmo Sacramento, qui accensa cerea intorticia gestent.

His aliisque similibus deductis propositum est resölvendum

Dubium.

« An et quomodo servanda sit consuetudo in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii causa cognita die 27 Iulii 1867 respondere censuit: *Affirmative iuxta votum Archiepiscopi, ita tamen ut duodecim tantum Confratres ingredi et consistere in ecclesia possint.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quaestiones de praecedentia, quae in actu sacrarum functionum identidem insurgunt, sedandas esse per aliquod mandatum seu decretum, quod praéservet unicuique contendentium iura postea in medium deducenda ut quaestio iuridice dirimatur.

II. Sodalitatem SSmi Sacramenti, cuius erectio in singulis,paroeciis est quammaxime commendanda (1), specialibus privilegiis frui supra caeteras Sodalitates in processionibus, quibus defertur SSmum Sacramentum (2).

(1) Recole quae adnotavimus in *vol. H. p.* 29fi.

(2) **Constitutio quae praecedentiam in pressionibus moderatur ad praecavendas praesertim controversias quae exoriebantur inter Mendicantes, sicut etiam inter Sodalitates, est illa quam edidit Gregorius XIII. die** 25 **Iulii** lo83, **quae incipit,** *Exposcit,* **in qua decernitur:** *Qui in quasi-possessione praecedentiae, ac iuris praecedendi sunt, ii (quibuscumque reclamationibus, protestationibus, appellationibus et aliis subterfugiisprorsus 7'emotis et cessantibus et postpositis) in processionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant. Quando vero non probetur, aut non constet de quasi possessione praecedentiae huiusmodi inter fratres quidem Mendicantes, ii, qui antiquiores in loco controversiae; inter confratres vero inter se litigantes, ii, qui prius saccis usi sunt, in processionibus tam publicis, quam privatis, praecedere debeant; itaut si contigerit nova monasteria, aut domus alicuius Ordinis Mendicantium ih loco, in quo alterius Ordinis ex dictis Mendicantibus monasteria, aut domus prius erecta et instituta sint, ille Ordo, qui prius monasterium seu domum in loco habuerit, praecedat.*

Haec Constitutio considerari potest in hac materia veluti commune ius, quod observandum est, nisi aliquid aliunde obstet. Sic ex. gr. si de Mendicantibus agatur, quoad Fratres Praedicatores Ordinis Sancti Dominici obstaret Constitutio S. Pii V., quae incipit *Divina,* **qua generaliter dedit iisdem praecedentiam ante alios Mendicantes. Sic pariter in quaestione nostra de Sodalitio SSmi Sacramenti, multae adsunt Resolutiones Sacrae Congreg. Rituum ab anno** 1639, **quae praecedentiam eidem tribuunt supra caeteras Sodalitates in processionibus SSmi Sacramenti, quamvis quaedam conditio apponatur; sic in** *tunen.Sarzanen.* **die** 18 **Iulii** 1639 **S. R. C. censuit:** *Praecedentiam inter Confraternitates illi deberi, quae prius saccis usa est, etiam in concursu cum Confraternitate SS. Sacramenti, cui tamen debetur praecedentia in processionibus SS. Sacramenti, dummodo accedat etiam ad alias processiones et m loco sibi debito incedat.* **Cui resolutioni consonant illae, quae deinceps datae sunt, ut in** *Mediolanen,* **die 14 Novembris** 165i, **in** *Lauden,* **die** 4 **Mar-**

III. Eiusmodi privilegia in praecedentia consistere, quae huic Sodalitati competit, quamvis prae caeteris recentioris sit institutionis.

IV. Colliges denique, consuetudinem, seu quasi-possessionem praecedendi, in eiusmodi quaestionibus multum interesse.

tii 1662, in *Vercellen,* **die 20 Septembris 1687, in** *Meliten,* **die 23 Septembris 1820, ubi S. R. C. declaravit:** *Praecedentiam, deberi Sodalitati S. Ioseph, praeterquam in processionibus SS. Sacramenti; Sodalitatem vero SS. Sacramenti teneri et cogi posse ad alias processiones , iussu tamen, prudentia et arbitrio Ordinarii.* **Et haec ultima verba,** *iussu etc.*^ **animadvertit Gardellini in suis aureis adnotationibus ad decreta, ideo posita esse « quia revera solius Ordinarii » ius est decernere, num in quibusdam » circumstantiis conveniat nec ne ad cae- » teras Processiones Confraiernit. SSmi » Sacramenti compellere. » Et, ut caeteras similes Resolutiones omittamus, quae reperiri possunt in Gardelliniana Collectione, in** *Mediolanen,* **die 19 Iunii 1655 S.R.C, rescripsit:** *Competere praecedentiam Societati SSmi Sacramenti supra Confraternitatem S. Ambrosii in omnibus processionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum.*

Quaedam alia sunt respicientia eiusmodi processiones SSmi Sacramenti, de quibus haec decreta extant; in *Andrien.àie* **12 Apr. 1603, haec S. R. C. fuerunt exposita: « Societas SSmi Sacramenti in Cathedrali » Ecclesia Andrien. cuius Confratres sem- » perconsueveruntin procçssionibusSSmi » Sacramenti intorticia accensa deferre, » ut cum nunc in die solemnissimo fe- » stivitatis eiusdem, eadem intorticia ac- » censa deferre ab Episcopo prohibeantur » sub praetextu, quod tali die, iuxta for- » mam novi Coeremonialis, Clerici et Cap- » pellani illa deferre debeant, petierunt a » S. R. C. manuteneri in possessione de- » ferendi eadem intorticia accensa tam in » processionibus SSmi Sacramenti, quae » fiunt per annum, quam in solemnissi- » ma processione, quae fit die festivitatis » eiusdem SSmi Sacramenti.»**

Eadem S.R.C, respondit: *Id non prohiberi ex Libro Coeremoniali, in quo potius omnes tam laicos, quam Clericos, ad honorandum tantum Sacramentum, intorticia seu candelas accensas deferre debere, quatenus id fieri possit, declaratur. . . . nec posse super praemissis dictos Confratres ab Episcopo molestari.* **Et in** *Nepesina* **die 10 Maii 1608, sic inter caetera Sac. Congreg, respondit:** *Quia tamen* **(sunt verba S. C.)** *in solemnitate SS. Sacramenti sumptus cerae et aliarum necessariarum rerum fiunt in dicta Terra Campagnani per Societatem, seu Confraternitatem praedictam SS. Sacramenti;* **declaravit,** *ut nonnulli ex dictis Confratribus SS. Sacramenti saccis induti cum fanalibus accensis in manu possint incedere, et incedere debeant hinc inde ante et apud SS. Sacramentum. »*

Die 24 Augusti Ì850.

Summaria precum. Exposuerat Aquensium Archiepiscopus, se in sua metropolitana ecclesia synodum provincialem esse celebraturum , sicuti in pluribus Galliae provinciis iam aliae synodi celebratae erant: sed cum contingeret ut in dicta Metropoli commoraretur Episcopus mere titularis (hic enim Episcopatum resignaverat quem iampridem obtinuerat in alia provincia), antequam Episcopi suffraganei illuc convenirent cum caeteris gui sedem habent in provinciali concilio, sequentia dubia S. Congregationi dirimenda proposuit:

Î. « Utrum dictus Episcopus votum decisivum in concilio » provinciali ferre possit.

II. » Utrum preeedentia frui debeat quoad caeteros Episco- » pos suffraganeos, si prius consecrationem episcopalem re- » ceperit.

III. »Utrum considerari possit tamquam Episcopus exemptus.»

Disceptatio syiioptiea.

CÍRCA PRIMUM DUBIUM. — Commemorabatur *ex officio* textus Tridentini Concilii *Sess.* 24 *de Reform, c.* 2, ubi edicitur: *Provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigen iis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis renoventur. Quare Metropolitani per se ipsos, seu illis legitime impeditis, Coepiscopus antiquior. . . . non praetermittat synodum in provincia sua cogere, quo Episcopi omnes* (sc. suffraganei) *et alii, qui de iure vel consuetudine interesse debent, conveniant.*

Quaerebatur itaque initio utrum dictus Episcopus mere titularis, de iure, an consuetudine interesse deberet. Dicebatur autem de iure admittendos esse Abbates et Commendatarios tam cum iurisdictione et territorio, quam absque territorio, Capitula Cathedralium et Collegiatarum habentium iurisdictionem quasi episcopalem, vel ipsorum Vicarii, uti docent Quaranta in *Summa Rullar, verb.* Concilium provinciale *a qu.* 2 *ad* 6, Petra *in Comment, ad Const. Honorii II. sect.* 1 *n.* 12 ei *seqq. tom.* 1. De

aliorum autem admissione rem totam a consuetudine pendere: quare concludebatur, in re praesenti dictum Episcopum ius non habere conveniendi synodum provincialem; namque neque eum iurisdictionem habere, neque consuetudinem eidem suffragari, cum hic esset in ea provincia singularis casus.

Verum non denegari eidem admissionem si concilii patribus placuerit, iuxta ea quae tradit Zerola in *-prax. Episcop. verb.* Concilium </M. 5 *ad quintum dub.* ubi ipse quaerit: *An possint admitti Episcopi alterius provinciae?* Et respondit: *Sylvester in verbo Concilium,* n. 9 §. 6 *dicit quod sic, si accedant voluntarii, et similiter alii, quorum consilium est necessarium, ibi sint ut Consultores.*

Supposita autem admissione, cum facultas dandi deliberativum suffragium ex iure censeatur esse tantum eorum, qui iurisdicfionem episcopalem vel quasi-episcopalem habent, Episcopum, de quo agimus, utpote iurisdictione destitutum, hanc facultatem non habere consequebatur: et hanc esse rationem ob quam haec facultas denegari solet caeteris Abbatibus qui iurisdictionem non habent, sicuti etiam Capitulis cathedralium quae habent tantummodo votum consultivum, uti sentiunt Tomassini *de Nova et Vet. Eccles, discipl. par.* 2 Z. 3 *c.* 5 *n.* 9. Petra *loc. cit.* Fagnan. *de his quae fiunt a maior part. c. Etsi.* Gavant, *in manual. Episc. verb.* Concilium provinciale *n.* 53 *et seqq.* aliique.

QUOAD SECUNDUM DUBIUM.—Nonnulla afferebantur quae pro affirmativo responso militare visa sunt, quae huiusmodi erant: in *cap.* 31 *lib.* 1 *caeremonialis Episcop.* statuitur: *«Episcopi praecedant iuxta ordinem eorum promotionis^ nullo habito respectu ad dignitatem vel praeeminentiam ecclesiarum »* ubi notat Catalanus *in* §. 15 *«spectant haec quidem tum oecumenicas, tum provinciales synodos »* in qua re consonant Auctores; et notat Campegius *de auctorit. SS. Concilior. c.* 15 §. ad eum effectum habendam esse rationem temporis electionis non autem consecrationis, uno excepto Metropolitano, qui uti concilii praeses primum semper obtinet locum.

Haec quidem convenire videbantur Episcopis omnibus sive cum iurisdictione, sive mere titularibus, cum in praesenti lege nulla fiat distinctio; eo vel magis quod Episcopus, qui resignavit simpliciter Episcopatum, ordinis praerogativas, honorem et iura reverentialia retinet.

At contra verior videbatur altera sententia, Episcopo mere titulari ad Concilium admisso praecedere Episcopos suffraganeos seu comprovinciales qui iurisdictionem habent: namque hi sunt Adsessores et coniudices cum Metropolitano unum corpus efformantes; et ad rem adducebatur auctoritas Card. De Luca in casu duriori: quaestio enim erat inter Archiep. Sebasten. mere titularem, vicarium seu coadiutorem Archiep. Pragen., qui titulo etiam suffraganei absque iurisdictione decorabatur, et Episcopum Lithomoricen. suffraganeum cum iurisdictione; de praecedentia generatim agens dictus Auctor *in disc.* 16 *de Praeem.* haec scripsit : « Quo vero ad alterum casum , concursus scilicet hu-
» iusmodi Praelatorum in ipsa civitate Metropolitica eiusque
» dioecesi, vel provincia, distinguebant inter functiones publi-
» eas et iurisdictionales ratione Episcopatus et Praelaturae àctua-
» lis, puta in *synodo provinciali,* in consecratione Episcopi com-
» provincialis, in dieta Regni, in coronatione Regis vel Reginae,
» cum similibus, et inter actus omnino indifferentes ac priva-
» tos. In prima specie, absque dubio pro Episcopo responden-
» dum esse dicebam, quoniam, cum isti sint actus, qui gerun-
» tur in titulum sub nomine Praelaturae, dictus Archiepiscopus
» titularis, utpote non existens de illo ordine seu genere , nul-
» lum ius habet in eis interveniendi; quia extra suum officium;
» unde reputatur vir mere privatus: ac etiam urget eadem ra-
» tio casus praecedentis, ut scilicet habens iurisdictionem in
» proprio territorio seu loco praecedat non habentem ; altera
» etiam ratione ponderata, quod Metropolitanus cum suis suf-
» fraganeis unum et idem constituit provinciae corpus, cuius
» ipse est caput, alii sunt membra, ideoque non potest diversa
» persona intermediare etc. (1). »

(i) Iuxta haue distinctionem intelligendae videntur quaedam Resolutiones Congregationis SS. Rituum, quae occasione huius causae ex Regestis S. Congregationis exscriptae sunt, videlicet : *Pragen.* **« Archiepiscopus Sebasten. suffraganeus Pragen, exposuit, sibi a Dignitatibus Metropolitanae in aliquibus praecedentiam controverti - Die i Decembri* 1637 S. R. C. respondit: -** *Archiepiscopo Titulari aeque ac Archiepiscopo de residentia praelationem et obsequia deberi: siquidem, etsi diversae sint sedium sortes, tamen Praesulum iura semper eadem permanent; cum utique detur catholicae religionis hostibus vim actui, non tamen habitui potestatis et iurisdictionis inferre, qua fraudatur Episcopalis dignitas, non minuitur: ac propterea Archiepiscopum Oratorem*

QUOAD TERTIUM. — Post ea quae hactenus sunt adducta facilis videbatur descendere responsio ad tertium dubium: namque licet Concilium Trid. *loc. cit.* edixerit: « *Item Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subiiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cuius synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quae ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant.))* Haec tamen referri observabatur ad Episcopos exemptos qui iurisdictione pollent, qui in concilio provinciali, cuius Metropolitanum elegerint, partes agunt Adsessoris et Coniudicis non secus ac Episcopi suffraganei, et praecedentia fruuntur iuxta ordinem promotionis, ut docet Gallemart in *Conc. Trid. c.* 2 *sess.* 24, Zerola *loc. cit. q.* 4. aliique supra citati, et nominatim Card. Petra *loc. cit. n.* 61 *et* 62.

RESOLUTIO.— Sacra Congregatio Concili discussa quaestione *per summaria precum* proposita in comitiis habitis die 24 Augusti 1850 respondere censuit: ad i. *Negative nisi omnes et singuli Episcopi consentiant:* ad II. et III. *negative.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Quaemadmodum oecumenica Synodus est iuridica repraesentatio universae Christi Domini Ecclesiae, ita provincialem synodum esse iuridicam repraesentationem provincialis ecclesiae.

II. Quare in synodo provinciali eos omnes intervenire posse aut debere, qui idonei sint ad provincialem ecclesiam iuridice repraesentandam.

HI. Eiusmodi idoneitatem aliam ex iure definitam esse, aliam ex consuetudine.

IV. Ex iure primo loco venire Episcopos suffraganeos sub praeside Metropolita, qui proprio iure in synodo iurisdictionem exercent, quique partem essentialem synodi provincialis constituunt, aliosque exemptos Episcopos, qui Metropolitanum hac de causa semel elegerint.

caeteris dignitatibus Archiepiscopali inferioribus ubique et in omnibus praejerendum esse. **Ephesiua geuerice resoluta die 8 Aprilis 1656 ita se habet** - *Archiepiscopi et Episcopi titulares existentes in aliena Dioecesi debent praeferri Archiepiscopis consecratione iunioribus, nec non aliis Episcopali charactere senioribus, sed gradu Archiepiscopali posterioribus; extra tamen Ecclesiae ambitum, intra quam Ordinario privative quoad omnes Archiepiscopos et Episcopos etiam seniores praecedentia competit.* -

V. Secundo loco ex iuris analogia venire Abbates aliosque, qui iurisdictione Episcopali simili in provincia potiuntur, quique, si exempti fuerint, eam provinciam semel elegerint.

VI. Alios denique venire, qui dignitate ecclesiastica in provincia constituta sunt insigniti, nec non cathedralium ecclesiarum Capitula, quae ex iure in provinciali synodo sunt vocanda (1).

VII. Quare caeteras Dignitates etiam episcopales, quae forte in provincia reperiantur, quaeque neque Dignitates sint provinciae, neque Dignitatem aliquam provincialem repraesentent, ius, aut officium non habere Synodum conveniendi.

VIIÍ. Eiusmodi autem Dignitates, quamvis in Synodo facile admittantur*, tamen definitivum suffragium dare non posse, nisi ii omnes consentiant, qui proprio nativoque suo iure ius dandi suffragium habent.

(i) Expedit, ut hic recolatur quaedam Resolutio S. C. C. recens emissa in causa *Strigonien.* S. C. C. non semel definivit Capitula cathedralia ad Synodum provincialem esse vocanda iuxta Textum in *Cap.. Etsi membra. De his quae fiunt a Prael.sin. con.* Capitulum ecclesiae metropolitanae Strigoniensis ad synodum provincialem fuit vocatum, sed Canonici conquesti sunt *primo,* se ad synodum ita fuisse invitatos, ut non ad instar collegii, ceu volebant, sed per Procuratores interessent ; *secundo* autem in sessionibus post Abbates, qui territorium separatum haberent, sese collocatus fuisse, quod sibi non competere arbitrabantur: Iudices synodales , Archiepiscopo adprobante, utramque petitionem interim reiecerunt, reservatis iuribus Capitulo competentibus, sine ullo praeiudicio in posterum, prout de iure iudicandis. Itaque absoluta synodo Archiepiscopus rem ad S. Congreg. Concilii detulit, in qua die 18 Iunii 1859 dubium propositum fuit: « An » et quomodo in proximis synodis ser» vari debeat decretum Iudicum syno» dalium diei 30 Septembris J858, tum » circa Capituli Strigoniensis ad synodum » per Procuratores accessum, tum circa » ordinem sedendi in casu: » re discussa, S. Congregatio respondit: *Capitulum metropolitanum, esse imitandum ad synodum provincialem quatenus in eadem Civitate celebretur, ordinato tamen servitio Chori arbitrio •et prudentia Archiepiscopi. Canonici autem sive collegialiter sive per Procuratores intervenientes locum habeant iuxta praescriptum in caeremoniali Episcoporum lib.i. cap.*31.

In caeremoniali <iutem Episcoporum, ubi de ordine sedendi in synodo sive provinciali, sive dioecesana agitur, haec habentur: « Dignitates et Canonici cathe» dralis ecclesiae cum capitulariter pro» cedunt aut sunt, praeferantur caeteris » omnibus ; alias Abbates titulares , et «habentes usum Mitrae praecedant, et » post eos Commendatarii, deinde Di»gnitates, mox Procuratores Capitulo» rum ecclesiarum cathedralium, dein» de caeteri, pro cuiusque dignitate et » gradu;»

EX S, G0K6RE6ATI0HE EPISCOPORUM ET BEGÜLAßiüM.

IURIS SEPELIENDI

Die 13 Septembris 1867.

Compendium facti. Familia **M.** iure sepeliendi potiebatur in quadam sepultura ecclesiae collegiatae pagi Eneti : namque in lapide superimposito legebatur epigraphe - *Familiae M... Cineres* - eademque inscriptio in antiquissima quadam eiusdem ecclesiae scriptura adnotata servabatur. Accedebant et alia documenta ex antiquis relationibus Episcoporum petita, quae illiusmodi familiae **M.** ius procul omni dubio con firmaban t.

Ultimus et unicus huius familiae superstes fuerat Caietànus, quocum tota familia M. penitus extincta est. Caietanus haeredem nominavit Agnetem R. quae pariter in dicta sepultura tumulata fuit. Agnetis haeres extitit Theresia quae nupsit Iosepho P., quaeque pariter ibidem sepulturam obtinuit. Huius filiae et haeredes, Maria nempe Agnes et Veronica, iure haereditario arbitrabantur sese successisse in eidem sepulcri ius, quod olim ad familiam M. pertinuerat.

At vero adversos nactae sunt tum Canonicos dictae Collegiatae, tum Parochum in cuius paroecia domicilium eaedem habebant; quamvis ii omnes ex gratia hoc ius in illas sorores P. transferri posse assentiebantur, addita conditione, ut, quoad Capitulum, iura ecclesiae competentia omnino salva essent ; quoad Parochum autem, ut in ecclesia parochiali funera celebrarentur aut saltem Parocho compensatio rependeretur.

In hoc rerum statu Sorores P. supplices S. Congregationi Ep. et Reg. admoverunt preces; et auditis partibus et Ordinario, die 16 Martii 1866 prodiit Rescriptum hisce verbis: *SSmus annuitele, arbitrio Ordinarii, accedente consensu interesse habentium, pro petito indulto dumtaxat favore sororum P. oratricum, salvis iuribus parochialibus, servatisque aliis de iure servandis; contrariis etc.*

Expeditum quidem fuit huiusmodi Rescriptum, minime vero exsecutioni commissum oh quasdam facti difficultates, quas hic referre opus non est.

Tum vero loseph P., dictarum sororum pater , adhuc vitae fruens usura, filiarum oratricum defensionem suscipiens, ad eamdem S. Congregationem preces convertit, quibus oratricibus filiabus suis ius sepulturae denegari non posse contendebat, et, si quid pro eleemosyna solvendum esset, exorabat, ut quantitas solvenda per Emos Patres determinaretur. Prodiit Rescriptum, quo rem in plena Congregatione proponendam esse edicebatur.

Itaque iterum de more in scriptis auditae sunt partes, et Administrator Apostolicus, qui interim dioecesis regimen a Pontifice adeptus fuerat, quique a sententia sua proferenda abstinuit.

Disceptatio synojutica.

QUOMODO ORATRICES SE TUERENTUR.—Duo tamquam certissima in primis ipsae in facto statuebant, primo nempe ad familiam M. ius sepeliendi in ecclesiae collegiatae sepultura pertinuisse; deinde se legitimas, licet mediatas, familiae M. haeredes extitisse: cum itaque nemo nesciat, haeredes, licet mediatos, in universum ius, quod testator defunctus habuit, succedere, /. 194 *ff. de diver. reg. iur.* ubi legitur: *Qui per successionem, quamvis longissimam, defuncto haeredes extiterunt, non minus haeredes intelliguntur, quam qui principaliter haeredes existunt:* exinde inferebant, sibi, sicuti bona, ita et iura suarum autricum Agnetis R. et Theresiae suae matris pervenisse ; ideoque et ius sepulcri de qub est quaestio.

Sed et propius quaestionem attingendo, contendebant, ex apertissima iuris civilis dispositione illud esse statutum, ut ius sepulcri tam familiaris, quam haereditarii, haeredibus etiam extraneis, idest cum testatore haud parentela coniunctis, apprime competat, Z. 13 C. *de Relig, et sumpt funer.* ubi legitur: *Ius sepulcri tam familiaris quam haereditarii ad extraneos etiam haeredes, familiaris autem ad familiam, etiamsi nullus ex ea haeres sit, non etiam ad alium quemquam, qui non est haeres, pertinere.*

Praeterea animadvertebam, se in possessione huiusmodi iuris versari : namque Agnes R. et Theresia, ambae testatrices, in dicta sepultura quondam familiae M. tumulatae fuerant, ut supra dictum

est, quin aliquis unquam contra obmussitasset: iam vero ex doctrina S. Rotae, actum licet unicum hac in materia exercitum, titulum legitimum praebere, quo aliquis in eo iure manuteneri debeat, *Decis.* 5082 *num.* 1 *p.* 3 *Recent.*

QUAE CONTRA PAROCHUS DEDUCERET.— Statuebat Parochus, in praesentia agi de sepulcro *familiari:* et ideo quia de familiari sepulcro ageretur, ius tumulationis adiudicari non posse nisi agnatis vel fortasse cognatis familiae M., qui de familia esse dicuntur; non vero extraneis, cuiusmodi in praesentia erant oratrices, quae de familia M. dici certe non possent: communem autem esse canonici iuris interpretum doctrinam, familiaria sepulcri iura una cum familia penitus extingui, ita ut ecclesia ab huiusmodi servitute liberetur, Rota *cor. Coccino Decis.* 291 *n.* 1 ; *Duximana sepulturae* 14 *Martii* 1647 *cor. Donizetto;* De Luca *disc.* 38 *n. 7 et 8 Misceli, eccl.* Lotter *de Benef. lib.* 2, *qu.* 4, *n.* 28 Fargna *de Iure pátr. p.* 1, *can. I, II, eas.* 2, *n.* 4.

Neque obesse, subiungebat, qualitatem haereditariam cui Oratrices nitebantur: non enim succedere ipsas potuisse in ius, quod cum familia M. extinctum mansit.

Nec quidquam eisdem prodesse praetensam possessionem in iure sepulcri: tumulationes enim in dicto sepulcro factas, esse aliquid minus recte gestum contra libertatem ecclesiae; et adducere inconveniens non esse solvere argumentum.

QUAE PRAETEREA ADDERENTUR EX OFFICIO.— Quod utrinque a partibus in proprii iuris tutamen allatum fuerat verum et indubitatum esse observabatur : si enim ad ius caesareum respectus esset habendus, sorores in ius familiae M. circa sepulcrum succedere: si vero iurisprudentia canonica observanda esset, contrarium dicendum esse. In hac itaque utriusque iuris diversitate dubitari non posse dicebatur, quin iuri canonico standum sit.

Neque mirum si aliter in iure civili statutum reperiatur; quandoque penes ethnicos sepulcra in fundis privatis, vel prope publicas vias construi consuevisse, et quamvis uti religiosa, ideoque inviolabilia censerentur et extra commercium; nihilominus habita esse uti *nostra,* ex §. 9 *Inst. de Rerum division,* et interdictum de locis religiosis continuisse causam quasi proprietatis; et hinc ius sepulcri transiisse ad haeredes, Voet *lib.* 11 *tit.* 7 n. **4,** et potuisse pro libito legari.

At contra in catholica christiana Religione sepulcra ut plurimum sita esse in sacris templis, non vero in fundis privatorum: et ideo privatos homines, praeter merum usuale sepeliendi ius ab ecclesiastica potestate concessum, nullum dominium nullamque proprietatem posse iactare: quare si quando familia, quae fuerit hac facultate donata, exaruerit, ad eiusdem haeredes, utpote in ea non comprehensos, eamdem facultatem non protendi.

Neque insuper ultimum familiae superstitem de eo iure familiae concesso disponendi facultatem habere, veluti habet Patronus circa ecclesiastica beneficia, in quibus invaluit, ut iuspatronatus gentilitium vel familiare in ultimo vocato evadat haereditarium: nam ius sepulturae ecclesiasticae comparatur potius cum iure usufruendi, quod cum eo extinguitur cui ususfructus concessus est, Fargna *de Iurepalr. par.* 1 *can.* **1** *et* 2 *eas.* 2 *n.* 4.

Hisce aliisque deductis proposita sunt dirimenda

Dubia.

I. «An et quomodo locus sit reportationi Rescripti diei 16 » Martii 1866 in casu.

» Quatenus Affirmative.

II. » An Oratricibus competat ius sepulturae in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Epis, et Reg. die 17 Septembris 1867 causa cognita respondere censuit:

Ad I. *Negative in omnibus* (1), *et Episcopo Administratori ad*

(1) *Reportare Rescriptum* **idem est ac reddere Rescriptum** S. **Congregationi, a qua idem prodiit, ut inter acta reponatur aut laceretur aut deleatur; ita ut perinde sit ac si concessum et expeditum non fuisset. Cum itaque in praesenti causa** *i'.mì* **Patres respondeant:** *non esse locum reportationi Rescripti,* **hoc idem est ac si dixissent,** *Rescriptum ?ion esse reddendum,* **ideoque uti validum reputandum et exsecutioni esse committendum ; cui insuper** *Mentem* **adiecerunt, ut in allato responso.**

Cum alicuius partis interest, ut aliquod Rescriptum a Sacris Congregationibus emissum revocetur, si illud non est. exsecutioni mandatum, eadem pars potest instare, ne illud exsecutioni mandetur, vel etiam ut reportetur: et dubitandi formula solet ita concipi: *An Rescriptum sit exsecutioni mandandum , vel reportandum,* **aut alia quavis «equipollenti ratione: neque mirum esse debet, si ex ingenti Rescriptorum numero, quae ex Urbe exeunt, interdum aliquod sit revocandum; de qua re habemus textum expressum in Decretalibus** *cap.* **5** *de Rescriptis,* **in quo legitur:** *Si quando aliqua tuae fraternitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur, turbari non debes . . . Qualitatem negotii pro quo tibi scribitur, diligenter conside-*

mentem: metis est, ut B. P. D. Administrator auditis partibus interesse habentibus compensationem statuat ex bono et aequo.

Ad H. *Provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Quamvis ex iure caesareo sepulcra, quae in privatis fundis condi solebant, uti religiosa haberentur, et ideo extra commercium essent : tamen propria eorum , et in eorum haereditate considerata fuisse, qui legitime ea constituerunt.

15. Quare leges et iura haereditatis et successionum facile sese protendisse etiam ad ius sepulcri, quamvis haec sepulcra fuissent familiaria.

III. Christiana consuetudine invalescente, fidelium cadavera recondendi in sacris templis; factaque ab ecclesia peculiari facultate aliquibus familiis constituendi sibi in iisdem proprium *se-*

ram aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis rationabilem causam praetendas. Quia patienter sustinebimus si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum. **Et Exemplum habemus revocationis Rescripti in causa** *Romana* **penes S. C. C. agitata die 23 Aprilis 1864. Agebatur de quadam dispositione facta a Canonicis ecclesiae N. quosdam Cappellanos respiciente: petitum fuit Apostolicum Rescriptum, ut ea dispositio approbaretur, quod quidem servatis servandis obtentum fuit his verbis:** *Praevia sanatione et condonatione fructuum a Cappellanis perceptorum, pro adprobatione, arbitrio Emi Archipresbyteri iuxta petita.* **Hoc rescriptum non statim exsecutioni fuit mandatum: Cappellani deinde .instierunt, ne hoc re scriptum executioni mandaretur. Quaestione proposita sub dubio: « an sit exsequendum Rescriptum » S. C. C. respondit:** ***Negative***, *facto verbo cum SSmo.*

Quod si Rescriptum fuerit exsecutioni commissum, tum nulla alia superest via, quam ut instetur pro eiusdem reportatione. Quod si agatur de Rescriptis SS.Congregationum, quae per *Bullam* **aut per** *Breve* **fuerint expedita , tunc ad ipsum Summi Pontificis solium est primo recurrendum. Namque contra haec solemniora R. Pontificis acta non datur obloquendi facultas, nisi prius ex speciali gratia haec concedatur: praesertim cum in** *Bullis* **et** *Brevibus* **ut plurimum addatur clausula** *-sublata-* **idest clausula, qua R. Pontifex aufert iudicibus inferioribus facultatem interpretandi , obloquendi, et oppugnandi id quod in iisdem fuerit dispositum. Çnjare, si quod in illis vitium subreptionis aut obreptionis locum habuerit, tum Summus Pontifex ad petitionem partis cuius interest, ope Sui Auditoris, vel etiam summarie per ipsas SS. Congregationes facultatem facit postulanti, ut super memoratis actis interloquì possit. Et tunc duo coram SS. Congregationibus proponuntur dubia: 1.** *«An intret arbitrium obloquendi etc.* **vel etiam:** *an concedenda sit aperitio oris etc.'»* **Et quatenus affirmative. H.** *«-An constet de obreptione et subreptione etc. »*

pulcrum; dictas haereditatis-leges et iura locum habere pari modo non potuisse.

IV- Subintrant enim leges immunitatis et libertatis ecclesiasticae, quae natura sua quamlibet extraneum servitutem a sacris locis repellunt.

V. Quare facta ab ecclesia concessione sepulcri familiaris, hanc concessionem cessare, familia extincta (1).

(1) Quaeri fortasse heic potest, an idem sit dicendum de familiaribus sepulcris conditis in publicis coemeteriis: an scilicet extincta familia, haeredes extranei ius sepulcri, quod Testatori competebat, habeant. Si nihil peculiare obstet ex voluntate familiae, quae sepulcrum sibi condidit, ut esset ex. gr. si caeteros e familia extraneos expresse a sepulcro repulisset; videtur dicendum haereditatis iura etiam ad haec sepulcra familiaria sese facile protendere: namque aut omnino cessat, aut saltem levis admodum redditur illa praecipua ratio petita a libertate ecclesiae a servitute. Agitur enim de locis publicis, in quibus quisque fidelium post obitum cogitur sepeliri. Proindeque, ecclesia non interveniente in causa, ius tantummodo temporale et profanum in disputationem venit; quo in casu haec tradit Card. De Luca *Misceli, eccles. Disc. 2$ n. il.* « Et quamvis » ex originali traditione. . . . .dispositiones » per ius civile in materia sepulcrorum, «locum non habent de iure canonico, » cum non concedatur Principi laico disponere super spiritualitatibus; attamen id » procedit ad effectum libertatis ecclesiae, » vel respective servitutis iuris privativi » seu prohibendi, non autem ad effectum » pertinentiae patronalis inter privatos, » ecclesia non existente in causa, neque » contendente de libertate, quoniam tunc » dicitur ius temporale seu profanum eodem modo, quo ut supra habetur de » cappellis in ecclesia existentibus, super » eo quod concernit caementa et ornamenta , ipsumque situm materialem, » quae dicuntur esse in haereditate profana. »

IX í COMEGiTIOIE INDICIS.

DECRETUM. Feria H. die 2 Decembris 1867.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio .Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Le mie preghiere, per cura di Monsignor Pietro Bignami Canonico Onorario della Chiesa Milanese. Milano, 1866. *Decret, diei* 12 *Aprilis* 1867.

Biblioteca utile—Storia Generale delle storie, di Gabriele Hosa. Milano, 1863. *Decr.* 2 *Decembris* 1867.

Le Jésuite, par l'Abbé *** Auteur du Maudit, et de la Religieuse. Paris, 1865. *Decr. cod.*

El espíritu del Evangelio comparado con las practicas de la Iglesia Cattolica, por Juan Francisco La-Riva. Lima, Imprenta nacional por M. Yillarcal 1867. *Decr. cod.*

Lamentations, par Pierre Augustin Métay Cultivateur Français. Gênes, Imprimerie de Jacques Caorsi 1867. *Decr. S. Off. Fer. IV.* 31 *Julii* 1867.

Rapports de merveilleux de M.[1] Cahanille B... avec le monde, surnaturel, par l'abbé M. I. C. Thörey prêtre du Diocèse de Sens. Paris, 1866. *Decr. S. Off. Fer. IV.* 22 *Augusti* 1867. *Auctor laudabiliter se subiecit, et opus reprobavit.*

Saggio di preghiere per la Chiesa cattolica apostolica italiana, a cura della Società nazionale emancipatrice, e di mutuo soccorso del sacerdozio italiano. Napoli, Stabilimento tipografico Perrotti, 1866. *Decr. S. Officii Feria IV. die* 29 *Augusti* 1867.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae

pravitatis Inguisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE **ix.** *per me infrascriptum S. I. C. a secretis relatis,* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit.* ***In*** *quorum fidem etc.*

Datum Romae die **13** *Decembris* **1867.**

ANTONINUS **Card.** DE LUCA **Praefectus.**

Loco Sigilli

Fr. ANGELUS VINCENTIUS MODENA **Ord. Praed.**
S. Ind. Congr. a Secretis.

Sequentes Apostolicas Litteras referimus, quae iam publici factae sunt iuris, quibus animadversum est in Emum Card. Hieronymum D'**Andrea, qui tamen in Urbem rediens, ea quae male gessit publice reprobavit: cuius quidem reprobationis declarationem, quam modo novimus, in sequenti referemus fasciculo.**

EX SECRETARIA BREVIUM,

LITTERAE APOSTOLICAE.

PIUS PP. IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Die 12 Iunii 1866.

« Universi Dominici gregis cura Nobis utpote Beatissimi Petri successoribus, Deo sic volente, concredita requirit atque exigit, ut securitati gregis ipsius vigilemus assidue, omnemque demus operam, ne oves perdantur, quas non corruptibilibus auro vel argento, sed Sacratissimi Sui Sanguinis pretio redemit Christus Dominus. Haec Nos cura dies noctesque sollicitat, haec Nos monet, atque excitat, ut Apostolicam adhibeamus auctoritatem si qua in dioecesi Dominico gregi creari discrimen salutis ab ipso pastore videamus. Quae cum ita sint peculiares Nostras curas et studia convertimus ad Episcopalem Ecclesiam Sabinensem, et Abbatiam Sublaquensem regendas curandasque traditas Hiero-

nyrno D'Andrea in amplissimum Cardinalium Collegium per Nos cooptato, qui ab officio declinans fidelitatis ac reverentiae erga Nos et Apostolicam Sedem hominibus potissimum utriusque suae dioecesis lapis offensionis evasit, is enim vero quum ab annis hinc fere tribus facultatem a Nobis implorasset, ut Neapolim recreandae valetudinis causa se conferret, hanc illi veniam gravissimis de causis denegandam existimavimus, illique suasimus, ut Civitates alias atque oras, nec procul etiam ab Italia sitas peteret aeris salubrità te pariter celebratas, ubi suam confirmaret valetudinem, ac difficultates sustulimus, quae longiori suscipiendo itineri obstare ei potuissent. Cum voluntati Nostrae acquie-, visse primum visus esset, repente mense Iunio Anno MDCCCLX1V Nobis nil tale scientibus atque opinantibus profugiens ex Urbe Neapolim demigravit. Subitam hanc discessionem graviter admodum et moleste tulimus, utpote quae esset animi Nobis et Apostolicae Sedi minime obsequentis indicium, et videretur etiam non leve scandalum fidelibus allatura. Quapropter haud ita multis elapsis mensibus dicto Cardinali revocandas in mentem curavimus multiplices gravesque poenas a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, ac praesertim ab Innocentio X. Sua in Constitutione « *Cum iuxta))* Cardinalibus inténtalas et absque declaratione iudicis ab ipsis incurrendas, si non obtenta prius venia a Romano Pontifice pro tempore existente, quavis de causa, utut iusta ac legitima videri, possit, extra temporalem Ecclesiae Ditionem sese transferre ausi fuerint. Sed quum pertinaci illum animo manere in proposito videremus, per Cardinalium Congregationes Tridentinis Sanctionibus interpretandis et Episcoporum ac Regularium negotiis expediendis praepositas nonnulla putavimus decernenda, quae et iustam animi Nostri offensionem declararent, et illum ad saniora suscipienda consilia permovérent. Haec tamen omnia nihili ducens, litteris quibusdam in vulgus editis, factum tueri suum obstinate perrexit, et in amplissimos nonnullos Cardinales, spectatosque Antistites, quos sibi Angebat infensos, conviciis calumniisque acerbitatis suae virus effudit; et vero etiam quaedam sentire visus est, quae reprobanda iudicamus. Atque haec agendi ratio indigna prorsus Catholico Antistite, eoque praesertim, qui in Collegium Cardinalium adlectus praecipuo observantiae fideique iuramento Sanctae huic Sedi esset obstrictus, gravi

moerore perculit bonos omnes, male animatos autem in religionem homines excitavit magis erexitque, iam vero expectasse satis diu dicendi eramus, dum is ad bonam se frugem reciperet; sed tamen Illius Nos gerentes in terris vices, qui patiens et benignus est, atque in misericordia dives, aberrantem adhuc studuimus in rectam viam revocare, Litterasque ei misimus manu Nostra conscriptas, quibus paterna illum caritate admonuimus, ut colligeret se aliquando, ac reputaret animo, quanta se culpa illigaret, hortatique sumus impense, ut errorem suum recognoscens ad Nos tamquam in parentis sinum accorrerei, et importatum Catholico Orbi, nedum fidelibus suae curae concreditis, gravissimum scandalum repararet. Atqui nihil inde motus ac delinitus, sed exasperatus magis atque insolescens litteras rescribere non est veritus, queis nihil arrogantius, nihil Nobis, atque in persona humilitatis Nostrae huic Apostolicae Sedi dici possit iniuriosius. Quocirca praetergressi iam patientiae ac lenitatis terminos Apostolico Nostro muneri defuturi prorsus videbamur, nisi hanc tantam scandali labem suprema Nostra auctoritate compescere et a communi animarum pernicie propulsare niteremur. Verumtamen antequam gravius quidquam statueremus, Venerabilibus Fratribus Nostris Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalibus rem totam considerandam ac deliberandam commisimus. Qui quidem factorum serie diligenter perpensa unanimes reprobarunt, maximeque doluerunt gravem Nobis et Apostolicae Sedi per collegam suum irrogatam iniuriam ac deinde in eam iverunt sententiam iuxta Sacros canones et Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum Constitutiones utriusque dioecesis Sabinensis et Sublaquensis regimini, et bono per Apostolicum Administratorem esse consulendum, donec memoratus Cardinalis Hieronymus D'Andrea resipuerit, atque in Urbem revertens Nobis atque Apostolicae Sedi obsequentem se, atque obedientem praestiterit. Nos igitur, quibus pro pastorali officio nihil potius est quam aeterna animarum salus, exempla sequuti Decessorum Nostrorum, qui, ut Ecclesiarum regimini et incolumitati prospicerent pari remedio usi sunt, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Pvomanae Cardinalium, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Auctoritatis plenitudine memorato Gardinali Hieronymo D'Andrea omne iurisdictionis exer-

citium tam in Ecclesiam Sabinensem, quam in Abbatiam Sublaquensem in spiritualibus ac temporalibus tollimus atque interdicimus, donec Nobis et Sanctae huic Sedi aliter visum sit, eique ne ullam curationis atque administrationis partem in utraque dioecesi audeat attingere palam aperteque praecipimus. Praeterea Venerabilem Fratrem Franciscum Gandolfi Episcopum Antipatrensem, et Ecclesiae Sabinensis Suffraganeum in Administratorem dictae Sabinensis Ecclesiae, et Venerabilem Fratrem Antonium Mariam Pettinari Episcopum Nucerinum in Administratorem Abbatiae Sublaquensis ad Nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum tam in spiritualibus quam in temporalibus de Apostolicae potestatis plenitudine per praesentes Nostras litteras eligimus constituimus et deputamus cum omnibus et singulis facultatibus, honoribus, iuribus, quae huic officio vel ex privilegio, vel ex usu et consuetudine propria sunt. Quocirca memoratis Episcopis facultatem tribuimus, ut in sua quisque dioecesi in administrationem tradita omnia et singula gerere possit, quae sunt ordinis, quaeque sunt iurisdictionis, itemque, ut unum Vicarium generalem deputare queat iis facultatibus instructum, quas magis in Domino censuerit expedire. Insuper utrique Administratori potestatem facimus conferendi paroecias, aliaque beneficia ecclesiastica sive simplicia, sive residentiam personalem requirentia tam actu vacantia , quam in posterum administrationis tempore durante vacatura, quorum collatio ad locorum Ordinarios pertineat, salva tamen regula mensium, salvisque affectionibus et reservationibus Apostolicae Sedis. Mandamus autem stricteque praecipimus dilectis filiis Cathedrali Capitulo et Canonicis tum Episcopalis Ecclesiae Sabinensis, tum Abbatiae Sublaquensis, nec non reliquo clero et populo utriusque dioecesis, ut memoratos Antistites in Administratores Apostolica auctoritate deputatos recipiant et admittant, eisque plenam reverentiam atque obedientiam exhibeant. Quod vero spectat ad fructus et redditus utriusque mensae, quomodo illi erogandi sint memoratis Administratoribus per alias litteras significabimus. Denique memoratos Antistites vehementer hortamur, ut in sua quisque dioecesi in administrationem concredita boni pastoris officium adimplere satagat, eumdemque iuxta canonicas Sanctiones visitare non praetermittat, malisque, quibus afflictari intellexerit, omni ope curaque medeatur. Haec volumus,

iubemus, mandamus decernentes has Litteras etiam ex eo quod illi, quorum interest, minime consenserint, et ex alia quacumque causa ullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae defectu impugnari posse etc. *sequuntur consuetae clausulae.*

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Iunii Anno MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri Vicesimo.»

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

PIUS PP. IX.

***Die* 29** *Septembris 1867.*

« Quamquam Illius Nos gerentes in terris vices, qui patiens et misericors est, benignitatem ciernentiamque libenter sequamur, tamen quia iudicium et iustitiam facere Apostolici etiam muneris esse intelligimus, ad evellenda, quae in perniciem fidelium suboriantur scandala, eorumque auctores compescendos supremae Nostrae auctoritatis vim et robur exerimus. Id Nos spectantes iam inde ab anno proxime superiori 1866 , per similes in forma Brevis Litteras, die **12** mensis Iunii datas, auditis antea Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, de eorumdem consilio omne iurisdictionis exercitium in spiritualibus ac temporalibus tam in Ecclesiam Sabinensem , quam in Abbatiam Sublaquensem ad Nostrum et S. Sedis beneplacitum Hieronymo D' Andrea Cardinali suspendimus atque interdiximus, quippe qui mense Iunio anno 1864, Nobis iustissimas ob causas abnuentibus, aliasque ut oras ad confirmandam valetudinem peteret suadentibus, Urbem repente deserens Neapolim profugisset, ibique adhuc immorari pergeret contra Sacrorum Conciliorum de Episcoporum residentia sanctiones, contraque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum decreta de eadem re edita, et potissimum Benedicti XIV. Constitutionem, quae incipit *« Ad universae christianae reipublicae,* » ubi scilicet decernitur, non licere Episcopis a Dioecesi sua recedere legitima qualibet ex causa etiam tuendae recreandaeque valetudinis, nisi prius a

Romano Pontifice pro tempore existente veniam fuerint expresse consecuti. Neque minus severe de Cardinalium residentia statuerunt Praedecessores item Nostri Romani Pontifices, atque in primis Innocentius X. in sua Constitutione ***«Cum iuxta,»*** die 19 Februarii anno 1646 edita. Is enimvero, quum S. Ecclesiae Romanae Cardinales in partem Apostolicae sollicitudinis vocati adstare continenter Romano Pontifici, eique in regimine universae Ecclesiae studium suum operamque praestare debeant, graves eisdem, multiplicesque indixit poenas, ipso facto, et absque iudicis declaratione incurrendas, si extra civilem Ecclesiae Statum demigrare ausi fuerint quacumque ex causa etiam publica et favorabili, et in corpore iuris clausa, nisi eadem causa a Romano Pontifice pro tempore existente expresse antea fuerit et probata et admissa.

»Iam vero huiusmodi inobedientiae, atque irreverentiae exemplo adversus Nos et Apostolicam Sedem per memoratum Cardinalem edito, proculcatisque tam audacter ab eo sacrorum Canonum sanctionibus, et Pontificiis Constitutionibus, diu multumque, sed tamen frustra expectavimus dum ille resipiscens errati veniam postularet; frustra illum per Cardinalem publicis negotiis praepositum, ac deinde per Cardinalem Sacri Collegii Decanum admonendum curavimus de gravissimis poenis, quibus iuxta sacros Canones, et Pontificias Constitutiones obnoxius evasisset. Ipse etenim adhibitas admonitiones nihili faciens, actionem illam suam tamquam culpa vacuam tueri pertinaciter institit, evulgatisque in eam rem litteris, amplissimorum nonnullorum Cardinalium, et spectatissimorum Antistitum nomen famamque proscindere non dubitavit iniquissimis conviciis et contumeliis , omni posthabito et humanitatis et christianae etiam charitatis officio. Tanta haec agendi scribendique licentia viro potissimum indigna, qui et Cardinalitia et Episcopali dignitate honestaretur, maximum Nobis dolorem inussit; sed tamen nequid intentatum relinqueremus ad eius animum permovendum, ac ne ullae Nostrae benignitatis et clementiae partes in huiusmodi re desiderarentur, litteras ei mittendas duximus manu Nostra conscriptas, quibus hortati eumdem sumus, ut consideraret etiam atque etiam quam grave fidelibus scandalum intulisset, et quantam idcirco culpam sustineret, aeternaeque suae saluti

consulens in rectam viam redire ne moraretur; ac postremo denunciavimus, nisi paterna Nostra monita libens volensque audiret et sequeretur, ipso Apostolici muneris officio Nos fore cogendus, ut iudicis tandem partes-susciperemus. At enim nihil de animi sui pertinacia atque elatione remittens, tam procaciter Nobis atque iniuriose respondit, ut id expectare vix potuissemus ab homine, cui nulla sit erga Apostolicam Sedem fides et observantia.

»Tarn gravibus, tamque reprobandis admissis aequa lance perpensis, et spectata praedicti Decessoris Nostri Innocentii X. Constitutione, nemo non videt, quanto gravior per Nos fuisset animadversionis adhibenda severitas. Siquidem in eadem Constitutione memoratus Praedecessor Noster statuit decernitque, ut omnes et singuli S. Rom. Ecc. Cardinales, qui non obtenta a Romano Pontifice pro tempore existente licentia extra temporalem Ecclesiae ditionem se transferant, statim eo ipso absque aliqua iudicis vel alterius praecedente declaratione omnibus et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus et indultis a Sede Apostolica concessis privati sint et existant; atque insuper poenam interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso pariter incurrant; nec non et aliis per Romanos Pontifices quovis modo arbitrandis poenis subiaceant, et etiam ad sequestrum omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, tam quorumcumque officiorum et munerum etiam maiorum et consistorialiter concessorum, specialique expressione dignorum, quam Monasteriorum et aliorum quorumlibet Beneficiorum saecularium et cuiuscumque Ordinis regularium etiam iurisdictionem sive spiritualem sive temporalem habentium, nec non pensionum super quibusvis fructibus ecclesiasticis, contra eosdem Cardinales etiam sine aliqua citatione vel declaratione deveniri possit ac debeat. Et si Cardinales praedicti per sex menses, qui pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis assignante a die eorum recessus computandi, ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, ultra poenas praedictas, et cumulative cum illis atque eo ipso poenam incurrant privationis omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, tam quorumcumque officiorum, munerum etiam maiorum et consistorialiter concessorum, specialique nota dignorum, quam Mo-

nasteriorum et aliorum quorumlibet Beneficiorum saecularium et cuiuscumque ordinis regularium, quae in titulum, commendam, administrationem, et alio quocumque modo obtineant, nec non pensionum super quibusque fructibus ecclesiasticis eisdem Cardinalibus assignatarum. Quod si lapsis praedictis sex mensibus, per alios sex menses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canonicis monitionibus et peremptoriis terminis assignante, ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu minime redierint, cumulative cum singulis praedictis poenis, etiam poenam privationis omnium praedictorum officiorum, munerum etiam maiorum et consistorialiter concessorum, et Beneficiorum quorumlibet tam saecularium, quam regularium eo ipso itidem, et absque alia declaratione incurrant. Si autem Cardinales praedicti per alios tres menses immediate sequentes, qui pariter pro tribus canonicis admonitionibus peremptoriisque dilationibus assignante, et sic in totum infra quindecim menses, ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, decernitur deveniri posse ad alias poenas etiam quantumlibet maiores, et graviores, atque individua mentione dignas, per Romanos Pontifices declarandas, atque etiam usque ad poenam privationis Cardinalatus inclusive. Iam vero, quum exeunte mense septembri an. 1865, quindecim mensium spatium effluxisset postquam memoratus Cardinalis a civili Ecclesiae Statu illicite recesserat, nullisque monitis atque hortationibus permotus in eadem contumacia perstaret, dignus profecto censendus erat qui, iuxta canonicas sanctiones et praedictam innocentii X. Constitutionem, Cardinalatus honore, et Episcopatu Sabinensi, aliisque, quibus gauderet, Beneficiis privaretur. Verum ut ante grave illud animadversionis genus adhuc ei spatium relinqueremus colligendi se, et saniora consilia suscipiendi, utque securitati consuleremus fidelium Sabinorum et Sublaquensium, quibus datus ad salutem pastor ob prava illa exempla lapis offensionis evaserat, et petra scandali, per memoratas superius Nostras Litteras, nulla ex parte derogando Innocentii X. Constitutioni, praedictum Cardinalem suspen-, sioni dumtaxat subiecimus omnis iurisdictionis in Ecclesiam Sabinensem et Abbatiam Sublaquensem, eisque Antistites praefecimus, qui ad Nostrum et S. Sedis nutum commisas sibi Dioeceses administrarent. Hac porro irrogata suspensionis poena, quae le-

vior multo esset, quam culpae gravitas postularet, sperabamus quidem futurum, ut is ad bonam mentem voluntatemque converteretur. Sed tamen concepta spes in irritum cessit ; quippe eo temeritatis devenit, ut ab Apostolicis Nostris Litteris ad melius informatum Pontificem provocationem palam interiecerit ; atque ad eludendam, si fieri posset, Apostolicae Sedis auctoritatem illud adhibuerit effugii genus, quod ii plerumque adhibuerunt, qui S. Sedis sententiam declinare niterentur; quam quidem appellationem Praedecessores Nostri Romani Pontifices merito reiecerunt ac reprobarunt. Atque in huiusmodi causa absurda prorsus erat ea provocatio, quippe quod memorati Cardinalis admissa sic erant extra dubitationem posita, ita certa atque explorata omnibus, ut nulla possent tergiversatione celari.

» Neque vero hic se continuit, sed litteris ad utrumque Clerum, et Populum Sabinensem et Sublaquensem missis, et vero etiam quaquaversus diffusis, asseruit, ac propugnavit irritas prorsus esse, et nullius vis ac roboris ad quoslibet canonicos effectus Apostolicas Nostras Litteras , quibus interdictum illi est iurisdictionis exercitium; nulla legitima potestate pollere praepositos a Nobis administratores, eosque tamquam furtive, ac per vim suum in ovile immissos existimandos; se unum legitimum pastorem habendum, sibi proinde obedientiam praestandam. Atque eo progressus est, ut per epistolam typis editam audacter a Nobis petierit, ut memoratas Nostras Apostolicas Litteras invocaremus, utpote iniustas ac nullius vis, atque efficaciae; absisteremus aliquando ab ipso iniuste insectando; sibique integrum esse affirmaverit interdictam per Nos iurisdictionem in utraque dioecesi exercere tam in foro interno, quam externo.

» Quid quod suis in scriptis in lucem editis plura congessit ad minuendam deprimendamque Apostolicae Sedis auctoritatem pertinentia, et Nos partim privatis litteris, partim etiam in vulgus emissis omni incessere contumelia minime veritus in persona Humilitatis Nostrae Apostolicae Sedis sanctitatem dignitatemque violaverit? quid quod publicas commendaverit ephemerides, quae pravis infectae doctrinis, et Sanctae Sedi maximopere adversae civilem illius principatum oppugnarent, atque adeo non obscure significaverit assentiri se nonnullis per suos fautores evulgatis libellis, qui propositiones falsas et omnino damnandas complecterentur?

» Gravia haec quidem sunt, et reprobanda, in eo tamen reprobanda maxime, planeque non ferenda, qui Episcopali et Cardinalitia dignitate insignitus, Catholicam tueri ac propagare doctrinam, peculiarem erga Beatissimi Petri Sedem exhibere reverentiam , eiusdemque honorem, iura, privilegia servare ac promovere omni ope debeat, quemadmodum sese interposita iuramenti fide in accipiendis Cardinalitii^ insignibus obstrinxerat. Itaque quum tres et eo amplius anni elapsi fuerint, ex quo memoratus Cardinalis pertinaciae culpa, aliisque excessibus insordescat, nullamque faciat spem ad bonam se frugem recipiendi, quumque scriptis in vulgus editis perversis ac turbulentis fidelium animos perturbet, ac transversos agat; quaque ornatus est dignitate in religionis detrimentum et Romanae Ecclesiae dedecus abutatur; nec hoc tantum malum serpat latius, ac roboretur, Nobis, qui dati sumus speculatores domui Israel, providendum omnino est, aliaque praecavenda pericula, quae Ecclesiae Dei exinde impendere noscamus. Proinde ipso vigilantiae pastoralis officio, quantumvis inviti, uti in illum cogimur severitate poenarum, quas adversus huiusmodi contumaces, Sacri Canones et Pontificiae Constitutiones decernunt; quippe animo etiam reputandus verissima illa S. Siricii Praedecessoris Nostri ad Himerium Episcopum Tarraconensem verba « Necesse est ut ferro » abscindantur vulnera , quae fomentorum non senserint medi» cinam,. » Attamen cum praedicto Cardinali mitius agere adhuc volentes, auditis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, supersedendum a dictarum gravitate poenarum, et suspensionem ab insignibus, et privilegiis Cardinalitiis adversus ipsum decernendam in praesens existimavimus. Quapropter certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque eorumdem Cardinalium consilio, auctoritate Nostra Apostolica memoratum Hieronymum D'Andrea Cardinalem suspendimus, ac suspensum declaramus ab honoribus, insignibus, et iuribus dignitatis Cardinalitiae, et signanter a voce activa et passiva in electione Summi Pontificis, sic ut eiusmodi poenae subiectus evocari non debeat nec possit ad Conclave, neque admitti quam evocationem et admissionem Cardinalibus eorumque Collegio prorsus prohibemus , sublata penitus quacumque ad suffragandum, et votum pro dicta electione dandum habilitatione, eumque ad Conclave

evocandum facultate, quam quovis titulo, et ratione in corpore iuris clausa, aut vigore quarumcumque Constitutionum Pii PP. IV, Gregorii XV, aliorumque Praedecessorum Nostrorum allegari contigerit, quibus omnibus et singulis, quorum tenores hic pro expressis et contentis habemus et plenaria Nostra Auctoritate derogamus, et pro derogato haberi volumus et mandamus. Praeterea memorato Cardinali D'Andrea trium mensium peremptorium terminum adsignamus, a datis hisce Nostris Litteris computandum, infra quem non per procuratorem sed personaliter et cum effectu coram Nobis et hac Apostolica Sede sistere se debeat ad recipienda humiliter mandata Nostra. Quo termino inutiliter elapso, ad .declarationem privationis Cardinalatus, Episcopatus sui Cardinalatus, nempe Sabinensis, nec non Abbatiae Sublaquensis, aliorumque Beneficiorum, quibus ipse fruitur, deveniemus.

» Haec volumus ac mandamus, decernentes has Litteras etiam ex eo quod illi quorum interest, minime consenserint, et ex alia quacumque causa ullo unquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, sive intentionis Nostrae defectu impugnari posse, sed ipsas praesentes Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat seu spectabit inviolabiter observari; sicque et non aliter per quoscumque quavis auctoritate et potestate fungentes sublata eis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, atque irritum futurum et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non quibusvis etiam in Universalibus Conciliis editis Constitutionibus aliisque Ordinationibus etiam favore Cardinalium evulgatis, privilegiis quoque et indultis, quibuscumque personis quavis dignitate etiam Cardinalitia fulgentibus concessis , et pluries etiam confirmatis et innovatis, caeterisque in contrarium facientibus, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus. . . . ad praemissorum effectum plene et expresse derogamus.

»Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Septembris anno MDCCCLXVÍI. Pont. XXII.»

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

APPENDIX IV.

CONSTITUTIO INNOCENTII X. SUPER RECESSU S. R. E. CARDINALIUM A STATU ECCLESIASTICO SINE LICENTIA SUMMI PONTIFICIS.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Die i9 Ianuarii 46¿6.

Ad futuram rei memoriam.

« Cum iuxta Sacrorum Canonum dispositionem Venerabiles Fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in partem sollicitudinis Apostolicae sint vocati, ut 'Romano Pontifici pro tempore existenti personaliter assistant, et in regimine universalis Ecclesiae eorum operam praestent, dicanturque pars corporis, et membra ipsius Pontificis, ac diversis Ecclesiis Almae Urbis pro eorum Cardinalatus titulo, seu Diaconia praeficiantur, et propterea apud eumdem Romanum Pontificem in Romana Curia residere teneantur, merito iam pridem nonnulli Romani Pontifices Praedecessores nostri provide considerantes, quam indecens, et detestabile sit, quod Cardinales locum et mansionem adeo sublimem contra eorum officii debitum, deserant, et quod culpabiles est, non obtenta ipsius Pontificis pro tempore existentis licentia a Statu Ecclesiastico discedant, varias Constitutiones, et Decreta recessum huiusmodi prohibentia sub diversis poenis etiam per Romanos Pontifices pro tempore existentes arbitrandis ediderant.

§. i. » Quia vero desuper satis provisum non esse experientia docemur, et ne tam perniciosum malum in dies crescere contingat, opportuniora remedia adhibere decrevimus. Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetua Constitutione statuimus, decernimus, et declaramus, ut omnes, et singuli eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales nunc, et pro tempore existentes, qui non obtenta a Nobis, et a Romano Pontifice pro tempore existente licentia, extra temporalem Status Ecclesiastici ditionem in posterum se transferrent, statim, et eo ipso absque aliqua iudicis vel alterius praecedente declaratione omnibus, et quibuscumque privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, et indultis, etiam conferendi Beneficia Ecclesiastica, nec non transferendi pensiones, seu fructus Ecclesiasticos, etiam loco pensionum reservatos, ac testandi, et disponendi sibi quomodolibet a Sede Apostolica concessis, privati sint, et existant.

§. 2. » Ac insuper etiam poenam interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso pariter absque aliqua declaratione incurrant. Nec non etiam aliis per Nos, et Successores nostros Romanos Pontifices quovis modo arbitrandis poenis subiaceant, et ad sequestrum omnium et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, et emolumentorum universorum, tam quorumcumque officiorum, et munerum, etiam maiorum, etiam consistorialiter concessorum, specialique nota, et expressione dignorum, quae quomodolibet, etiam ex titulo vere oneroso, quam Monasteriorum, et aliorum quorumcumque beneficio-

rum saecularium, et quorumvis Ordinum etiam S. Antonii Viennen., et Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regularium , etiam Iurisdictionem sive spiritualem, sive temporalem habentium, quae in titulum, commendam, administrationem, et alias quovis modo obtinent, et pro tempore obtinebunt, nec non pensionum super quibusvis fructibus Ecclesiasticis, ex quavis causa, etiam alimentorum, et sustentationis, ac alias quomodolibet eis assignatarum, et fructuum Ecclesiasticorum, etiam loco pensionum ipsis reservatorum deveniri, etiam sine aliqua citatione, intimatione vel declaratione possit, et debeat. Et si praedicti Cardinales per sex menses, quos pro tribus canonicis monitionibus , peremptoriisque dilationibus et terminis assignamus a die eorum recessus huiusmodi computandos ad Romanam Curiam personaliter , et cum effectu non redierint, ultra poenas, et alia supradicta, ac cumulative cum illis etiam eo ipso, ut praemittatur, incurrant poenas privationis omnium, et singulorum fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum, et emolumentorum universorum, tam quorumcumque officiorum, et munerum etiam maiorum, etiam consistorialiter concessorum, specialique nota, et expressione dignorum, quae quomodolibet etiam ex titulo vere oneroso, quam Monasteriorum, et aliorum quorumcumque beneficiorum saecularium, et quorumvis Ordinum, etiam S. Antonii Viennen., et Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani regularium, quae in titulum, commendam, administrationem, et alias quovis modo obtinent, et pro tempore obtinebunt, nec non pensionum super quibusvis fructibus Ecclesiasticis, ex quavis causa, etiam alimentorum, et sustentationis, ac alias quomodolibet eis assignatorum, et fructuum Ecclesiasticorum, etiam loco pensionum ipsis reservatorum nostro , et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio libere, et absque eo, quod ius aliquod Titularibus acquiratur, distribuet, et disponen. Quod si lapsis praedictis sex mensibus, per alios sex menses immediate sequentes, quos pariter pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, et terminis assignamus, et assignatos esse volumus, adhuc abfuerint, et in termino horum ultimo dictorum sex mensium ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, cumulative cum omnibus, et singulis supradictis poenis , etiam poenam privationis ipsorum praedictorum omnium, et singulorum officiorum, et munerum, etiam maiorum , etiam consistorialiter, et alias quomodolibet etiam titulo oneroso, ut praefertur, concessorum, Monasteriorumque, et beneficiorum saecularium, quantumvis ut supra qualificatorum, et fructuum, et pensionum, etiam loco pensionum reservatorum, nostro pariter et pro tempore existentis Rom. Pont. arbitrio libere, et absque eo, quod ius aliquod, ut praemittitur, Titularibus acquiratur , distribuen. et disponen. Eo ipso itidem, et absque alia declaratione incurrant.

§. 3. » Cardinales autem illi, qui ante emanatam praesentem Constitutionem non obtenta a Nobis praedicta licentia extra temporalem Status Ecclesiastici ditionem iam se transtulerunt (salvis et firmis remanentibus omnibus per Nos, seu alios de mandato nostro desuper quomodolibet hactenus gestis, et factis, ac in futurum gerendis, et faciendis) si infra sex menses a die publica-

tionis praesentis Constitutionis hic in Urbe, ut infra, faciendae decurrendos, quos similiter pro tribus Canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, et terminis assignamus, personaliter, et cum effectu ad Romanam Curiam non re dierint, eo ipso itidem, et absque alia declaratione incidant in poenas interdicti ingressus Ecclesiae, et privationis facultatis testandi, et disponendi, omniumque privilegiorum, et indultorum praedictorum, ac fructuum, officiorum, et munerum etiam maiorum, etiam consistoriaiiter, ac etiam titulo oneroso concessorum, atque pensionum, Monasteriorum, et aliorum quorumcumque supra expressorum. Et si lapsis praedictis sex mensibus, iidem Cardinales, qui ut praefertur, iam extra dictum Statum Ecclesiasticum sine nostra licentia se transtulerunt, infra alios sex menses immediate sequentes, quos etiam pro tribus Canonicis monitionibus , et terminis, ut supra, assignamus, ad Romanam Curiam personaliter, et cum effectu non redierint, insuper poenam privationis praedictorum officiorum, et mulierum etiam maiorum , etiam consistoriaiiter , ac etiam titulo oneroso concessorum, atque Monasteriorum, beneficiorum, et aliorum quorumcumque supra expressorum parifor miter incurrant.

§. 4. » Si autem tam Cardinales, qui iam sine nostra licentia , ut praemittitur, extra Statum Ecclesiasticum se transtulerunt, quam illi, quos in futurum, ut supra, extra eumdem Statum absque nostra, et pro tempore existentis Rom. Pontificis licentia se transferre contigerit, per alios tres menses immediate sequentes , quos pariter pro tribus canonicis monitionibus, peremptoriisque dilationibus, et terminis assignamus, et sic in totum infra quindecim menses personaliter, et cum effectu ad Romanam Curiam non redierint, decernimus, deveniri posse ad alias poenas etiam quamtumlibet maiores, et graviores, ac individua mentione, specialique nota dignas per Nos, et Successores Nostros Romanos Pontifices declarandas, ac etiam usque ad poenam privationis dignitatis cardinalatus inclusive. Ac demurn^ ut de coetero tam ad praesens , quam perpetuis futuris temporibus, cum aliquem ex eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, nunc, et pro tempore existentibus, absque dicta nostra, et pro tempore existentis Romani Pontificis licentia, ut supra, extra Statum praedictum se transferre contigerit, idem Cardinalis in officiis, muneribus , Legationibus , Praefecturis , Guberniis , Protectio nibus Ordinum, seu Congregationum Regularium , Archiconfraternitatum , seu Confraternitatum, Collegiorum, Monasteriorum, Hospitalium, et aliorum piorum Locorum quorumcumque, nec non administratione Tituli, vel Diaconiae, ac etiam episcopatus sui cardinalatus, ac quantacumque aliarum Ecclesiarum etiam Cathedralium, Metropolitanarum, et Patriarchalium, quarum respectu aliquam Iurisdictionem exercet , ac quorumcumque Monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum, ut praemittitur, et alias quomodolibet qualificatorum, illorumque Iurisdictionis tam spiritualis, quam temporalis, et generaliter, in omnibus, et quibuscumque muneribus, etiam speciali nota, et individua expressione dignis, sibi a praedicta Sede Apostolica iniunctis, et commissis Cardinalem, vel Praelatum, aut alium quemcumque substituere, et subrogare, non obstante

bus quibusvis facultatibus, licentiis, et indultis desuper etiam motu simili , ac etiam consistoriaiiter, et alias quomodolibet hactenus concessis, et deinceps concedendis, nullo modo possit, et valeat, perpetuo similiter statuimus, decernimus, et declaramus, facultatesque, ac licentias , et indulta praedicta, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, ad hunc effectum a die, quo extra dictum Statum recesserint nou obtenta prius dicta licentia, cassamus, irritamus, viribusque, et effectu evacuamus, ac pro non concessis, perinde ac si de illis nunquam cogitatum fuisset, haberi volumus.

§. 5. » Ab omnium autem, et singularum poenarum, tam supra expressarum, quam etiam per Nos, et Successores nostros Romanos Pontifices quomodolibet declaran darum incursu nolumus posse aliquem se excusare praetextu, vel ratione cuiuscumque servitii, seu negotii quorumcumque Principum, etiam Imperatoris, et Regum, aut Rerum publicarum, Regnorum, Provinciarum, nec ratione cuiuslibet iussionis, vel mandati eorum, vel earum quandocumque, vel quomodocumque facti, vel faciendi, aut distantiae locorum, vel ratione cuiuscumque alterius causae, vel occasionis, etiam publicae, aut alias favorabilis, etiam in corpore iuris, seu Constitutionum Apostolicarum clausae, nisi huiusmodi causa, seu causae in corpore iuris clausae coram Nobis, et Romanis Pontificibus pro tempore existentibus allegata, seu allegatae, probataque , seu probatae , ac expresse admissa, seu admissae fuerint. Ac ulterius nolumus posse aliquem per quemcumque, etiam per Collegium Cardinalium huiusmodi, etiam Sede Apostolica vacante absolvi, seu etiam per viam gratiae, seu iustitiae restitui, sed omnimodam cognitionem, absolutionem, relaxationem, restitutionem, reintegrationem, rehabilitationem , et quamcumque aliam dispensationem , seu dispositionem super praemissis, et eorum quolibet Nobis, et pro tempore existenti R. Pontifici privative quoad omnes reservamus. Caeterum per easdem praesentes non intendimus in aliquo derogare Constitutioni a fel. rec. Urbano Papa Octavo etiam Praedecessore Nostro super residentia Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, etiam Cardinalium editae.

§. 6. » Decernentes praesentes Literas, omniaque, et singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque nullitatis, vel invaliditatis vitio, intentionisque nostrae , ac quocumque alio defectu quantumlibet substantiali etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, et praesertim eiusdem S. R. K. Card. praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemuitatesque, et quaevis alia servanda , et adimplenda nullatenus servata , et adimpleta, causaeque propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae , verificatae , seu alias sufficienter, aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione, et capite etiam in corpore iuris clausis, et ex alia quacumque quantumvis rationabili, iusta, et privilegiata causa etc. *prosequuntur amplissimae clausulae derogatoriae.*

EX ACTIS COKSISTOBIALIBÜS.

ACTA

CONSISTORII SECRETI

HABITI DIE XII. IULII MDCCCLXVII.

IN QUO SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER

PIUS PAPA IX.

ARMENII CILICIAE PATRIARCHAE

ANTONII PETRI HASSUN

PRAESENTIS IN CURIA.

ELECTIONEM CONFIRMAVIT, EIDEMQUE SACRUM PALLIUM CONCESSIT.

Argumentum«

a *Postquam novissimus Ciliciae Armenius Patriarcha Gregorius Petrus VIII. vita functus est, legitimoque ac certo vacantis Patriarchatus regimini fuit provisum per Vicarium Apostolicum Patriarchalem a SSmo Domino Nostro PIO divina providentia PP. IX. constitutum, Episcopi Patriachatus Ciliciae die decimaquarta mensis Septembris anni* 1806 *in Armeniam ecclesiam S. Mariae in coelum Assumptae Montis Libani synodaliler convenerunt, una cum R.* P. *D. Iosepho Valerga Patriarcha Hierosolymitano atque Apostolico Syriae Pro-Delegato ; quem extraordinaria quoque auctoritate munitum Sanctitas Sua huic Episcoporum conventui adesse iusserat. Tum iidem sacrorum Antistites sperantes, Constantinopolilqnam Armenorum provinciam ex benignitate S. Sedis uniendam fore cum Patriarchatu Ciliciae, eaque ratione tum iurisdictionis tum disciplinae unitatem atque ordinem restituendum, esse, postularunt in Patriarcham R. P. D.* Antonium Hassun *Archiepiscopum Primatem Armenorum Constanlinopoleos, quem recepto apud eos more* Petrum IX. *nuncupaverunt. Deinde datis litteris ad*

SSmum Dominum Nostrum peractam uti supra electionem significaverunt, autographum quoque syngrapham transmitientes ***(i),»***

BEATISSIME PATER

« Ad pedes Sanctitatis Vestrae subscripti Episcopi Patriarchatus Armenii Ciliciae provoluti humillime significamus, Nos Apostolica Sanctitatis Vestrae benedictione munitos in Libanum convenisse ad canonicam electionem successoris defuncti nostri Patriarchae Gregorii Petri VIII. rite peragendam. Et postquam sedulo perpendimus tum spirituales tum temporales utilitates Armeniae Catholicae Ecclesiae atque universae nostrae nationi ex unione duarum iurisdictionum, Patriarchalis scilicet et Primatialis, obventuras, praeviis obsecrationibus, ac divini Sacrificii celebratione, quod nos nosterque clerus litavimus ut divinae gratiae lumen obtineremus, sponte et eoncordibus animis R. P. D. *Antonium Hassun* Archiepiscopum Primatem Constantinopolitanum, imposito illi nomine *Petri IX,* elegimus et proclamavimus Ciliciae Patriarcham et successorem iurium et privilegiorum praelaudati nostri defuncti patriarchae-

» Canonicum electionis actum hisce adnexum litteris humillime exhibemus; ac R. P. D. Iosepho Valerga Patriarchae Hierosolimitano ac Syriae Apostolico Delegato curam relinquimus accuratissime narrandi qua ratione memorata electio peracta fuerit.

» Gaudente» in Domino rem Catholicae Armenorum Ecclesiae tantopere utilem a nobis confici potuisse, Sanctitatem Vestram adprecamur, ut opus ipsum Apostolica benedictione et confirmatione perficere dignetur. Equidem providissimus Deus , qui tot gloriosa facinora aeternaque digna memoria, Vobis Pontificiam cathedram moderantibus, est operatus, profecto Beatitudini Vestrae ordinationem Catholicae Armeniorum nationis reservavit, quae paternae Vestrae sollicitudinis beneficia aeternum extollet, postquam a Vestra sapientia decus atque ordinem unitatis tam quoad iurisdictionem, quam circa disciplinam fuerit assequuta.

» Haec sunt nostra flagrantia vota, hic scopus nostrae deliberationis. Interea nostrum desiderium exprimimus, ut novus ele-

(I) Haec prorsus omnia, quae ex authenticis actis «scribimus versa fue* ruat Romae in Armenam linguam, et typis edita.

cius Patriarcha quamprimum ad Libanum accedat, nationalis ritus caeremoniis ad patriarchale solium evehendus, idque ob eiusdem Sedis honorem, nostramque qui eum elegimus eonsolationem.

w Iterumque ad osculum sacri pedis advoluti Apostolicam Benedictionem humillime imploramus.

E monte Libano die 15 Septembris 1866.

Humillimi Famuli et Obsequentissimi Filii

f Melchior Nasarian Archiepiscopus Mardensium , Vicarius Apostolicus Patriarchalis,

f Gregorius Balithian Archiepiscopus Aleppen.

f Ignatius Kalibgian Archiep. Amasiae,

f Petrus Apelian Archiep. Marasc.

f Iacobus Bahtiarian Archiep. Diarbekirien.

f Ioannes Hagian Archiep. Caesareae,

f Leo Korkoruni Archiep. Melitenus.

f Basilius Gasparian Archiep. Cypri.»

FORMULA ELECTIONIS.

«Nos subscripti in unum congregati in ecclesia principe huiusce Patriarchatus apud Bzommar, anno salutis nostrae 1866 die 14 Septembris, ad liberam electionem novi Patriarchae peragendam , matura deliberatione, ac libera voluntate canonice elegimus in Patriarcham Ciliciae Illmum ac Rmum Dominum *Antonium Hassun* Primatem Constantinopolitanus!, nuncupantes eum *Petrum Nonum* uti successorem fel. me. Gregorii Petri VIII.

-J- Melchior Nasarian Archiepiscopus Mardensium , Vicarius Apostolicus Patriarchalis.

-}- Gregorius Balithian Archiepiscopus Aleppen.

-J- Ignatius Kalibgian Archiep. Amasiae.

•*f* Petrus Apelian Archiep. Marasc.

•*f* Iacobus Bahtiarian Archiep. Diarbekirien.

•j- Ioannes Hagian Archiep. Caesareae.

f Leo Korkoruni Archiep. Melitenus.

-j- Basilius Gasparian Archiep. Cypri.»

« Aliae etiam epistolae eadem super re datae fuerunt ad S. Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis ab iisdem Electoribus, a R. P. D. Iosepho Valerga Patriarcha

*

Hierosolimitano, Syriae Pro-Delegato Apostolico, atque ab Electo JR. P. D. Antonio Hassan.

» Quibus acceptis tota actorum series ad accuratissimum examen a memorata Sacra Congregatione revocata fuit in generalibus Eminentissimorum Patrum comitiis habitis diebus 27 Maii et i Junii huius vertentis anni 1867. Quorum sententia cum SSmo Domino Nostro per memoratae S. Congregationis Secretarium relata fuisset, idem Summus Pontifex huiusmodi decretum ab ipsa S. Congregatione edi iussit.»

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE PRO NEGOTIIS RITUS ORIENTALIS.

« Viduata pastore suo Armenia Patriarchali Ecclesia Ciliciae per obitum bo. me. Gregorii Petri VIII, graves exarsere controversiae super vacantis patriarchatus regimine. Quibus e medio tollendis SSmus Dominus Noster PIUS divina providentia PP. IX. per R. P. D. Syriae Pro-Delegatum eidem vacanti patriarchatu praefecit Vicarium Apostolicum R. P. D. Melchiorem Nasarian Episcopum Mardensem. Quo facto , annuente eadem Sanctitate Sua, ad electionem novi Patriarchae ventum est Itaque in Armenia Aede S. Mariae in coelum assumptae montis Libani, praeside memorato Syriae Pro-Delegato Apostolico R. P. D. Iosepho Valerga Patriarcha Hierosolymitano, synod;iliter congregati Episcopi Ciliciae ad patriarchalem dignitatem postularunt R P. D. Antonium Hassun Archiepiscopum Primatem Armenum Constantinopoleos, quem Petrum IX. appellavere, multam spem habentes fore ut hac ratione expeditior sterneretur via ad impetrandam ab Apostolica Sede coniunctionem Ecclesiasticae Constantinopolitanae provinciae cum patriarchatu Ciliciae; et hoc consilium, ac desiderium datis ad SSmum Dominum Nostrum synodalibus litteris humillime expresserunt.

» Re delata ad hanc S. C. de Propaganda Fide Orientalium Negotiis praepositam, omnibusque sedulo et mature perpensis, SSmo Domino Nostro visum est, gravissimum istud negotium prout infra, suprema Sua auctoritate moderari.

«Imprimis Sanctitas Sua Primatialem atque Archiepiscopalem titulum extinxit, quo sa. me. Pius PP. VIII. Armeniam Costantinopoli tanam Ecclesiam decoraverat Apostolicis Litteris, quarum initium *Quod iamdiu* datis die 6 Iulii 1830. Deinde Constantinopolitanam Ecclesiasticam provinciam Armenio Ciliciae patriarchatui perpetuo univit; ac voluit ut novus Patriarcha eiusque successores titulo fruantur Patriarchae Ciliciae Armeniorum ; ut iidem in Urbe Constantinopolitana resideant, eamdemque Constantinopolitanam Ecclesiam Ordinaria iurisdictione gubernent. Patriarchatum vero praedictum iisdem limitibus coerceri voluit, quibus Ciliciae Patriarchatus et Primatialis Constantinopolitanus actualiter continentur.

» Admisit praeterea et confirmavit electionem seu postulationem R. P. D. Antonii Hassun hactenus Archiepiscopi Primatis Constantinopolitani in Patriarcham Ciliciae, sanatis, quatenus opus sit, quibuscumque defectibus etiam substantialibus, qui in electionem fortasse irrepserint, eumdemque sacro Pallio decorandum decrevit.

« Quo vero haec ferme nova patriarchatus Armenii constitutio in bonum cedat animarum, utque damna gravissima, quae ex incerta vel minus apte constituta Ecclesiastica disciplina solent derivari propulsentur, SSmus Dominus Noster hanc sibi oblatam occasionem nactus est, ut praecipua quaedam Ecclesiasticae disciplinae capita in memorato patriarchatu Armeniorum opportune moderaretur. Re itaque in S. C. pro Negotiis Ritus Orientalis mature ac sedulo perpensa, eadem Sanctitas Sua suprema qua pollet in universam Ecclesiam potestate usus, ea quae sequuntur sancivit, atque in memorato patriarchatu inviolabiliter servari mandavit.

» In electione Patriarchae solis Episcopis suffragii ferendi ius esto, exclusis omnino clericis et sacerdotibus, qui Episcopali charactere minime fulgeant. Nemo vero laicorum in eadem electione semet inserere, ullamque partem habere poterit, quovis quaesito colore vel praetextu.

» Electi Armenorum Patriarchae inthronizari non poterunt, neque ullum ius aut iurisdictionem in patriarchatum habere, nisi prius eorumdem electio seu postulatio ab Apostolica Sede

fuerit **admissa** et de more confirmata, sublata qualibet contraria consuetudine.

» Possessiones pertinentes ad Ecclesiam vel mensam suam, sive ad alias quascumque Ecclesias vel loca pia Patriarchatus, non poterunt Patriarchae vendere, aut donare, vel impignorare, aut de novo infeudare, vel aliquo modo alienare, neque permittere ut a quovis alienentur, inconsulto Romano Pontifice: et si secus fecerint poenas in edita super hoc Constitutione a fel. rec. Paulo **II.** cornminatas eo ipso incurrant, quemadmodum habetur in formula iuramenti ab ipsis Patriarchis in promotione sua edendi.

» Apostolorum limina singulis quinquenniis iidem Patriarchae personaliter et per se visitabunt, Romanoque Pontifici pro tempore existenti rationem reddent de pastorali suo officio, ac de rebus omnibus ad patriarchatus sui statum pertinentibus, prouti continetur in praedicta formula iuramenti.

» Quoad veto electionem Episcoporum hanc methodum SSmus servari iussit, ut quoties aliquam dioecesim patriarchatus armenii vacare contingat, Patriarcha quamprimum synodum indicat universorum Episcoporum eiusdem patriarchatus: quo facto ab eodem Patriarcha et Episcopis synodaliter congregatis tres idonei Ecclesiastici viri proponantur, quo ex illis digniorem et magis idoneum Summus Pontifex eligere, et vacanti episcopali Sedi providere possit. Non dubitat autem Sanctitas Sua, quin iidem Episcopi dignos, ac vere idoneos viros Sanctae Sedi proponere studeant, ne umquam cogatur Summus Pontifex, pro Apostolici Sui ministerii officio, alium licet ab eis non propositum Episcopali dignitate augere, et vacanti Ecclesiae praeficere. Quod si propter instantem necessitatem aut itineris longitudinem universi Episcopi ad synodum uti supra a Patriarcha indictam accedere non poterunt, tres saltem Episcopi propriam dioecesim cum iurisdictione habentes una cum memorato Patriarcha in eamdem synodum omnino conveniant, absentibus ternariam suam propositionem scripto significantibus. Acta vero eiusdem synodi ad S. Congregationem de Propaganda Fide Orientalium negotiis praepositam per R. P. D. Delegatum Apostolicum transmittantur, ut supremo Summi Pontificis iudicio subiiciantur.

»Dum autem haec pro Armeniorum antistitum electione SSmus decrevit, haud oblitus reliquorum Patriarchatuum ritus Orientalis, etiam pro ipsis omnibus hoc gravissimum de Episcoporum electione negotium se quamprimum fore moderaturum declaravit; prouti RR. PP. DD. Maronitarum et Melchitarum Patriarchis aliisque Orientalibus Episcopis Romae in praesentia commorantibus palam edixit.

» Haec SSmus Dominus Noster decrevit atque mandavit, contrariis quibuscumque etiam specifica mentione dignis minime obstantibus, quibus omnibus ad effectum praesentium expresse derogavit.

» Datum Romae ex aedibus S. C. de Propaganda Fide die 10 Iulii 1867.»

A. Card. BARNABÒ Praef.

L. S. *Ioannes Simeoni Secretarius*

*» Hisce praemissis die duodecima Iulii, indicto de more secreto consistorio, Sanctissimus Dominus Noster ita Eminentissimos Patres alloquutus est.**

VENERABILES FRATRES

» Cum ex hac vita migraverit die nona Ianuarii superioris anni bonae memoriae Gregorius Petrus Patriarcha Ciliciae Armeniorum, graves de vacantis illius Patriarchalis Ecclesiae regimine exortae sunt controversiae. Nos spirituali eiusdem Patriarchatus bono consulere vehementer cupientes, ad huiusmodi componendas controversias elegimus Vicarium Apostolicum eiusdem Patriarchatus Vener. Fratrem Melchiorem Nasarian Mardensem Armeniorum Antistitem. Ac postea illius nationis Episcopi Nostro permissu in synodum convenerunt ad novum Patriarcham eligendum: et huic conventui Apostolica Nostra Auctoritate munitus adfuit Vener. Frater Iosephus Valerga Patriarcha Hierosolymitanus, ac Noster Pro-Delegatus Apostolicus in Syria. Quo in conventu die decima quarta Septembris superioris anni in Armeniis aedibus Deiparae Virgini in coelum evectae sacris Montis Libani habito, iidem Episcopi cunctis suffragiis Venerabilem Fratrem Antonium Hassun Archiepiscopum Primatem Armeniorum Constantinopolitanum tam insigni dignitate ornandum de-

clara verunt. Obsequentissimis autem suis litteris iidem Episcopi humiliter enixeque a Nobis postularunt, ut huiusmodi electionem confirmare vellemus; ac simul exposuerunt, hanc electionem ab ipsis factam fuisse in ea profecto spe, ut Patriarchalis ac Primatialis Armeniorum Sedes canonice coniungerentur. Equidem hanc earumdem Sedium unionem catholici Constantinopolis Armenii saepe expetiverunt, eamque a felicis recordationis Gregorio Decimosexto Praedecessore Nostro, et a Nobis efflagitarunt. Sed graves iustaeque causae obstiterunt, quominus haec Armeniorum vota possent expleri. At vero anno millesimo octingentesimo quinquagesimo nono permisimus, ut quando Patriarchalis Ciliciae Sedes suo fuisset destituta Pastore, novi Patriarchae intermitteretur electio, quo eiusdem nationis Sacrorum Antistites ante eiusmodi electionem de earumdem Sedium coniunctione libere suam sententiam emittere possent. Iam vero rebus omnibus a Nostra Congregatione christianae fidei propagandae pro Orientalium Ecclesiarum negotiis accurato examine perpensis, de eiusdem Congregationis consilio, tum electionem seu postulationem Venerai). Fratris Antonii Hassun in Ciliciae Patriarcham confirmandam, tum Patriarchalis et Primatialis Armeniorum Sedis coniunctionem ab ipsis Ciliciae Episcopis, et ab Armenis Constantinopolis catholicis tam vehementer exoptatam peragendam existimavimus. Hac autem de re Apostolicas Nostras sub Plumbo Litteras expediri mandavimus, in quibus copiosius omnia exponentur. Atque id eo libentius agimus, quod Venerabilis Frater Antonius Hassun iamdiu eximia suae religionis, pietatis, ac sanae salutarisque doctrinae, ac erga Nos et hanc Petri Cathedram fidei et observantiae, atque episcopalis in re catholica, et Ecclesiae libertate tuenda fortitudinis specimina praebuerit, et iccirco Patriarchali honore dignus, et ad ecclesiasticam praesertim disciplinam instaurandam idoneus. Accedit etiam, ut omnes Armenii Ciliciae Episcopi cum summa sui nominis laude etiam voce Nobis clare aperteque declaraverint, sibi summopere cordi esse, et huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerere, ac Nostrae et eiusdem Sanctae Sedis voluntati obsequi, et ea omnia agere, quae a Nobis et ab eadem Sede ipsis fuerint commissa ac demandata.

» Itaque in eam profecto spem erigimur fore, ut, Deo bene iuvante, in Ciliciae Patriarchatu, opera ac studio eiusdem Ve-

nerabilis Fratris Antonii eiusque Coepiscoporum, catholica religio nova in dies incrementa suscipiat, et ecclesiastica quotidie magis efflorescat disciplina. Equidem nemo vestrum ignorat, Venerabiles Fratres, gravissima et nunquam satis lugenda damna, quae in Orientales ecclesias ex funestissimo schismate redundarunt, quod ipsas Ecclesias ab unitate catholica iamdiu misere seiunxit et separavit. Quibus damnis haec Apostolica Sedes nunquam destitit opportuna adhibere remedia. Etsi vero aliquae ex illis Ecclesiis ad catholicam unitatem quoad dogmaticam doctrinam, divina adspirante gratia, redierint; tamen rerum ac temporum vicissitudine nondum in omnibus illis Ecclesiis potuit omnino restitui ecclesiastica disciplina, ex cuius corruptela et despectu errores et haereses solent oriri. Nostri certe Praedecessores Orientalium Ecclesiarum ritus fidei morumque, sanctitati et ecclesiasticae honestati minime adversos integros inviolateque servari voluerunt; ac Nos ipsi id confirmavimus Nostris Encyclicis Litteris (1) die sexta Ianuarii anno millesimo octingentesimo quadragesimo octavo ad Orientales datis. At necesse omnino est, ut ab omnibus Sacrorum Antistitibus, et Sacerdotibus liturgica propriae Ecclesiae disciplina sedulo observetur, et nunquam illa singulorum Antistitum arbitrio relinquatur, sed determinata sit ab huius Apostolicae Sedis auctoritate. Nemini certe unquam licuit, aut licet, ipsam liturgiam ullo modo vel leviter immutare, innovare, imminuere, quemadmodum praesertim statuerunt, ac docuerunt suis Apostolicis Litteris Benedictus decimus quartus (2) et Gregorius decimus sextus (3), quas Litteras et regulas in illis praescriptas suprema quoque Nostra Apostolica auctoritate confirmamus, et ab omnibus Orientalibus Ecclesiis religiosissime observari mandamus.

» Cum autem minime ignoremus, in ecclesiastico Orientalium Ecclesiarum regimine quaedam esse, quae ob anteacti temporis calamitatem incerta adhuc manent, vel minus apte sunt constituta, veluti in memorata Nostra Encyclica Epistola ad Orientales data monuimus, tum Nos de illarum Ecclesiarum bono vehementer solliciti omni certe studio aderimus, ut ad sacrorum canonum nor-

(1) **In suprema** *die* **6** *Ianuarii* **1848.**

(2) *Const.* **Demandata** *die 24 Decembris an.* **1743.**

(3) **Inter gravissimas** *die* **3** *Februarii an.* **1832.**

mam, servatis Sanctorum Patrum institutis, rite omnia componantur, et ordinentur. Et quoniam inter praecipua ecclesiasticae disciplinae capita in primis est Episcoporum electio, ex qua Ecclesiae bonum ac decus, et spiritualis fidelium populorum salus atque utilitas maxime pendet, iccirco in hoc gravissimum sane negotium curas omnes, cogitationesque Nostras intentissimo studio convertendas esse censuimus. Etenim cum ab ipso Christo Domino in Beatissimi Petri Apostolorum Principis persona fuerit Nobis commissa suprema cura et potestas universam pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, tum nihil certe Nobis potius esse potest ac debet, quam ut singularem diligentiam ac vigilantiam continenter adhibeamus, ut digni eligantur Episcopi. Atque iccirco ipsis Venerabilibus Fratribus Armenis Sacrorum Antistitibus iam manifestavimus, quae Nostra sit voluntas circa Episcoporum electionem. Volumus enim, ut ab eisdem Patriarcha et Episcopis tres Nobis proponantur idonei ecclesiastici viri, quo ex illis Nos digniorem eligere, et vacantibus episcopalibus Sedibus providere valeamus. Haec autem dum pro Armenis decernenda duximus, haud obliti sumus reliquorum Patriarchatuum Orientalis Ritus, pro quibus etiam hoc gravissimum de Episcoporum electione negotium quamprimum moderandum curabimus. Quod quidem a Nobis initum consilium Patriarchis Maronitarum, et Graeco-Melchitanim, aliisque Orientalibus Episcopis Romae in praesentiarum degentibus nuperrime manifestum fecimus. Siquidem ad excelsam episcopalem dignitatem ii tantum eligi debent, qui dotibus ab Apostolo Paulo per suas ad Timotheum, ac Titum epistolas singillatim commemoratis, et omnino praescriptis sint ornati, quique ad Sacrorum Canonum normam vitae integritate, morum gravitate, salutaris doctrinae laude, et catholicae religionis, animarumque salutis zelo spectati, non sua, sed quae Christi sunt unice quaerant, ac in suis Dioecesibus assidue residentes, illas propria ordinaria iurisdictione regant, gubernent, et clerum, populumque fidelem sibi concreditum qua voce, qua opere, qua exemplo, ac divini praesertim verbi praeconio, Sacramentorum administratione, ab venenatis pascuis arceant, ad salutaria propellant, ac per semitas mandatorum Dei indesinenter conducant. Ut autem omnia in Ciliciae Patriarchatu prospere dirigantur, iussimus, eiusdem Patriarchatus Episcopos

penes eorum Patriarcham synodum quamprimum habere, et synodi acta ac decreta ad eamdem Congregationem Fidei propagandae Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositam mittere, vetita interim eorumdem executione, donec ab eadem Congregatione fuerint accurato examine perpensa, ac supremo Nostro iudicio et auctoritate approbata. Neque omittemus per eamdem Congregationem novo Patriarchae, et Episcopis Armeniis Ciliciae opportuna dare monita, ac instructiones ad maiorem illorum fidelium utilitatem quotidie magis procurandam. Ea profecto spe nitimur fore, ut Patriarcha idem, eiusque Coepiscopi in omnibus gravissimi ministerii partibus strenue implendis nihil unquam intentatum relinquant, ut in omni patientia, doctrina et charitate miseros errantes ex perniciosissimo schismate ad sanctae matris catholicae Ecclesiae sinum reducant.

»Nunc vero, cum de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium eiusdem Congregationis Fidei propagandae negotiis Ecclesiarum Orientalium praepositae consilio statuerimus, Venerabilem Fratrem Antonium Hassun Patriarcham Ciliciae Armenorum eligere, sanato, si opus fuerit, quocumque defectu etiam substantiali, luculentius paternae Nostrae charitatis testimonium illi exhibere optantes, eum sacro Pallio de corpore Beati Petri sumpto decorare, ut postulat, atque hoc pastoralis officii plenitudinis insigne ei Nos ipsi imponere constituimus. Non dubitamus, quin haec singularis Nostrae benevolentiae significatio gratissima sit ipsi Patriarchae, et inclytae catholicae Armeniorum Nationi, quam haec Apostolica Sedes omni aifectu semper est prosequuta et prosequitur.

» Quid vobis videtur?

»Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra commemoratae Sedis Constantinopolitanae a felicis recordationis Pio Octavo Decessore Nostro erectae Primatialem et Archiepiscopalem titulum extinguimus, et ecclesiasticam eiusdem Sedis provinciam cum Patriarchatu Ciliciae Armenorum perpetuo coniungimus : confirmamus, et approbamus electionem, seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Armeniis Ciliciae factam de persona Venerabilis Fratris Antonii Hassun, quem Ciliciae Patriarcham Armenorum constitui-

mus, praeficientes eum in Patriarcham et Pastorem eiusdem Patriarchalis Ecclesiae, prout in Decreto et Schedula Consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

»In Nomine Paj$(tris et FiÇglii et Spiritus £pSancti. Amen.»

« Post haec in aulam consistorialem admissus fuit Electus Patriarcha cum omnibus ritus sui Episcopis. Admissi quoque fuere RR. PP.DD. Paulus Mashad, et Gregorius Jussef, ille Maronitarum, hic Melchitarum Patriarchae; caeterique omnes Antistites Ecclesiarum ritus Orientalis multique eliam ex Latinis qui in praesentia Romae commorantur, quos inter R. P. D. Paulus Brunoni Archiepiscopus Taronen. Vicarius Apostolicus Patriarchalis Constantinopolis. Ipse vero Electus medius incedens inter duos Episcopos Armenios, Melchiorem Nasarian Mardensem, et Iosephum Arakial Ancyranum, pone sequente ipsius Diacono Paschali Rubian solemniores sacri sui Ordinis ac ritus vestes induto, genuflexus deinde coram Sanctitate Sua, eiusque pedes deosculatus sacrum pallium per se ipse postulavit hisce usus verbis.»

BEATISSIME PATER

« Ego Antonius Petrus electus Ecclesiae Patriarchalis Ciliciae Armenorum , instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assignari Pallium de corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, pro Ecclesia Patriarchali Ciliciae Armenorum a Sanctitate Yestra mihi commissa.»

« Tum fidelitatem suam erga SSmum Dominum Nostrum Eiusque legitimos successores de more iuravit iuxta sequentem formam a sacris canonibus, et a Sanctitate Sua praefinitam.»

FORMULA IURAMENTI

«Ego *Antonius Petrus IX. Hassun* electus Patriarcha Ciliciae ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae, et Vobis Sanctissimo Domino meo, Domino Pio PP. IX. Vestrisque successoribus canonice intrantibus.

» Non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdatis aut membrum, vel capiamini mala captione, aut in Vos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore.

» Consilium vero quod mihi credituri estis per Vos, aut per Delegatos Apostolicos, vel per nuncios, aut per litteras ad Vestrum damnum, me sciente, nemini pandam.

» Papa tum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor Vobis ero ad retinendum et defendendum, salvo meo ordine, contra omnem hominem.

«Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvabo.

»Iura, honores, privilegia, et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Sanctitatis Vestrae, et successorum Vestrorum conservare, defendere, augere ac promovere curabo.

» Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra Vos, aut Vestros successores, vel eamdem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel praeiudicialia personarum, iuris, honoris, status, et potestatis eorum machinentur: Et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, impediam hoc pro posse;, et quantocitius potero significabo Sanctitati Vestrae , vel alteri, per quem ad Eius notitiam pervenire poterit.

» Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, reservationes, dispositiones, provisiones, et mandata Apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari.

» Haereticorum, Schismaticorum, et rebellium Sanctitati Vestrae, Vestrisque Successoribus errores, conatus ac machinationes pro posse impugnabo: illorumque conversioni sedulam operam impendam.

«Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione.

«Apostolorum Limina singulis quinquenniis personaliter et per meipsum visitabo: ac Sanctitati Vestrae Vestrisque successoribus rationem reddam de toto meo pastorali officio, deque rebus omnibus ad Patriarchalis Ecclesiae meae statum, ad Cleri et populi disciplinam, ad animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quoquo modo pertinentibus; et vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam et quam diligentissime exequar.

»Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praefata omnia adimplebo per certum nuncium ad hoc speciale mandatum habentem in dignitate ecclesiastica constitutum; aut, hoc mihi deficiente, per aliquem Presbyterum saecularem vel regularem spectatae

probitatis et religionis,de omnibus supradictis plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes transmittendas per memoratum nuncium ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Praefectum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis.

» Possessiones pertinentes ad Ecclesiam vel mensam meam, sive ad alias quascumque Ecclesias vel loca' pia Patriarchatus mei non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, neque a quovis alienari permittam, inconsulto Romano Pontifice.

» Et si ad aliquam alienationem devenero poenas in edita super hoc constitutione a fel. rec. Paulo 11. contentas eo ipso incurrere volo r

» Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.»

« Cumque SSmus Dominus Noster sacri Pallii postulationi benigne annuisset respondens - Propediem dabimus - *idem R. P. D. Patriarcha Ciliciae Armenorum sequenti oratione Sanctitati Suae gratias egit.»*

REATISSIME PATER

« Etsi Orientales Ecclesias, imprimis vero nostram Armenam, immortalibus beneficiis ab ipsis gloriosi Tui Pontificatus exordiis Tibi arctissime devinxeris, adeo eximia tamen sunt quibus hodierna die Armenium episcopatum et populum meamque humillimam personam cumulasti, ut impares profecto simus gratiis pro merito rependendis. Quod enim multis abhinc annis Armenia gens expetierat, ut scilicet Primatialis quae Costantinopoli erat sedes, Patriarchali quae est in Cilicia coniungeretur, a Sanctitate Tua, suprema qua polies auctoritate, hodierna die decretum fuisse nobis gratulamur; idque tam provido ac vere paterno dilectionis affectu, ut in unione peragenda ea praesertim servaveris et copulaveris, quae in utraque sede excellere videbantur. Siquidem Patriarchalem dignitatem Ciliciae ita manere voluisti, ut tamen patriarcham, quem in iugis Libani asperrima temporum adiuncta ferme concluserant, in splendidissima Costantinopolitana Urbe, quae Othomanici Imperii caput est et princeps, residere volueris; et primatialem atque archiepiscopalem titulum, quo hanc Ecclesiam sa. me. Pius VIII/decoraverat,

ita extinxeris, ut maior illa coniunctionis ratio, quae ei cum Apostolica Sede intercedebat, in ipsam etiam patriarchalem Ciliciae dignitatem redundaverit.

»Quo facto providissime consuluisti incolumitati Fidei nostrae, quam licet gravissima immineant pericula, non amplius tamen posthac, adiuvante Deo, naufragium passuram esse confidimus. Peculiari enim Sanctitatis Tuae sollicitudine fovetur, atque arctius Apostolicae huic Sedi adhaerens illius Petrae virtute solidatur, supra quam Dominus Ecclesiam suam tanta stabilitate fundavit, ut portae inferi adversus eam numquam praevaluerint, sed neque in posterum praevaliturae sint. Revera gentis nostrae historiam antiquissimam memoria recolentibus , luce meridiana clarius innotescit, eos ex nostris Patriarchis uti splendida sidera ceteris praefulsisse, qui arctius Beati Petri cathedrae adhaeserunt; et gloriosissima Armenorum saecula ea fuisse, quibus catholica veritas atque unitas apud eos magis floruere. Atque utinam qui iis successerunt maiores gentis nostrae Antistites arctiorem cum Sede Apostolica coniunctionem, quali nos modo fruimur, habuissent ! Etenim tunc inimicus homo in agro Dominico zizania superseminare nullatenus potuisset, si pastores firmiter Romano Pontifici arctissime adhaesissent. Petro enim et Petri successoribus dictum est a Christo Domino « confirma fratres tuos.» Episcopi Armeni hoc spiritu confirmati, potuissent robur et fortitudinem induere, qua schismaticorum atque haereticorum fraudi et violentiae resistere valuissent.

» Immortales proinde, Bme Pater, Sanctitati Tuae agimus gratias, quod patriarchatum Ciliciae ecclesiastica Constantinopolitana provincia adauxeris, meque licet immerentem illi regendo praefeceris. Verum ea etiam ex causa, in qua veluti novum Tuum beneficium admiramur, nos gratissimos animi sensus expromimus, quod initum a Sanctitate Tua consilium circa electiones sacrorum Antistitum ritus nostri ipse coram aperire Nobis volueris, ea usus verborum humanitate, ut non tam supremi Ecclesiae Pastoris et Rectoris maiestatem, quam amantissimi Patris charitatem atque benevolentiam praeferres. Oh vere auspicatissimam diem **(1),** quae totius posteritatis praeconiis prae-

(1) 27 *Iunii* **1867,** *qua Armenios Episcopos Sanctitas Sua est alloquuta.*

dicabitur; qua mihi et universis Armenorum Episcopis contigit prope ipsum sepulcrum Apostolorum, per Te loquentem B. Petrum audire; nostramque fidem, obedientiam, devotionem Tuis mandatis quin et monitis atque desideriis coram Sanctitate Tua palam profiteri. Tunc si ita loqui fas est, veterum Patrum nostrorum qui nos in Christo per Evangelium genuerunt, imprimis vero Magni GREGORII ILLUMINATORIS ossa exultaverunt, nosque haud degeneres filios esse comprobarunt. Vere nobis bonum est, Pater Sancte Tibi adhaerere ; ponere post Dominum Deum in Te spem nostram. Sicut enim palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec nos nisi post Christum in Te manserimus. Fides enim vera esse nequit sine coniunctione Cathedrae Petri: UBI enim PETRUS, IBI ECCLESIA.

» Quapropter Sanctitatem Tuam humillime precamur, ut qui in nobis auctore Deo opus bonum coepisti, Ipse perficias, confirmes, atque consolides Tua ope, auctoritate, consilio. Nos quidem, uti Ipse mandasti, lithurgicae unitati in universo patriarchatu restituendae sedulo adlaborabimus, iis servatis regulis, quas in Apostolicis Tuis litteris *Inter plures*, et *Neminem vestrum*, Nobis constituisti. Quin etiam in synodum quamprimum convenientes ea omnia , quae ob anteacti temporis calamitates incerta adhuc manent vel minus apte constituta, nos ad sacrorum canonum normam, servatisque Sanctorum Patrum institutis, rite componere atque ordinare satagemus; eaque omnia et singula, antequam exequutioni demandentur, supremo Tuo iudicio subiicere festinabimus, ne in vacuum cucurrisse deprehendamur. Tu vero Bme Pater, qui universalis Ecclesiae Doctor es et Magister infallibilis, eadem vel probando vel emendando vel quae necessaria duxeris aduciendo, viam Nobis sternes qua tuto gradiamur, uberemque nobis gratiam auctoritate precibusque Tuis conciliabis, ut iugum Domini suave quidem illud et leve alacres portemus, nostrisque curis concreditos populos in salutis aeternae viam ducamus.

» Quorum auspicem bonorum Apostolicam benedictionem Nobis ac fidelibus nostrae curae concreditis benignus impertire. Inter haec autem Nobis tam laeta et fausta haud oblivisci possumus alias esse oves ex gente etiam nostra, quae non sunt in Tuo ovili, quas oportet adduci, ut vocem Tuam audiant sicuti

et Nos. Profecto, Pater Sancte, non tam animi pravitate, quam ignorantia detinentur; nesciunt enim quid faciant. Roga igitur Deum ut illis ignoscat; eosque ad Unigenitum Filium suum a terra exaltatum trahere festinet, quo Nos, receptis fratribus gaudeamus, Tuque revertentes filios-laetus amplectaris, stolaque prima induas; et non minus in caelis quam in terra gaudium sit et exultatio, quod fratres illi nostri qui perierant, revixerint et inventi sint.»

« Quibus expletis SSmus Dominus Noster in privatis suis aedibus Orientales Patriarchas et Episcopos benignissime admisit; eosque amantissimis aeque ac efficacibus verbis alloquens, illos ad Evangelium Regni Dei praedicandum et propagandam vehementer excitavit et inflammavit.

» Ad solemnem vero ritum Sacri Pallii imponendi novo Ciliciae Patriarchae, SSmus Dominus Noster diem decimamquintam Iulii constituit. Itaque mane hora septima in privato pontificalium aedium sacello, praeter Emum Card Barnaba S. C. de Propaganda Fide Praefectum Generalem, ac RR. PP. DD. Hannibalem Capalti et Ioannem Simeoni, illum quidem eiusdem S. C. alterum vero specialis pro Negotiis Ritus Orientalis Secretarios, admissi fuere RR. PP. DD. Patriarcha Hierosolymitanus Syriae Pro-Delegatus Apostolicus , Patriarcha Maronitarum, nec non Episcopi omnium Orientalium Rituum, Melchitae scilicet et Maronitae, Syri et Chaldaei, Bulgarus et Cophtus, omnesque Armenii Patriarchatus sacrorum Antistites: insuper Pontificii Collegii Urbani Alumni, aliique etiam laici Orientalis ritus. Tum Summus Pontifex sacrosanctum Missae sacrificium piissime celebravit. Cum vero sacrum absolvisset, sedit in faldistorio: atque R. P. D Patriarcha pontificalibus ritus sui vestibus assumptis, flexisque genibus coram Sanctitate Sua, iisdem quibus in Consistorio verbis et formula usus, iterum postulavit sacrum pallium, ac fidelitatis iuramentum edidit. Quo facto SSmus Dominus consueta forma et ritu, qui in Pontificali Romano describitur, sacrum illi pallium imposuit : et postquam Missae adstitissel ab uno ex Sacellanis suis celebratae, R P. D. Antonium Petrum IX. caelerosque omnes tum Orientales, tum Latinos Patriarchas et Episcopos ex praedicto sacello in interiores aedes humanissime excepit.))

ERECTIONIS PAROECIAE.

Lie 18 Aug. 1866 et 24 Aug. 1867. *Sess. 21* **c.** *4 de Refor.*

Compendium faetf. In Archidioecesi N. extat paroecialis ecclesia loci L., cui nonnulli subsunt vici seu oppidula, inter quae recensetur oppidulum F., in quo extat quaedam Cappella. Pius ac dives Sacerdos huius oppiduli indigena sibi proposuit hoc cum aliis adiacentibus vicis a paroecia seiungere, et in paroeciam propriam erigere. Huius erectionis rationes sic exposuit in libello, quem Gubernio exhibuit ad obtinendum regium ut aiunt *placet,* iuxta quaedam commenta civilis potestatis adversus Ecclesiam.

Exposuit scilicet, dictam paroeciam praeter principem locum sub se comprehendere alia oppidula, inter quae dictum oppidulum F. dissitum a paroeciali ecclesia per mediam horam et amplius itineris: convenientius populo illi oppidano esse consultum, si in propriam erigeretur paroeciam : 1. propter viae montanae asperitatem, qua oppidani non commode ad paroeciam accedere possent: 2. ob Parochi incommodum, qui nec prompte ut par est, posset illi populo conferre religiosa auxilia, eo vel magis, quod non soleret aliis presbyteris Parochus uti: 3. ob simultatum rationes, quae intercedebant inter paroecianos horum disiunctorum locorum; quae simultates et dissensiones erectione novae paroeciae cessarent. Ideo Sacerdos B. unicus suae familiae superstes paratum se exhibebat suae familiae bonis ad paroeciam erigendam, cum iam existeret in oppidulo F. Cappella satis ampla et sacris supellectilibus ditata etc. Et designans quosdam fundos, quos novae paroeciae reliquisset, subiungebat, eiusmodi separationem non cedere in damnum existentis Parochi, cum hic non perciperet ex incertis proventibus huius oppidi, nisi quinque italicas libellas annuas.

Eiusmodi Sacerdotis B. propositum valde commendari meritum est a Curia, cuius Vicarius Generalis ne ex inopinato aliquo infortunio res praepediatur, non solum per se, sed per interposiii etiam religiosi viri opportuna officia, suasit Sacerdoti, ut, ad rei securitatem, dotem novae paroeciae testamento constitueret. Cui obsequens Sacerdos testamentum condidit, in quo relicto pro haeredibus pingui censu, pro paroecia reliquit fundum, qui annuas daret libellas italicae 1200, distributas in nonnullis portionibus sive pro Parocho sive pro Cappella: et officia praeterea descripsit a Parocho constituendo obeunda inter quae officium docendi oppidanos pueros diebus ferialibus eidem iniunxit. Ut autem haec voluntas exsecutioni mandaretur, si interea vitam fineret, Exsecutores testamentarios constituit.

Mortuo paullo post Sacerdote Exsecutores tesjLameniarii ad suum implendum officium manum apposuerunt : cum interea aliquae intercessisset morae, haeredes Curiam rogarunt, utrum paroeciae erectio confirmata reapse fuerit, vel potius sibi Iiceret substantiam pii legati inter haereditaria bona adiudicare: cui rogationi Vicarius Generalis respondit *non esse locum erectioni novae paroeciae.* Hinc nulla interiecta mora haeredes caducitatem legati iudicialiter declarari petierunt, et propitiam laici tribunalis retulerunt sententiam. Sed Exsecutores testamentarii, interposita statim appellatione, a Curia quaesierunt utrum superius indicatum rescriptum perpetuam paroeciae reiectionem praeseferret. Cui Vicarius respondit: dictum rescriptum emissum fuisse e* eo quod non adessent *rationes quae sufficientes iudicarentur ad erectionem paroeciae deveniendum , quin tamen intelligeretur idem rescriptum referri ad futurum tempus.* Qua declaratione permoti iudices civiles priorem sententiam revocarunt.

Tunc haeredes rursus Curiam adeuntes, petierunt, ut quaevis ambiguitas removeretur ac absolute tandem definiretur , utrum controversa paroecia erigi deberet nec ne. Tunc Vicarius tertio rescripsit: *Declaramus nec in praesentia nec in futurum locum esse erectioni, donec perseveret actualis administratio.*

Tunc Exsecutores ad S. Sedem nomine suo et incolarum oppidi F. libellum obtulerunt, ut determinaretur, an locus esset paroeciae erectioni.

*

Remissis de more precibus ad Archiepiscopum ut informationem et votum super iisdem daret, atque auditis Parocho etc. referret super necessitate seu utilitate propositae erectionis novae paroeciae, sin minus, quae essent legitimae causae quae obstarent praedictae erectioni : mandatis satisfaciens, inter caetera rescripsit: « Mortuo Sacerdote B. quatuor vici comprehenso » vico F. instrterunt pro erectione paroeciae , adeo ut antiqua)) paroecia, quae constat octoginta et mille parochianis reducta » tantum fuisset ad sexcentos. Tunc temporis, attento, ut vi- » debatur, consensu plusquam quadringentorum parochianorum, » propositam erectionem utilem ego indicabam, ideoque Vicarius » ad se recurrentium spem fovebat. Verum anno 1857 mense » Maio ipse . . . pro pastorali Visitatione paroeciam et loca omnia » lustrans animadverti minime concurrere ' causas canonicas ad » petitam erectionem, neque distantiam a paroecia , neque ar- » duum etiam hyemali tempore accessum ad paroeciam pro ad- » ministratione sacramentorum. Accedit etiam quod tres vici, » mutata sententia a veteri paroecia separari nolebant, adeo ut » novae paroeciae adhaesisset unus vicus F. Cappellae finitimus, » qui medius inter alios intersecuisset territorium antiquae paroe- » ciae. Ad hoc, scissurae et dissidia oritura videbantur in po- » pulo. Unde ego existimabant prudens erectionem suspendere. «Vicarius meus, cum lis agitaretur apud tribunal civile inter « haeredes Sacerdotis B . , ipsis instantibus, recusare minime po- » tuit declarationem, in qua testabatur, locum in praesens non » fieri erectioni novae paroeciae.

» Öac decisione evulgata, aliqui ex incolis loci F. iurgia et » lites excitarunt sub praetextu administrationis bonorum Cap- » pellae, adeo ut obliviscerentur iterum atque iterum reveren- t i a e loco sacro debitae. Cappellani tunc ego interdixi, atque » post quindecim menses, cum cognovissem pacatos esse ani- » mos, illam divino cultui restitui, et ab eo tempore res omnino » tranquille processerunt in paroecia loci L. Super novis pre- » cibus Oratorum interpellavi Parochum et consilium Fabricae » paroeciae L., eorumque authentica responsa, in quibus nil a » veritate alienum inveni, EE. PP. transmitían). »

Post huiusmodi informationem de more decretum prodiit: *Ponatur iii folio, ei notificetur Archiepiscopo, qui moneat interesse*

habentes et praesertim Parochum , Exsecutores testamentarios et haeredes defuncti Sacerdotis B., ut quatenus velint, deducant ulteriora iura sita coram S. Congregatione, et de resullantibus S. Congregationem certiorem faciat.

Pervenerunt Romam post hoc decretum nonnullae Parochi deductiones; Exsecutores autem Causidicum constituerunt, qui pro ipsis causam diceret.

aiiseeptatio sytioptica.

EA QUAK EXSECUTORES TESTAMENTA R K DEDUCEBANT: — Qui partes agebat Exsecutorium notum esse inquiebat pro erectione novae paroeciae duo ex iure requiri , videlicet legitimam causam, et solemnitates: causam legitimam consistere in necessitate vel evidenti utilitate: necessitatem collocari solere in difficultate itineris et locorum distantia; quam quidem distantiam quanta esse debeat, cum ex iure definitum non sit, remitti Iudicis arbitrio; praesertim cum omnes tandem necessitatis causae ad incommodum et difficultatem adeundi ecclesiam paroecialem reducantur, ceu inter caeteros docet Fagnanus *in cap. Ad audientiam n.* 16 *et seqq.*

Has porro necessitatis causas in praesentia concurrere, recognovisse, monebat Orator, ipsam Curiam, dum, causa cognita, expetitam erectionem primitus late commendaverit, foverit et adiuvent. Haec confirmari testabatur *tum* ab iconographia loci, quae exhibet iter inter oppidum F. et Paroeciam in montana regione per duo millia passuum et amplius serpens et rapido torrente intercedunt; *tum* a testimonio incolarum oppidi F. atque ipsius Sacerdotis testatoris, cum illi conclamarent novam paroeciam esse necessariam populo 400 incolarum, qui sine nimia difficultate accedere non possent ad ecclesiam paroecialem: hunc autem cum duobus consiliariis ipsius paroeciae L., tempore non suspecto, regium placitum efflagilasse pro huiusmodi erectione, quam perutilem oppido ex eadem ratione iudicavit.

Addebat Orator, moralem gravioremque difficultatem in sirnultatibus et dissidiis esse positam inter utrumque populum , teste eodem Sacerdote testatore, qui in sua prima supplicatione hanc causam interseruit. Hinc, subdebat, vix in discrimen optata erectio revocari coepit per posteriora Curiae decreta, adeo ex-

crevisse dissidia, ut dicta Curia interdictione ecclesiasticae diu subiecerit Cappellani oppidi F.

Quod si necessitas non adesse iudicaretur, nullimode denegari posse contendebat utilitatem: cum enim legitima causa novae erigendae paroeciae sit necessitas *vel* utilitas , ambigi non posse inquiebat quin utilitas adesset: constitueretur enim proprius Pastor, qui agnoscens oves suas omnibus earum necessitatibus praesto esset, proniores redderet oppidanos illos ad pietatis exercitia; augeretur divinus cultus in Cappella eiusdem oppidi, eaque pingui legato ditaretur.

Hisce autem animadversis, non esse quaerendum, inquiebat, de solemnitatibus, scilicet de Parochi et paroecianorum consensu, cum eiusmodi solemnitates requirantur, non quidem ad formam actus, sed ratione praeiudicii declinandi, quod quidem praeiudicium, idest populi gravamen et damnum Parochi praeexistentis, cum in praesentia dressent, spernendum esse, concludebat, quemlibet eorum dissensum , iuxta Trid. Conc. *sess.* 21 *c. i de Ref.,* et iuxta ea quae tradit Barbosa *de offic et potest. Epis. par.* 3 *alleg.* 67 », 20. Pax lordanus *Ehcubr. i.* **2** /. 10 *tit.*- 31 *n.* 6, Monacelli *p. i t.* 2 *form.* 3 *n.* 3.

At in praesenti themate, subiungebat, neque defuisse paroecianorum consensum iuxta ea quae testabatur Archiepiscopus, et ab initio testatus fuerat Vicarius, qui fassus est eiusmodi paroeciae erectionem esse in spe et desiderio populi oppidi F. Et quamvis postea studia partium excitata fuerint, quatuor tamen supra triginta matresfamilias, haud veritos aliorum indignationem, preces S. Congrega tioni erigendae paroeciae causa oblatas subsignasse.

Et hunc quidem iuris rigorem locum habere inquiebat in casu, ubi dismembratio secumferat suppressionem alicuius Beneficii, vel ipsius paroecialis mensae divisionem, aut contributionem paroecianorum, uno verbo, praeiudicium antiquae paroeciae: quibus in adiunctis erectio novae paroeciae cum speciem habeat alienationis, graves requirit causas a iure praefinitas: ubi vero erectio nullum pariat praeiudicium, eam omni favore dignam renuncian, ceu traditur in *Pi sauren.* 19 April. 1766 §. *Caeterquin.* Post haec enarrabat Orator quomodo Sacerdos testator ex suis bonis apprime consuluerit novae paroeciae erigendae necessitati-

bus: neque vero antiquo Parocho damnum inferri, cum ex ea populi portione non perciperet nisi quinque italicas annuas libellas, quod quidem damnum facile compensari posset, ut iudicatum fuit in *Angiomen,* die 20 Decembris 1704.

Quin imo, prosequebatur, iustitiam id hodie exposcere. Antecessoribus enim Sacerdotis pergratum erat, ut eorumdem haereditatis portio ad novam paroeciam constituendam impenderetur; si vero id fieri non potuisset, profecto iidem voluissent in aliud pium opus eamdem substantiam erogari. Curia autem archiepiscopalis Sacerdotem B. impulit ad novae paroeciae erectionem. Cum porro penes civilem magistratum nihil iam adesset medium inter peremptionem legati et paroeciae erectionem, iustitiam haud sinere, inquiebat, ut plebs oppidi F. tanto beneficio, ecclesia pingui legato, et Sacerdos B. debitis suffragiis fraudarentur.

Quamobrem etsi iustae causae abessent, quominus auctoritas ordinaria ad erectionem procederet, consulendum esse concludebat SSmum Patrem, cuius auctoritas omnes supplet canonicos defectus: Pyrrhus Corradus, *prax. benef. lib.* 3 c. 2 *n.* 4.

RATIONES QUIBUS PAROCHUS REFRAGABATUR ERECTIONI PAROECIAE.— Parochus et Aeditui, nullam esse inquiebant legitimam causam ad dismembrationem veteris, et erectionem novae paroeciae; e contra gravissimum damnum eam esse allaturam. Quoad defectum legitimae causae, inquiebant, fractionem oppidi F. citeriorem distare ab ecclesia paroeciali spatio, quod infra horae quadrantem quisque commode percurrere posset: aliam vero superiorem fractionem, quae per mediae horae itineris spatium distaret, sese opponere dismembrationi : commodam esse viam quovis tempore sive aestivo sive hiemali sive die sive nocte terendam; parvum esse integrae paroeciae numerum paroecianorum, qui vix nongenti numerarentur; fractionem superiorem, de qua diximus, iam possidere Cappellani et Cappellanum, ita ut necessitatibus illius fractionis distantioris iam esset consultum.

Ad damnum quod attinet, inquiebant, pauca quidem esse emolumenta incerta totius paroeciae, quae minora evaderent ex dismembratione , et Parochi damno accessurum esse etiam damnum paroeciae, quae privaretur parte suorum subsidiorum ; novam praeterea paroeciam subsistere non posse ob mediorum defectum;

parvam esse Cappellani et novam oportere aedificari ecclesiam etc. etc cui quidem oppidani illi providere non possent ; eo vel magis quod paroecianoi um universale votum adversaretur erectioni.

Ob eiusmodi rationes negabat Parochos expedire ut sua paroecia divideretur, quam ipse canonice possideret, et cui provide hactenus consuluisset.

His deductis propositum fuit resolvendum dubium: « An et «.quomodo sit locus erectioni novae paroeciae in casu; » cui S. Congregatio respondit die 18 Augusti 1866: *Affirmative in omnibus: et ad mentem: mens est, ut Archiepiscopus quamprimum proponat limites novae paroeciae erigendae, et doceat de damno , quod"' exinde proveniet Parocho loci vulgo L., ut possit provideri.*

CAUSAE PROSEQUUTA.— Transmissa eiusmodi Resolutione, Curia archiepiscopalis sciscitata est a S. Congregatione, an in statuendis limitibus novae paroeciae *audiendus esset populus ab antiqua paroecia disiungendus, ne in posterum, inconsultae familiae dismembratae aggregationem recusantes, maiores dissensiones excitarent; vel potius huiusmodi limitum definitio fieri deberet partibus omnino inconsullis, qualiscumque futurus ese possit exitus.* Quo in casu se optare aiebat, *ut aliquis specialis delegatus a S. Congregatione depularetur ad limites determinandos, ut omnes suspiciones et querelae contra se sive ex parte parochianorum sive ex parte Parochi amoverentur* Ita vero *definitis limitibus facile computari posse* concludebat *damnum proveniens Parocho.*

Pervenit Romam et libellus a quinquaginta quatuor paroecianis subscriptus, qui sustinebant superius adductas Parochi rationes. Huic libello accessit et alter signatus a triginta duobus incolis oppidi F. seu circumstantium vicorum, qui respuebant erectionem, ea praecipue de causa, quia ipsi non possent multis subiacere expensis quibus indigeret novae paroeciae erectio.

His accedebant novae Parochi querimoniac quibus compatiebatur statum haeredum, qui eo legato ad erigendam paroeciam, indigentes essent evasuri, et indicabat dissensiones ortas et orituras etc.

Ex parte Executurum testamentariorum eadem fere repetebantur, quae supra descripsimus, quibus haec Orator adiunge-

bat: videlicet consensum Parochi in dismembratione paroeciae requiri non pro forma quae essentialis sit ad validitatem dismembrationis, sed audiendum eum esse ratione praeiudicii, quod posset eidem inferri ut dictum fuit in *Ravennaten,* die 18 Februarii 1854 §. *Unum.* Praeiudicium autem Parochi si consideraretur quoad iurisdictionem, in quavis dismembratione occurrere, quin idcirco compensari necessario debeat. Quod si huic incommodo provideri velit, id fieri posse inquiebat reservatis iuribus matricitatis Paroeciae **L.** Quod si praeiudicium consideraretur quoad emolumenta quae vulgo audiunt *iura stolae,* tenuissimum omnino esse, de quo neque conqueri quidem posse Parochum, qui a partiali muneris sui labore sublevaretur. Sed etiam huic tenuissimo detrimento satisfieri posse, inquiebat, vel persoluta aliqua summa pro unica vice, ut factum fuit in *Novarien,* 22 Martii 1766, vel iniuncto onere novo Rectori annuae cuiusdam praestationis in recognitionem iurium ecclesiae paroecialis L., ut factum est in *Anglonen.* 20 Decembris 1704.

Ast, pergebat Orator, neque ipsum Parochum de aliquo suo praeiudicio in praesentia conqueri, cum is unice urgeret detrimentum populi quem falso supponebat perferre debere impensas erectionis; nec non detrimentum haeredum, qui licet consecuti fuissent patrimonium in actis denuntiatum Libell. 98823, tamen pium legatum persequerentur contra dissertanti testatoris legem, qui caducilatis poena mulctavit *quemvis ex haeredibus qui litem movere auderet aut violare quacumque ratione ordinem et dispositionum suarum naturam.* Quare concludebat Orator, dissensum esse irrationabilem; ideoque novam paroeciam esse erigendam, Parocho etiam invito , iuxta textum in *cap. Ad audientiam de Eccles, aedif.* et *Conc. Trid. sess.* 21, c. 4 *de Reform.*

Minus vero negotii, addebat, facessere parochianorum dissensum. A doctrina enim canonum alienum esse in erectione Renefíciorum contradicendum intentionem exquirere quemadmodum hodie fieri videmus in politicis vicissitudinibus a magistratibus qui plebiscitum exquirunt. Hinc sententiam , quae consensum maioris partis paroecianorum requireret, pro erectione paroeciae, improbari a Barbosa *de offic, et potest Episc. part.* 3 *alleg.* 68, *n.* 4.

Quod si supponeretur necessarius consensus plebis dismembrandae, eamdem tempore utili consensisse animadvertebat: quod

si postea paroeciani sententiam mutassent, nihil pro-lìcere, tum quia quod semel placuit displicere non debet, re non amplius integra; postquam scilicet Sacerdos paroecianorum votis et Curiae suasionibus obsequens erectionem paroeciae praetulit cuilibet alteri piae causae; tum etiam, quia eiusmodi posterior contradictio excitata dicebatur studio praesertim Parochi, qui integram paroeciam percurrit quaerens omnium subsignationes, eos deterrens ingentium expensarum praetextu, quibus populus subiacere debere ungebat, pro necessitatibus erectionis.

His aliisque deductis propositum est

Dubium.

« An et"quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu. »

RESOLUTIO — S. Congregatio Concilii die 24 Augusti 1867 respondere censuit: *In decisis et amplius; et in casu de quo agitur* ***non*** *esse exquirendum consensum neque Parochi neque populi, constituto tamen annuo canone* ***Horarum*** *sex cerae albae elaboratae favore paroeciae loci L. in signum matricitatis.*

Ex QUIBUS POTEST COLLIGI:

I. Dismembrationem paroeciarum fieri non posse sine legitima necessitatis vel evidentis utilitatis causa, extrinsecis adhibitis solemnitatibus.

ii. Eiusmodi solemnitates consistere in audiendo Parocho aliisque, quorum id intersit, quamvis eorumdem dissensus, si irrationabilis sit, sperni possit ac debeat (1).

HI. Distinguendum tamen esse casum dismembrationis, quae fieri non possit sine gravi iactura existentis Parochi et populi, ab ea quam fieri contingat ex nova dotatione et fundatione sine illorum temporali iactura.

IV. Existente evidentis utilitatis causa, novis advenientibus ex peculiari fundatione et dotatione redditibus, necessarium non censeri neque Parochi neque populi consensum exquirere.

V. Quod enim tibi non nocet, et aliis prodesse dignoscitur, id quominus fiat impediri non potest.

(i) Recolendae sunt similes causae quas adduximus in *Folum. I. pag.* **524.** *et* **545. Vide etiam Appendicem VI. in praesenti fasciculo.**

Vi. Maxime vero in praesenti casu, in quo sine defrauda tione voluntatis pii testatoris, ad erigendam paroeciam a populo et a Curia provocati, erectio paroeciae impediri non potuisset.

SERVITI! CHORI ET MISSAE CONVENTUALIS.

Die 24 Augusti 1867. *Sess. 24 c. 12 de Ref.*

Compendium facti» Episcopus dioecesis N. extra Italiam, relationem status suae dioecesis fecerat S. Sedi iuxta Const. Sixti V quae incipit: *Romanus Pontifex* diei **20** Decembr. 1585. Ex ea relatione innotuit, Capitulum Cathedralis non rite satisfacere officiis choralibus. Huius rei rationem quaesivit S. Congregatio Concilii.

Facta a Canonicis expositione, et recepta Episcopi relatione, constitit, post multas vicissitudines anno 1693 iterum conflatum fuisse Capitulum, coadunatis quibusdam Beneficiis simplicibus, impletis a Canonicis officiis quae eum illis Beneficiis cohaerebant: Episcopum , qui Capitulum erexit, praescripsisse obligationem persolvendi integrum divinum officium: nihilo tamen secius paulini im in eo Capitulo usum quemdam inductum esse cantandi '•lobus festis de praecepto Tertiam, Vesperas et Completorium; Matutinum vero in vigiliis Paschatis et Nativitatis, nec non in Coena Domini, Parasceve et Sabbato Sancto: in reliquis diebus recitandi, vel can land i, si pars iunior Cleri adsit, Primam, Tertiam, Vesperas et Completorium: in vigiliis omnium Defunctorum cantandi Matutinum, omissa Prima et Tertia, quae etiam omittebantur, quando ex lego-fundationem Matutinum Defunctorum erat persolvendum.

Hic autem usus pluribus de causis pedetentim inductus fuit, videlicet ob parvum Canonicorum numerum, qui etiam aliis dioecesis muneribus fungi deberent; ob quasdam Episcoporum concessiones; ob carentiam dotis pro constituendis chori vicariis,

seu Beneficiariis. Quas ob rationes Episcopus ipse deprecabatur S. Seden, ut ratam eiusmodi consuetudinem habere dignaretur.

Quoad Missam conventualem, nullum aderat vestigium a primaeva Capituli erectione, quod indicaret eam praescriptam esse et fuisse celebratam, quamvis usus vigeret Missam post chorum cantandi, quin tamen ea pro benefactoribus applicaretur: variis autem de causis idem Episcopus deprecabatur, ut haec consuetudo servaretur.

Tenues autem erant redditus quos Canonici percipiebant.

itaque S. Congregationi proposita fuerunt die 23 Ianuarii 1864 quatuor quae sequuntur dubia:

I. « An Canonici cathedralis ecclesiae *(N.)* teneantur quotidie » integras horas canonicas in choro persolvere, Missamque con- » ventualem pro benefactoribus applicare in casu. Et quatenus » affirmative.

II. » An consulendum sit SSmo pro absolutione super prae- » teritis omissionibus et condonatione fructuum male percepto- » rum in casu.

III.)) An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione » servitii choralis favore eorumdem Canonicorum in casu.

IV. » An et quomodo consulendum sit SSmo pro reductione » Missae conventualis in casu. »

Quibus rescriptum fuit:

Ad I. *Affirmative in omnibus.*

Ad II. *Affirmative in omnibus, celebrata unica Missa cum cantu, integro adstante Capitulo.*

Ad III. *Affirmative ad horas minores, exceptis diebus festis solemnioribus et quatuor postremis Hebdomadae Maioris, ad decennium^*

Ad IV. *Affirmative ad dies festos tantum de praecepto, ad decennium.* Quas quidem resolutiones SSmus D. N. adprobavit.

Eiusmodi Resolutiones transmissae fuerunt ad Vicarium capitularem, vacante interea sede episcopali, ut executioni mandaretur. Convocato a Vicario Capitulo, Canonici statuerunt normam iuxta resolutionem ad IH et IV quam sequi deinceps deberent, quae quidem norma est tenoris qui sequitur :

1. *Omnibus diebus ferialibus per hebdomadam Capitulares recitabunt in choro quatuor horas minores, idest Primam, Tertiam,*

Sextam et Nonam immediate ante Missam cantatam, quae iuxta morem huius ecclesiae singulis diebus per hebdomadam pro devotione populi a Sacerdote quodam iuniore celebrari solet.

2. *Diebus dominicis et festis de praecepto, quae in foro observantur, cantabunt in choro solam Tertiam immediate ante sacrum solemne et nihil aliud ante meridiem ; deinde post meridiem similiter hora consueta cantabunt in choro Vesperas et Completorium* **(1).**

3. *Festa solemniora haec tria declarantur : Festum* Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes.

4. *Ea autem exceptio festorum solemniorum ita observatur, ut non integrum officium in choro cantetur vel recitetur, sed Nocturni quidem ei Tertia, Vesperae item et Completorium ; Laudes vero (praeterquam in festo Pentecostes), item Prima, Sexta et Nona in choro non recitentur, sed privatim tantum.*

Quoad Resolutionem ad IV dubium, hanc normam statuerunt:

1. *Dies festi de praecepto intelliguntur sensu stricto, exclusis nempe diebus Dominicis et exclusis festis abrogatis, quae in foro non celebrantur.*

2. *In hisce diebus festis de praecepto Canonici per turnum cantant sacrum solemne hora nona et applicant pro benefactoribus ecclesiae cathedralis ; in sacro solemni reliqui Canonici intersunt pro more. iisdem porro diebus Missa Parochi, qui et ipse est Canonicus ecclesiae cathedralis , pro populo applicatur mane hora septima, qua frequens populus ex more huius civilatis, post primam concionem habitam hora sexta cum dimidio, sacro Missae sacrificio adstare solet.*

2. *In festis autem Episcopi, quae assignantur in caeremoniali Episcoporum, quoniam Episcopus applicat pro populo et sacrum solemne hora nona cantat, Canonicus ille, qui est simul Parochus, Uberum se putans ab onere applicandi pro popido, mane hora*

(l) Ratio huius dispositionis a Canonicis adducta, est: «quia ecclesia cathedralis simul est parochialis, ideoque post sacrum solemne, quod celebratur hora nona antemeridiana, ob contiouas functiones sacras, quibus frequens populus fidelis adstare solet, usque ad horam undecimam, et quod excedit tempus vacans noti repetitur. Accedit, quod populus hic ab antiquo tempore assuetus est post meridiem Vesperis in choro cantatis Dominicis et festis diebus interesse pro sua devotione, quam piam populi consuetudinem turbare ac destruere non videbatur consultum.»

septima post primam concionem applicat pro benefactoribus ad modum Missae conventualis, quin Canonici in choro eidem Missae adsint.

Hanc Canonicorum deliberationem ratam habuit Vicarius capitularis salvo iure Episcopi sede plena aliter disponentis.

Novus Episcopus dein constitutus, aequa lance omnibus consideratis, maluit totum negotium iterum S. Congregationi subiicere. Quamvis enim rectam in omnibus non fuisse videret interpretationem a Capitulo factam , tamen, expositis difficultatibus eas Resolutiones undequaque executioni mandandi. modum quemdam alium S. Congregationi proposuit, ut scilicet diebus festis de praecepto communibus et Dominicis, USUS Capituli retineretur et adprobantur, recitata tamen Prima ac Tertia; ut ad tres dies festos solemniores adiungeretur solemne festum Corporis Dominici, ut in quatuor hisce solemnioribus festis Capitulum recitarci Matutinum com Laudibus, Primam et Tertiam, item Vesperas et Completorium, facta quoad reliquas minores horas Ordinario facultate dispensandi ab eadem recitatione in choro, si absque gravi difficultate eadem in choro recitari non possint etc.

Quoad Missam conventualem monebat, Canonicos obligatione teneri aliarum Missarum, quae ex parie Capituli persolvi deberent pro benefactoribus Praebendarum singularium, et speciatim officii defunctorum cum Missa cantata de Requiem singulis mensibus pro quodam praecipuo benefac tore: item pro singulis Episcopis benefactoribus, ita ut sibi videretur ex quadam aequitate posse sufficere Missae conventualis celebratio illis diebus festis de praecepto, quibus nunc Capitulum eam celebrabat.

Iláseepteái© systoptiea.

Nonnulla *ex officio* observabantur circa interpretationem Resolutionum a Canonicis datais; quamvis enim diebus festis difficultates adessent (quae consistebant in perturbatione ordinis sacrarum functionum quae celebrari in ecclesia cathedrali solebant cum frequentia populi) recitandi omnes minores horas; eiusmodi difficultates causam quidem suppeditare potuisse petendi novam indulgentiam a S. Sede, non autem proprio marte eas relinquendi.

Circa dies festos solemniores observaba tur, in Decreto Clementis X die 15 Decembris an. 1703 edito, sequentia inveniri: nempe in Oratoriis privatis non licere celebrare diebus *Paschatis, Pentecostes, Nativitatis C. D. aliisque festis solemnioribus:* praeterea in epistola transmissa a Praefecto S.Congregationis Rituum die 6 Septembris 1781 ad Episcopum Vasionen., qua declarabatur mens S. Congregationis eiusdem circa quamdam Resolutionem, haec referri: « Decernimus et declaramus iuxta dispositionem caeremonialis quatuor a ministris assumenda esse pluvialia *in festis solemnioribus,* scilicet *Natalis D. N. L Christi et Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, in festo Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. V. ct Omnium Sanctorum, S. Titularis ecclesiae et Patroni civitatis ei ecclesiae dedicationis.* (Quae epistola refertur in Gardeliiniana Collectione sub Decreto 4384). Quare non recte dies festos solemniores cohibuisse Canonicos ad tres dictas solemnitates; et contra Resolutionem S. C. pariter esse partialem recitationem his diebus divini choralis officii.

Quoad celebrationem Missae conventualis, S. Congregationem eam ex indulgentia cohibuisse *ad dies festos tantum de praecepto,* neminem autem ignorare sub diebus festis de praecepto venire etiam dies dominicos.

Circa Parochi officium applicandi Missam pro populo observabatur, nullum reperiri Parochum ab huiusmodi obligatione exoneratum, quod Episcopus sive in solemnibus diebus sive in aliis Missam pro grege sibi commisso celebret: quod si ita statuendum esset, cum Episcopus non applicet exclusive pro paroecia cathedralis ecclesiae, sed pro tota dioecesi, omnes dioecesis Parochos exoneratus fore dicendos; quod est absonum.

Commemorabatur denique regula statuta a Benedicto XIV. in celebri Const. *cum semper oblatas,* quando Parochus, qui sit Canonicus, diebus festis teneatur canere ex turno Missam Conventualem; quo casu alium subrogari debere ad applicandam Missam pro populo,

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

1. (vAn sit standum in decisis, seu potius consulendum sit
» SSmo pro ampliori reductione servitii choralis in casu.

II, » An et quomodo consulendam sit SSmo pro absolutione » super praeteritis omissionibus in servitio chorali et condona- » tione fructuum male perceptorum in casu

III.» An et quomodo consulendum sit SSmo favore Canonici » Parochi super omissionibus celebrationis Missae pro populo in » casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 24 Augusti 1867 respondere censuit:

Ad 1. *In decisis iuxta modum ; nempe iuxta votum Episcopi quoad horas canonicas, non vero quoad numerum Festorum solemniorum: et ad mentem: mens est ut Episcopus moneat Canonicos, inter Festa solemniora venire Festa recensita in suprarelata Epistola Emi Card. Praefecti S. Congregationis SS. Rituum diei* 6 *Septembris* 1781 *ad Episcopum Vasionen., proinde singulis his diebus modum choralis officiaturae ab eodem Episcopo ptoposilum servandum esse : praeterea ne dubitari quidem posse inter dies festos adnumerari potissimum Dominicos.*

Ad II. *Affirmative, celebrata unica Missa cum cantu, integro adstante Capitulo, et iniuncta cuilibet Capitulari celebratione unius Missae lectae intra mensem pro benefactoribus.*

Ad III. *Affirmative celebratis Missis decem pro populo infra duos menses, et Episcopus moneat Parochum, eum teneri per se ad applicationem Missae pro Populo his etiam diebus in quibus Episcopus pontificaliter celebrat in cathedrali, per alium vero his festis in quibus uti Canonicus canere et applicare debet Missam conventualem pro benefactoribus.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Capitula cathedralia, quae fuerint erecta ex cumulatione Beneficiorum simplicium, imposita Canonicis obligatione implendi officia cum iisdem Beneficiis connexa, teneri eliam generatim ad persolvenda caetera choralia munera, quae iuxta communem Ecclesiae disciplinam persolvi debent.

II. In immutatione enim status Beneficiorum simplicium in Praebendas seu Mensam capitularem, quamvis officia illis ex fundatione adnexa impleantur; succedunt tamen alia officia, quae sunt propria novi status, ad quem constituendum Beneficia illa disponuntur.

III. Eiusmodi tamen choralia munera, urgentibus rationabilibus causis, per Apostolicam auctoritatem, quae sola ius commune moderatur, iuxta rerum adiuncta cohiberi.

IV. Colliges insuper, quaenam solemnitates intelligi soleant per verba: *dies festi solemniores.*

V. Neque Parochum excusari a celebranda applicandaque Missa pro populo, quod Episcopus eam celebret in paroeciali ecclesia, et pro populo sibi commisso applicet (1).

CAPPELLANIAE LAICALIS SUPER DISPENSATIONE.

Die 14 Augusti 1867. *Sess. 25* **c.** *9 de Refor.*

Compendium facti. Archipresbyter N. in suo testamento legatum pium reliquit, quo constitutam voluit Cappellaniam mere laicalem cum onere duarum Missarum in suffragium animae suae. Ad possessionem huius Cappellaniae Sacerdotem aut Clericum vocavit ex quibusdam familiarum lineis, inter quas unam familiam sibi sanguine iunctam praedilexit : in casu extinctionis harum familiarum, quasdam alias leges constituit favore Cleri illius loci cui idem testator ut Archipresbyter praefuit, illique clero bona administranda hoc in casu reliquit.

In praesentia quidam Clericus ex praedilecta linea pacifice Cappellaniam possidebat, sed coactus a Gubernio civili habitum militarem induere, sese ad S. Sedem convertit ut in statu militiae sibi facultatem faceret percipiendi fructus Cappellaniae laicalis quam possibebat: imo postulabat ut familiae suae in paupertatem redactae bona Cappellaniae libere, excepta obligatione adimplendi onera, adiudicarentur, cum deficerent aliae familiae a Testatore vocatae, et interdicta esset a Gubernio administratio bonorum Clero, qui ex voluntate testatoris administrare hoc in casu bona debuisset.

(i) Ad rem apprime faciunt, ea quae scripsimus in celebri causa *super dubiis etc. Folum. I. pag.* 389.

Audito Episcopo atque iis quorum id intererat, ille confirmavit preces, et Clericum commendavit ob eius praedilectae familiae inopiam, cum caeteroquin Clericus vocatione divina videretur destitutus; nonnulli vero Clerici illius loci sese opposuerunt precibus supplicantis, cum earum exauditio cederet in damnum suorum iurium, et in perversionem voluntatis Testatoris.

Nonnullis de more ex officio animadversis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et. quomodo annuendum sit oratoris precibus in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii re perpensa die 24 Augusti 1867 respondere censuit: *Quoad adiudicationem bonorum, lectum* **(1)** **;** *in reliquis pro dispensatione retinendi pium legatum etiam dimisso habitu clericali, adimpletis oneribus ad septemnium, facto verbo cum SSmo.*

Ex QUIBUS COLLIGI POTEST .*

I. Quamvis alienum non sit a Cappellanus laicalibus ut laici Cappellaniam possideant, quibus onus inest celebrare faciendi Missas et reliqua officia a Testatore constituta; tamen, si qualitatem clericalem Testator requisì veri t, eam non posse nisi a Clerico possideri.

II. Concurrentibus canonicis causis, R. Pontificem super hac qualitate clericali a Testatore requisita interdum ad tempus dispensare.

(1) Alias diximus quid significet haec clausula *lectum :* quando scilicet preces S. Sedi porrectae nullum sortiantur effectum tunc SS. Congregationes respondent *lectum;* idest supplicem libellum lectum quidem fuisse, attamen exauditione dignum non esse repertum sive in integra petitione, sive in parte eiusdem, ut videre etiam est infra *p.* **376:** pari modo, respondetur *Relatum,* quando supplex libellus relatus Summo Pontifici exauditus non fuerit.

CENSUS.

Die 24 Augusti 1867.

Compendium facti. Patres Congregationis N. servatis servandis acceperunt scutata 700 a monasterio Monialium B. et crearunt censum favore Monialium B. pro ratione animorum scutat. 2,70 pro singulis centenis numinis, quae annuam summam constituunt scut. 18,90. Pro huius census solvendi substantia, constituta fuit quaedam domus eorumdem Patrum, et pro securitate census inscripta fuit favore Monialium specialis hypotheca super dictam domum, et alia generalis super omnia bona Patrum, adiecto pacto ut desistenlibus dictis Patribus a solvendo censu, liceret Monialibus propria auctoritate et absque ullo Iudicis decreto ingredi in possessionem et uti frui redditibus dictae domus, et in eius defectu persequi caetera bona et iura Patrum usque ad integram consecutionem fructuum et census extinctionem.

Progressu temporis ob gallicas vicissitudines in Italiam proruentes, exturbatis Patribus a possessione censitae domus, haec alienata fuit a gallico demanio. Bebus deinde in pace compositis, et emptoribus bonorum ecclesiasticorum a debita restitutione a Pio VII. exoneratis, Gubernium Pontificium Patrum dictorum damnum sicut caeterorum aliqua ratione compensavit.

Scilicet compensationis titulo Patres receperunt scut. 354 subtracta portione scut. 112, quot erant obligationes, quibus iidem Patres ex ea domo satisfacere deberent. Hoc accidit die 6 Augusti anno 1821.

Interea Monasterium dictarum Monialium, quod fuerat violentia suppressum, nunquam fuit restitutum ; sed ex concessione s. m. Pii VII. die 28 Iulii eiusdem anni 1821, omnia eius iura cum oneribus translata fuerunt in aliud Monasterium aliarum Monialium C.

Hae novae Moniales cum successissent in extincti Monasterii iura, petierunt a Patribus annuam solutionem census scut. 18,90: sed dicti Patres putantes se non teneri hoc debito, nunquam eam solverunt: Moniales contrarium existimantes, quaestionem denique detulerunt ad S. Congregationem Concilii, ut dicti Patres

solverent census praeteritos non solutos, et sortem census restituèrent.

Disceptatio synoptica.

IURA MONIALIUM. — In rerum enarratione Partes contendentes plene conveniebant. Simplex erat ratiocinatio Monialium, videlicet, se successisse in omnia extincti Monasterii iura nulla reservatione facta: proindeque successisse in ius census in cuius tutelam generali hypotheca affecta erant omnia Patrum N. bona. Quod si hoc census solvendi onus sibi imposuisset Gubernium, cum id, quod inter Gubernium et dictos Patres gestum esset, ignoraverit Moniales, non ipsas teneri ad illud sese convertere; tantum debere sese a Patribus solutionem census quaerere, quos habebant immediate sibi obligatos.

IURA PATRUM N. — Hi contendebant non esse nunc amplius locum supradictae hypothecae qua omnia sua bona loco pignoris constituta erant, ab eaque hypotheca sua bona esse liberanda. Quod ut ostenderent, recolebant doctrinam quae traditur circa census extinctionem. Quamvis enim nonnulli, ut CovarruviusZ. 3, c. 7, *n. B, vers. Quod item dicimus,* in ea fuerint sententia, ut census non extinguatur ob peremptionem fundi super quo census fuerit constitutus, caeteros tamen docuisse censum extingui vel in totum vel in parte, prout in totum vel in parte contingat perire fundum censui ipsi suppositum: immo etiam, explicite hoc fuisse dispositum in celebri Constitutione S. Pii V. quae incipit: *Cum onus* edita die 19 Ianuarii anno 1569 in cuius *§.* 10 legitur: « *Postremo-, census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui.))* iamvero, inquiebant dicti Patres, domum de qua loquimur censui suppositam tamquam peremptam considerari debere, cum alienata fuerit a gallico Gubernio, et a Pio VII. dein vindicata non fuerit: proindeque etiam hypothecam super eamdem specialiter inscriptam extinctam mansisse.

Quoad hypothecam vero generalem super omnia Patrum N. bona iidem recolebant, S. Pontificem Pium V. in allegata Const. §. 1 edixisse: *« Hac igitur nostra Constitutione statuimus, censum seu annuum redditum creari constituive nullo modo posse, nisi*

in re immobili aut quae pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, et quae nominatim certis finibus designata sit.» Quibus positis, quamvis idem Pontifex non prohibuerit generalem hypothecam super omnia bona imponi, constitui tamen non posse eandem generalem hypothecam ad tutandam census sortem, quin id quod ipse statuerit pervertatur.

Dubia.

I. «An, a quo, et a quo tempore sit locus solutioni fructuum » census Monasterio *(Monialium)* in casu.

II. » An et quomodo sit locus deletioni hypothecae in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 24 Augusti 1867 respondere censuit: Ad I. *Negative.* Ad II. *Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES :

I. Contractum census, qui plures variasque formas habuit, post celebrem Constitutionem S. Pii V. in locis ubi ea vigeat, consistere in quadam emptione fructuum animorum, qui ex re aliena determinata et circumscripta, et natura sua frugifera prodeunt.

II. Quare, perempto fundo censito, eo ipso perire ius percipiendi fructus seu censum.

III. Peremptioni fundi aequiparari usurpationem fundi violenter factam, quoties spes evanuerit fundum usurpatum vindicandi.

IV. In peremptione fundi censiti, non iuvare creditorem hypothecas ad securitatem census super bona debitoris inscriptas. Perempto enim fundo censito sine culpa debitoris eo ipso perimi quodlibet creditoris ius.

V. Extincto iure exigendi censum, defuisse Monialibus etiam titulum aequitatis habendi a Gubernio aliquam damni compensationem; cum non ipsae hoc damnum subiissent.

Die 27 Iulii 1867.

Summaria precum. Extat in Urbe quaedam sacra aedes S. Marthae, quae curae cuiusdam" religiosae familiae concredita est. Pius Canonicus Ludovicus Canossa Cappellani in ea aede erexit, eamque S. Hieronymo dicavit. Anno 1626 legatum reliquit pro quatuor Missis in ea Cappella celebrandis singulis hebdomadibus, nec non pro pensili lampade, quae ante altare iugiter arderet.

Hoc legatum auctum fuit a Canonico Antonio Noci : hic enim aliud legatum reliquit, quo celebrandam constituit alteram hebdomadalem Missam, et id quod superesset impendi voluit in sacra Cappellae utensilia.

Haec legata consistebant in novem Locis Montium a Testatoribus determinatis (1), et exsecutioni mandari debebant ab haerede, qui fuit Capitulum ad quod uterque Canonicus pertinuerit.

Capitulum haeres apud se retinens determinatam Cappellae dotem dispositiones Testatorum implevit. Constabat autem ex quadam vetusta sententia: «Capitulum non teneri neque obli-
» gatum esse manutention^ seu supplere dicta Loca Montium,
» sed omne commodum et incommodum, periculum, reductio-
» nem cedere debere commodo vel damno eiusdem Cappellae.»

Redditus Locorum Montium per varias reipublicae vicissitudines paullatim admodum sunt imminuti; hac de causa S. Congregatio Concilii anno 1713 hoc emisit rescriptum: *S. Congr., attenta relatione Emi Card. Carpinei benigne commisit eidem, ut, veris existentibus narratis et vocatis si qui fuerint vocandi quoad dispositionem Ludovici Canossa, proportionata reddituum quantitate, tot Missas lectas, ad rationem eleemosynae manualis, more Urbis*

(t) Loca Montium non sunt aliud nisi quaedam species reddituum seu censuum, qui emuntur a Principe seu republica mediantibus uteris patentibus ac registris publicis, quae sunt loco Instrumenti.

inspecto, pro suo arbitrio et prudentia gratis celebrari mandet. Quo vero ad onera iniuncta a quodam Antonio Noci, ea proportionaliter pro suo arbitrio et prudentia moderetur atque reducat; ita tamen ut si quando augeantur redditus, ea onera pariter proportionaliter augeantur, quod in actu praesertim visitationis erit inspiciendum.

Et re iterum cognita anno 1826, S. Visitatio Apostolica decrevit Missas eorumdem legatorum celebrandas esse eleemosyna oboi, sexdecim.

Verum hisce postremis annis illi Religiosi quorum curae commissa est aedes S. Marthae supplicem libellum obtulerunt. SSmo Patri affirmantes ab anno 1806 se nihil a dicto Capitulo recepisse pro adimplemento onerum si parva exciperetur pecuniae summa soluta ad quasdam levioris momenti reparaciones in ea Cappella faciendas, et rogabant ut dignaretur decernere quid de dicta reductione esset sentiendum ; seu potius quid de solutionibus praeterito tempore a Capitulo non factis, et quid de iisdem in posterum faciendis statuendum esset.

Petitis de more informationibus, Capitulum inquit, omnes redditus absorben ab eleemosynis Missarum quamvis hae essent ad tenuem eleemosynam redactae : cum autem dicta aedicula S. Marthae fere semper clausa esset, tum ob hanc rationem, tum etiam ob eleemosynae Missae tenuitatem, Capitulum ipsum facultate obtenta, easdem Missas celebrare fecisse extra Urbem: proponebat autem modo ut tum Missarum celebratio, tum Cappellae dos transferretur ad dictam Cappellani S. Hieronymi.

Procurator Ordinis eorum Religiosorum, cuius curae aedes S. Marthae commissa est, rescripsit, Capitulum restituere debere illam pecuniae summam, quae supererat antequam redditus Locorum Montium reducerentur, scilicet ab anno 1798 usque ad annum 1815: restituendam nimirum censebat dictus Procurator pecuniam impendendam in lampadis usum et Cappellae manutentionem, quam pecuniam eo temporis intervallo Capitulum non solvit, quamque ascendere inquiebat ad scut. 153.

Emus Urbis Vicarius re enarrata censebat non esse amplius locum ad inquirendum quid Capitulum acceperit quidque dederit, post fere elapsum saeculum et post duo Apostolica Rescripta anni 1713 et 1827 quae, causa cognita, emissa sunt.

RESCRIPTUM: S. Congregatio Concilii, *re per summaria precum* proposita die 27 Iulii 1867, respondere censuit: *Quoad praeteritum iam provisum; quoad futurum esse locum celebrationi Missarum in Cappella S. Hiey*onymi ad S. Martham, proportionata Missarum numero hodiernis redditibus ad rationem eleemosynae manualis Urbis et praeelevata taxa pro sacris utensilibus: in reliquis lectum; facto verbo cum SSmo.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Missarum legata, quorum fundi fuerint a Testatore *taxative* definiti, si imminuantur, imminui quoque oportere Missarum numerum, proportione servata iuxta eleemosynam manualem vigentem, seu synodalem taxam.

II. Nec negligi debere in eiusmodi reductione caetera onera, quae forte cum Missis celebrandis cohaereant, cuiusmodi in praesenti casu erat utensilium manutentio.

III. In reductione facienda prae oculis habendam esse Testatoris mentem, quae servari debet quantum servari potest.

IV. Colliges denique, Testatorum voluntatem neque immutari neque temperari posse sine Apostolica facultate.

EX S, CONGREGATIONE SS, RITUUM.

AMERIMA.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS
VENERABILIS SERVI DEI

P. FR. GENEROSI MARIAE A PRAEMOSELLO

SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS MINORUM
S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Die SI Augusti 1867.

Post ordinarium Processum super sanctitate vitae, virtutibus et miraculorum fama supradicti Servi Dei in Amerina Curia constructum: post informationem S. Sedi exhibitam ad obtinendam Signaturam Commissionis introductionis causae; post Signaturam obtentam, de qua loquuti sumus in *Vol. U,pag.* 36 *et seqq.* antequam expediantur remissionales Litterae pro Apostolicis Processibus construendis, necesse est ut constet obtemperatum fuisse Decretis Urbani VIII. de cultu publico ecclesiastico Servis Dei nondum canonizatis haud exhibendo, ut iam diximus in simili causa *Vindobonen.* in praecedenti fasciculo relata *pag.* 266. Quod quidem est praesentis Causae obiectum.

Confecto itaque in Curia Amerina processiculo *super non cultu;* emissa ab Ordinario sententia pro cultus exclusione, iudicandum supererat a S. Sede utrum haec sententia confirmari mereretur, ut inde ad ulteriora procedi possit.

Confirmatio autem huius sententiae ex duplici capite pendet; in examen scilicet revocantur huius processiculi tabulae, an fuerint rite confectae; nec non sententia emissa, an iusta fuerit.

Orator itaque Venerabilis Servi Dei causam dicens, tum validitatem processus ostendit, tum sententiae iustitiam.

CIRCA PROCESSUS VALIDITATEM. — Satis Oratori fuit per summa delineamenta processus telam describere ut eiusdem validitas refulgeret. Et sane ad instantiam Postulatoris huius causae, Amerinus Episcopus tres e suae cathedralis ecclesiae Canonicos deputava , quorum unus Iudicis Delegati, alii duo vero Iudicum Adiunctorum munere fungi deberent: Promotorem designavit,

Notarium Cursoremque : ii omnes officium acceptaient, seque officio assumpto rite perfuncturos iurarunt sive in eo quod ad secretum servandum attinet, sive diligentiam et fidelitatem.

Tum vero causae Postulator, exhibitis testium quos induxerat nominibus articulisque pro eorum examine, dies, horas, loca destinari petiit: sed designatus Promotor iuramentum, quod *de calumnia* vocant, a Postulatore emittendum exegit, quod ille praestitit: destinati sunt dies, horae, loca: ad negotium citius expediendum vocatus est Amanuensis, qui se iuramento devinxit secreto exscribendi actorum, dum conficerentur, transumptum. Deinde Cancellarius episcopalis, qui primordialia haec acta scripserat, servatis de more servandis, omnia tradidit Actuario, et absoluta est sessio.

Altera die, adstantibus Iudice Delegato, Iudicibus Adiunctis et Promotore , tres ex inductis a Postulatore testes qui citati fuerant, iurarunt de veritate in examinibus aperienda secretoque servando. Inde Promotor exhibuit sua interrogatoria, et incoeptum est testium examen secreto; dimisso scilicet Postulatore aliisque quibus interesse vetitum est, clausaque ianua.

Caeterorum testium examen pari modo incoeptum est et absolutum. Omnes enim super interrogatoriis prius Promotoris, deinde vero super articulis a Postulatore propositis examinati sunt. Omnes rite citati, omnibus delatum idem iuramentum quod tres illi primi praestiterant, omnes, cum suspendi oporteret examen, moniti qua die adesse deberent. In examinum vel absolutione vel suspensione, clausa sigillisque semper munita fuere interrogatoria et testium responsa, singulisque examinum sessionibus subscripsere Iudices, Promotor, Actuarius.

Denique, cum singuli testes a Postulatore inducti examen subiissent, neque huic praesto essent alii quos induceret, duos ex proprio officio Promotor citari iussit, quos, post consuetum iuramentum, de more Iudices examinarunt.

Hisce omnibus absolutis, Postulatore instante, Venerabilis Servi Dei sepulcrum, cellam in qua obierat, adnexumque coenobium visitare statuerunt. Sed cum alter ex Adiunctis Iudicibus visitationi interesse nequiret, alius suffectus est ab Episcopo, iuramento delato. Itaque, statuta die, Iudices templum, in quo condita iacent Venerabilis Servi Dei ossa, adierunt: et postea-

quam a iuratis testibus sepulcri locum noverunt, sepulcrum ipsum, templum, loca adnexa, cubiculum eiusdem, coenobium diligenter inviserunt, neque ullum vetiti cultus reperierunt indicium. Alios etiam iuratos testes vocarunt, quorum responsa nullum extare vetitum cultum comprobarunt. Ita absoluta visitatio.

In altera sessione, cum nihil obesset, prolata est a Iudicibus sententia quoad exclusionem vetiti cultus. Post haec publicatus fuit processus. Cum vero Amanuensis ab initio electus, onus sibi commissum acta exscribendi explevisset, (quae quidem acta, teste Actuario, clausa ei tradebantur), electus fuit Notorius Adiunctus, qui iuramenti religione devinctus transumptum cum originalibus processus tabulis conferret: collatione rite peracta, authenticum et verax transumptum Iudices declararunt, qui denique Portitorem elegerunt, ut illud clausum suisque obsignatum sigillis Romam, prout iuravit, deferret.

DE IUSTITIA SENTENTIAE. Post enarra tam processus structuram, qua inspecta, idem de nullitate redargui nullimode poterat, gradum de more faciebat ad ostendendam latae sententiae iustitiam: quod quidem facile breviterque peregit. Namque nihil erat circa sepulcrum, quod illud a caeteris distingueret, si excipias brevem inscriptionem , quae nomen et eiusdem obitus annum exhiberet: item inferebantur testes, circa sepulcrum lumina accensa non fuisse, quod siquando a quopiam candela fuerit accensa, eam statim a coenobitis fuisse amotam: neque anàthemata seu appensa donaria aliaque huiusmodi circa sepulcrum reperiri. Etsi enim fideles non pauci signa obtenti beneficii per Servi Dei intercessionem aliquoties ad sepulcrum reliquissent, coenobitas sedula vigilantia illinc amovisse.

Quamvis autem Servi Dei imagines cusae vel depictae fuerint, neminem tamen in iis signum aliquod vidisse quod cultum redoleret, sive de radiis vel aureolis loquaris, sive de supposito titulo aut inscriptione; neque unquam venerationi fuisse expositas.

Item quoad Servi Dei reliquias testes pariter affirrnabant, easdem publicae venerationi fidelium non vidisse expositas; quin imo, quamvis petentibus nonnullae reliquiae distributae fuissent, tamen iis additum non fuisse documentum, quod earum audientiam comprobaret.

Haec inter caetera deduxit Orator. A disceptatione referenda abstinemus, cum nihil gravis momenti in ea fuerit animadversum.

Ex HIS COLLIGES:

In causis Servorum Dei, quamvis de actis ex praescripto peragendis agatur, quae remote admodum ad canonizationem referuntur, ea tamen summa diligentia geri.

EX SECRETARIA BREVIUM.

LITTERAE APOSTOLICAE.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

rAPAE IX.

QUIBUS CARDINALIS HIERONYMUS D'ANDREA AD INSIGNIA ET PRIVILEGIA CARDINALITIAE DIGNITATIS RESTITUITUR.

PIUS PP. IX.

Ad futuram rei memoriam.

u Apostolici Nostri officii memores per similes in forma Brevis Litteras die 12 Iunii 1866 datas Hieronymum D'Andrea S. R. E. Cardinalem Episcopum Sabinensem, et Antistitem Commendatarium Abbatiae Sublaquensis, utpote quod contra canonicas sanctiones, et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, Nobis renuentibus, aliasque regiones ad curandam valetudinem suadentibus, Neapolim commigrasset, ibique contra voluntatem Nostram commorari pergeret, et aliis pluribus gravioribusque de causis ab administratione utriusque dioecesis ad Nostrum et S. Sedis beneplacitum suspendimus, et Apostolicos administratores eisdem dioecesibus praefecimus. Postea vero per similes Nostras pariter in forma Brevis Litteras die 29 Septembris superioris anni 1867 evulgatas gravissimis Nos permoti causis

prout in memoratis Litteris videre licet, dictum Cardinalem ab omnibus iuribus, privilegiis et insignibus Cardinalitiae dignitatis, ac potissimum a voce activa, et passiva .in electione Summi Pontificis suspendimus, eique trium mensium terminum adsignavimus, a datis iisdem Litteris computandum, infra quem personaliter, et cum effectu coram Nobis sistere se deberet ad audienda humiliter mandata Nostra, quo termino inutiliter elapso, ipsum tum Cardinalatu et Episcopatu Sabinensi, qui eius Cardinalatui adnexus est, tum Abbatia Sublaquensi, aliisque Beneficiis privatum iri declaravimus. Nunc vero, quum memoratus Cardinalis infra dictum temporis spatium in urbem reversus admissa sua scripto reprobaverit (1), illum apud Nos excipiendum, et honores, ac privilegia Cardinalitiae dignitatis eidem restituenda censuimus. Nos itaque memoratum Cardinalem Hieronymum D'Andrea ad insignia, honores, ac privilegia Cardinalitiae dignitatis, ac proinde ad vocem activam et passivam in electione Summi Pontificis iVuctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium restituimus. Quod vero spectat ad regimen Ecclesiae Sabinensis, et Abbatiae Sublaquensis, eas curari ac regi volumus ab Apostolicis Administratoribus a Nobis deputatis, donec aliter per Nos, et Aposto-

(1) la officiali Urbis ephemeride diei T Ianuarii hunc articulum legimus, qui, latino sermone, in quem accurate vertimus, sic sonat: « Die 14 elapsi Decembris, cum Neapoli Romam reversus esset Eifius ac Remus D. Card. Hieronymus De Andrea, Sanctissimus Dominus Noster, iuxta Breve Apostolicum *Quamquam illius,* **die 29 Septembris 1867 editum, mandata sua per Antistitem Patriarcham Constantinopolitanum, Sacri Collegii a Secretis, ad eumdem dedit, caeteris deinceps significandis sibi reservatis. Iuxta ea mandata, idem Cardinalis De Andrea hunc retractationis actum ad SSmum Patrem misit. »**

«Subscriptus Cardinalis obediens Sanctissimi D. N. mandatis, haec declarat:

l.°Se inobedientiae suae, quam Neapolim vetante Pontifice contendens admisit, veniam petere.

2." Se scandalum fidelibus datura deplorare sua agendi ratione erga Sacram Sanctissimi Patris Personam, et Sacras Congregationes suis scriptis, et communicationibus a se habitis cum *Examinatore* **Florentino, cuius doctrinas, ab Eodem SSiño P^tre uti haereticas atque schismaticas habitas, se reprobare.**

3." Lateris communi Episcoporum Catholicorum suffragio datis Romae mense Iunio 1867, se integre adhaerere.

4." **Protestationes atque alios actus ab se contra publicationem Brevis diei 12 Iunii 1866 factam emissos, se reprobare.**

o.° A Sanctissimo Patre suisque Collegis, atque aliis, qui a se quoquomodo laesi sunt, veniam humiliter se exposcere.

» Romae die 26 Decemb. 1867.

» HIERONYMUS Card. DE ANDREA

^Episcopus Sabinae, Abbas Sublacensis.»

licam Sedem statuatur. Haec volumus et mandamus, contrariis etiam speciali mentione dignis minime obstantibus quibuscumque.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XIV. Ianuarii anno MDCCCLXVIII.»

Pontificatus Nostri Anno XXII.

N. Card. PARACCJANI CLARELLI.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS ORDO EQUESTRIS S. SEPULCRI HONORIS INSIGNIBUS DECORATUR.

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Cum multa sapienter ad Sanctissimae Religionis nostrae utilitatem a Pontificibus Maximis Praedecessoribus Nostris constituta et perfecta sunt, tum illud profecto quod instituendis deferendisque virtuti honoribus et praemiis catholicos homines ad bene de christiana republica merendum in dies magis omni studio inflammarunt. Illorum praeclara exempla Nos intuentes, Apostolici Ministerii Nostri esse duximus, ut curas illuc nostras intenderemus hac praesertim aetate tum scelerum tum magnarum etiam foecunda virtutum, quae splendorem suum longe lateque protulerunt. Hinc Nos, qui a primis Pontificatus Nostri annis equestrem Ordinem Pianum Apostolica Auctoritate constituimus, nunc ultro animum ad Ordinem Equestrem S. Sepulchri novo decore augendum ornandumque adiicimus, ex quo nempe non parvum utilitatis fructum catholicae Religioni in sacratis Palestrae regionis terris obventurum esse confidimus. Hic namque Ordo, originis antiquitate commendatus, ac deinceps Praedecessorum Nostrorum auctoritate curisque excultus, ex institutione sua eo potissimum spectat, ut hominum studia ad defendendam et promovendam catholicam religionem in locis terrae sanctae incendantur, eorumque merita debito honoris praemio cohonestentur. Illud enim Nobis ex certa monumentorum fide comper-

tum est, iam inde a saeculo christiani aevi XV. Custodem, (seu uti vocant) Guardianum Religiosae Familiae Minorum Observantium S. Francisci Hierosolymis degentis, in equestrem Ordinem S. Sepulchri, viros optime de religione méritos ex concessione Apostolica adscivisse, atque ex eo tempore iam viguisse leges ac Statuta quaedam generalia quoad praedictos Equites, quae a fel. rec. Benedicto XIV Praedecessore Nostro" Apostolicis Litteris sub plumbo editis anno MDCCXLVÍ. incipientibus. - In supremo militantis Ecclesiae - renovata sunt, novisque legibus ac praescriptionibus munita. Iam vero Nos eiusdem equestris Ordinis Dignitatem prae oculis habentes, anno MDCCCXLVIL Litteris a Nostra Congregatione Fidei Propagandae datis die X. Decembris et Nostra auctoritate sancitis, de iis opportune statuimus quae ad regimen Patriarchalis Sedis Hierosolymitanae latini ritus pertinebant, eodemque anno exercitium iurisdictionis latini Patriarchae Hierosolymis restituimus, iisdemque pariter litteris ius instituendi Equites S. Sepulchri ad commemoratum Patriarcham privative transtulimus, adeo ut ipse deinceps uti legitimus equestris eius Ordinis Administrator et Rector delegatione ac nomine Apostolicae Sedis, equestrem dignitatem conferre posset. His vero de administratione et regimine Ordinis Auctoritate Nostra constitutis, intelleximus deinde, nonnulla esse quae ad ampliorem eiusdem splendorem opportune constituenda viderentur. Nuper enim Venerabilis Frater Iosephus Valerga Hierosolymitanae Ecclesiae Patriarcha Latinus exponendum Nobis curavit, quum unicus dumtaxat Equitum gradus in Ordine S. Sepulchri ab origine sit institutus, necessario fieri ut in remunerandis viris optime meritis nullum haberi possit honoris discrimen, quod dispar meritorum ratio, et maioris fastigii dignitas saepe requirunt, atque inde etiam consequi ut, aut paucis idem honor reservari debeat, aut communicata cum pluribus eius gloria, ipse honor apud maiorum meritorum et ordinum homines obsolescere videatur. Quamobrem idem Venerabilis Frater, ut aliquod remedium huic incommodo afferri possit a Nobis postulavit ut equestrem ordinem S. Sepulchri in tres Equitum gradus divideremus. Nos itaque et eiusdem Venerabilis Fratris postulationibus obsecundare volentes, et amplitudini praedicti Ordinis consulere cupientes, tribus Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus commisimus,

ut de re tota cognoscerent, suamque Nobis sententiam significarent. Perspecta autem sententia eorumdem Cardinalium qui Venerabilis Fratris Patriarchae Hierosolymitani postulationibus annuendum censuerunt, Nos rebus omnibus mature perpensis, Auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium statuimus, atque decernimus, ut deinceps Ordo equestris S. Sepulchri tribus omnino constet distinctis Equitum gradibus, nempe, Equitum primae classis, seu Magnae Crucis, equitum secundae classis, seu Commendatorum, et Equitum tertiae classis, qui omnes insigne, quod proprium est Ordinis, distincta ratione pro suo quisque gradu praeferre debeant. Insigne autem Ordinis, ex vetere eiusdem more Crux erit, quae a Godefrido Bulionio, magno illo celebris expeditionis *nd* recuperandam terram Sanctam duce, nomen habet; Crux nempe aurea encausto sanguinei coloris illita, quae quatuor inter minores aureasque cruces a lateribus haerentes, eodemque encausto **ilutas** praecellit; quae quidem maior Crux ad exclusionem quatuor minorum, eam formam praeseferat, quae potentiata dici solet. Religionis autem ratio postulat, ut nulla huic Cruci a vertice corona imponatur, nempe in memoriam pientissimi illius Ducis qui regium Diadema ibi accipere noluit ubi Christus Iesus spinea corona praecinctus apparuit. Taenia autem, ex qua Crux pendeat, serica erit undati operis, nigrantisque coloris, qualis in hoc Ordine adhiberi consuevit. Primae Classis Equites proprium Ordinis insigne ita deferent, ut e fascia serica praelonga praedicti coloris a dextèro humero ad sinistrum latus sustineatur. Concedimus autem, ut qui in hanc classem cooptati fuerint privilegio item polleant gestandi in sinistro pectoris latere magnum Numisma argenteum insigne Ordinis referens ad instar eorum numismatum quae ab Equitibus primae Classis aliorum ordinum aptata sinistro lateri deferri solent. Equites secundae classis, seu Commendatores insigne Ordinis maioris modali eadem ex taenia e collo appensum deferent. Equites demum tertiae classis, insigne ipsum minoris modali ex praedicta taenia pendens sinistro pectoris latere iuxta communem Equitum morem gerant. Quoniam vero Equites S. Sepulchri ex instituto propria veste utuntur albi coloris, ita volumus ut vestis ornamenta pro vario Equitum gradu differant, iuxta schema cuiusque classis proprium quod viris inter equites cooptatis tradetur. Confidimus autem ut praestantes

viri ad egregiam operam religioni navandam in locis terrae Sanctae inflammentur, atque omnes qui hisce insignibus decorati fuerint dignitati Ordinis ipsius sua virtute decus ac splendorem adiiciant. Ius eligendi atque instituendi Equites Venerabili fratri Patriarchae Hierosolymitano latini ritus eiusque successoribus item confirmamus, pro certo habentes magno semper in pretio apud omnes praedicti Ordinis dignitatem et amplitudinem futuram, quippe quod ex speciali ipsius Apostolicae Sedis delegatione et nomine eiusdem insignia conferantur. Volumus autem ut idem Patriarcha Hierosolymitanus latini ritus eiusque successor in praedictis insignibus tribuendis eam omnino normam praescriptionemque sequi debeant, quam Auctoritate Nostra sancitam eidem Patriarchae a Secretario Nostro Brevium tradi praecepimus. Haec volumus et statuimus non obstantibus quatenus opus est Nostrae et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non dicti Ordinis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus , aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis speciali etiam mentione dignis caeterisque contrariis quibuscumque.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV. ianuarii MDCCCLXV111. Pontifie. Nostri anno XXII.»

Loco s^Signi N. CARD. PARACCIANI CLARELLI

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI D. N.

GENERALIS INDULGENTIARUM CONCESSIO AD INFRASCRIPTAM ADSPIRATIONEM.

Beatissime Pater

SUPPLICES PRECES. « Rector et Consilium *Apostolatus precum* in Gallia, qui cultui Sacratissimi Cordis Iesu fovendo propagandoque adlaborant per ephemeridem, cui titulus, *Le Messager du Cœur de Jésus,* Sanctitatem Vestram humillime exorant, ut, ad incendenda efficacius Christianorum pectora eius amore, concedere dignetur illis, qui corde saltem contrito recitaverint versum iamdiu ab Ecclesia receptum - IESU MITIS ET HUMILIS CORDE FAC COR MEUM SICUT COR TUUM - indulgentiam trecentorum dierum, applicandam etiam fidelium animabus quae expiatorio igne purgantur.

RESCRIPTUM. «*Pro gratia in forma Ecclesiae consueta.* Die 25 Ianuarii 1868.» PIUS PP. IX.

«Huius rescripti exemplar authenticum exhibitum fuit in Secretaria S. C. Indulgentiarum in ea asservandum iuxta Decretum diei 14 Aprilis 1856 » A. COLOMBO Secret.

APPENDIX V.

litterae apostolicae, quibus constantinopolitana armenorum provincia, extincto primatiali atque archiepiscopali titulo, patriaroatui ciliciae coniungitur , et praecipua quaedam disciplinae capita constituuntur.

pius episcopus

servus servorum dei

Ad perpetuam rei memoriam.

« Reversurus ex hoc mundo ad Patrem Unigenitus Dei Filius Ecclesiae Suae divinam ordinationem ita constituit, ut, quemadmodum B.Leo PP. I. Decessor Noster monuit (1), cum inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris quaedam fuerit discretio potestatis, omniumque par esset electio, uni tamen scilicet Beatissimo Petro datum fuerit, ut caeteris praemineret. Huic enim soli a Christo Domino suprema potestas fuit attributa pascendi nedum agnos verum et oves, hoc est regendi et gubernandi universam Ecclesiam, ut iam in grege Christi non sit, qui Petrum Pastorem non agnoscat. «De » qua forma, ut ait idem B. Leo, » Episcoporum quoque est orta di» stiuctio et magna dispositione pro**o** visum est, ne omnes omnia sibi » vindicarent; sed essent in singulis » provinciis singuli, quorum inter » fratres haberetur prima sententia; » et rursus quidam in maioribus » urbibus constituti sollicitudinem » susciperent ampliorem, per quos » ad unam Petri Sedem universalis » Ecclesiae cura coöflueret, et nihil » umquam a suo Capite dissideret.» Quibus sane verbis Metropolitanum, ac Patriarcharum ecclesiastica institutio aperte designatur.

» Hinc factum est, ut in iis tantum amplioribus urbibus patriarchalis dignitas antiquitus constiterit, quarum Ecclesias B. Petrus fundaverat. Hinc factum est ut Patriarchis ipsis vix electis nil magis cordi fuerit, quam confirmationis litteras ab hac B. Petri Sede obtinere, per quam sciebant, largiente Domino, omnium solidari dignitatem sacerdotum et ab eadem ipsam patriarchalem auctoritatem promanare : hinc factum est, ut graviores ac difficiliores causae tam fidei quam disciplinae ad eamdem Sedem deferrentur, quae sola cunctas haereses etiam ante conciliorum Generalium definitiones auctoritate Sua interemit, et universalis Ecclesiae disciplinae cum opus fuit, latis etiam legibus providissime consuluit. Atque hanc constitutionem semper in Ecclesia fuisse religiosissime custoditam , universalium Conciliorum acta, SS. Patrum institutiones, at-

ti) **Epist, ad Anastasium Thessalonicen.**

que universae Ecclesiasticae historiae monumenta tam perspicue demonstrant, ut nemo ante funestissimum Orientis schisma praesumpserit hanc supremam Romanorum Pontificum auctoritatem in dubium revocare.

» Etsi autem schisma illud omnes ferme Orientales Ecclesias ab unitatis centro divulserit, haud tamen potuit hanc veritatem Catholicam in Ecclesia obscurare , vel saltera ex Orientalium animis penitus eradicare. Etenim praeterquam quod innumerabiles gentes in agnitionem veritatis ex idololatriae vel haereseos tenebris vocatae ad hanc Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem undique convenerunt aliaeque in dies conveniunt, ipsae etiam Orientalium Ecclesiae, quoties ad bonam frugem divina aspirante gratia reversae sunt, primatum nedum honoris, verum et iurisdictionis B. Petro Eiusque in Romana Cathedra successoribus a Iesu Christo Domino Nostro attributum solemniter professae sunt. Quem primatum , licet a vetustioribus etiam Conciliis et ab universa Ecclesia semper agnitum et summo in honore habitum, oecumenica Synodus Florentina, in qua Graeci sacrorum Antistites cum Latinis convenere, solemni dogmatico decreto asseruit, ut magis magisque inexcusabiles fierent qui tam perspicuam veritatem vellent inficiari.

» Atque utinam hoc fidei Christianae dogma Orientales Antistites constanter tenuissent! Neque enim eorumdem Ecclesiae in miserrimam illam conditionem cecidissent, in qua post conflatum vel instauratum schisma versantur. Siquidem praeter asperrimas calamitates quae earumdem defectionem ab hac Apostolica Sede consequutae sunt, etiam vigor canonum, et ecclesiasticae disciplinae honestas, et sacrae hierarchiae ordo et maiestas apud eas miserrime defecerunt. Et inscrutabili Dei iudicio factum est, ut Antistites earumdem Ecclesiarum, qui Supremi Ecclesiae Pastoris divinitus institutam auctoritatem contempserunt, laicorum quin et infidelium iugo premantur, ut neque ordinaria atque immediata Episcoporum iurisdictio in suas dioeceses, neque Patriarcharum in suos Episcopos canonica auctoritas sarta tecta manserit: quos contra monitum Apostoli suis clericis praeter canonum statuta dominantes, clerus ipse ac populus contra eorumdem canonum statuta vel a sua dignitate deficiunt vel eidem renunciare nunquam satis lugendo exemplo audacter compellunt.

» Tantam infelicitatem Orientalium Ecclesiarum miserati Romani Pontifices praedecessores Nostri nihil intentatum reliquerunt, ut aberrantes oves in unicum Christi ovile redderent. Quod assequi conati sunt plurimis datis ad Orientales Uteris etiam encyclicis, conciliis etiam generalibus celebratis, ac potissimum missis ad Orientales plagas Apostolicis viris, quorum sudore, labo-

ribus, atque aerumnis vineae illae dita florentissimae, tandem aliquando reflorescerent. Quod si curis atque laboribus cumulate non respondit fructus, haud tamen res in irritum cessit: siquidem multi, agnito errore, schismate eiurato ad Ecclesiae unitatem reverti festinaverunt, quos inter, ut caeteros hic praetereamus , Armeni recensendi sunt. Etsi autem propter humanam infirmitatem , hominum nequitiam ac temporum acerbitatem haud semel eorum antistites in errorem reversi fuere, ex ipsis tamen Armenis non defuerunt praeclarissimi viri , qui divina ope suffulti catholicam veritatem et unitatem restituendam curarent. Talis fuit Abrahamus Petrus primus, quem multis aerumnis pro catholica fide probatum Benedictus PP. XIV. decessor Noster Patriarcham Ciliciae renunciavit; quem deinde non interrupta Patriarcharum series huic Apostolicae Sedi firmiter adhaerentium subsequuta est. Praeclarum quoque fidei specimen extabuerunt Armeni Constantinopolim finitimasque provincias incolentes, qui licet persequutionibus exagitati, adduci tamen numquam potuere ut a catholica fide recederent, pro qua asperrima quaeque perpeti non dubitaverunt.

» Placuit tandem Omnipotenti Deo hisce malis finem imponere: qui dans vocem virtutis inclytis Christianorum Principum Legatis, eam mentem Summo Turcarum Imperatori iniecit, ut catholicos Armenios a schismaticis omnino separaret , eosque ab omni, qua antea tenebantur erga schismaticum Patriarcham subiectione, obedientia, parendique obligatione, vel sacris, vel civilibus in rebus perpetuo eximeret.

» Tunc reddita Catholicis Armeniis ecclesiastica libertate , placuit sa. mem. Pio Papae Octavo decessori Nostro Primatialem atque Archiepiscopalem Armenorum Sedem Constantinopoli erigere Apostolicis litteris. « Quod iamdiu, » die sexta Iulii anno Domini millesimo octingentesimo trigesimo sub annulo Piscatoris expeditos, eamque huic Beatissimi Petri Cathedrae arctius coniungere, ut quo magis illi adhaerere!, eo firmius et fructuosius in catholicae veritatis professione permaneret atque proficeret. « In Petro » enim, uti iam memoratus Sanctus » Leo (1) docuit, omnium fortitudo » solidatur , et divinae gratiae ita » ordinatur auxilium, ut firmitas, » quae per Christum Petro tribuitur, » per Petrum Apostolis caeteris conferatur.»

» Be autem catholica per memoratae Sedis Primatialis institutionem sic opportune constituta , potuimus Nos post aliquot annos episcopales quoque Sedes erigere (2) quarum Antistites Constantinopolitano Armenorum Archiepiscopo

(1) Serm. 3 in Annivers. Assumptionis suae.
(2) Litt. Apóstol. *Universi* **30 Aprilis 1850 -** *Assidua* **9 Maii 1865.**

primati suffragantur. Quin etiam Hispahanensem Armenium Episcopatum, extra fines Constantinopolitanae ecclesiasticae provinciae in Perside a Nobis erectum, eiusdem Primatis suffraganeum provisoria ratione decrevimus (1), donec catholicorum numero, Deo iuvante adaucto, opportuniori ratione providere liceret.

» Etsi vero tam feliciter Armenis Constantinopolitanae provinciae consultum fuisset, iisdem tamen satius esse videbatur, Primatialem Constantinopoleos et Patriarchalem Ciliciae Sedes in unum coniungi, quam unionem a fel. rec. Gregorio Papa Sextodecimo etiam Praedecessore Nostro et a nobis praefati Armeni non semel efflagitaverunt. Sed graves iustaeque causae obstiterunt, quominus haec eorum vota possent expleri. Novissime autem post obitum bo. me. Gregorii Petri Octavi postremi Ciliciae Patriarchae, Episcopi eiusdem Patriarchatus s,ynodaliter convenientes ad Successoris electionem peragendam in eamdem sententiam devenerunt, atque huic fini assequendo Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium Hassun hactenus Archiepiscopum Primateát Armenorum Constantinopoleos in Patriarcham Ciliciae elegerunt seu postulaverunt, Nos humillime obsecrantes, ut nedum hanc electionem confirmare, verum et memoratam coniunctionem earumdem Armeniarum Sedium indulgere dignaremur, et hac ratione Catholicis Armeniis decus atque ordinem unitatis tam quoad iurisdictionem quam circa disciplinam tribueremus.

» Re itaque per Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationis christianae Fidei propagandae pro Orientalium Ecclesiarum negotiis praepositae accurato examine perpensa, Nos Armenorum votis annuendum esse censuimus.

» Quapropter, exorato ad tanti momenti negotium definiendum divinae gratiae praesidio, ad laudem et honorem Omnipotentis Dei et SSmae Genitricis Dei Mariae sine labe couceptae ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, nec non in Catholicae Fidei exaltationem, Apostolica qua pollemus in universam Ecclesiam auctoritate, tenore praesentium extinguinîus et abolemus titulum Primatialem atque Archiepiscopalem, quo memoratus Pius Praedecessor Noster supradictis Apostolicis litteris Armeniam Constantinopolitanam Ecclesiam decoravit. Deinde pari auctoritate Constantinopolitanam Ecclesiasticam Armenorum Provinciam Patriarchatui Ciliciae perpetuo unimus; mandantes, ut novus Patriarcha, eiusque Successores titulo fruantur Patriarcharum Ciliciae Armenorum : ut iidem in Urbe Constantinopolitana resideant, eamdemque Constantino-

(1) **Litt. Apost.** *Ad supremum* **30 Aprilis 1850.**

politanam Ecclesiam Ordinaria iurisdictione gubernent. Volumus au-? tem ut praedictus Patriarchatus iisdem limitibus coerceatur, quibus Ciliciae Patriarchatus et Primatiatus Constantinopolitanus in praesentiarum continentur.

» Quo vero haec ferme nova Patriarchatus Armenii constitutio in bonum cedat animarum, atque ut gravissima damna, quae ex incerta vel minus apte constituta ecclesiastica disciplinajäolent derivari, propulsentur atque arceantur, Motu proprio, certa scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine praecipua quaedam eiusdem disciplinae capita (salvis tamen ritibus Orientalium a Sanctis Patribus institutis et ab hac Apostolica Sede probatis) in memorato Patriarchatu perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observanda tenore quoque praesentium constituimus atque sancimus.

» Ac primo quidem praetensum quoddam Capitulum, quod ante triennium a nonnullis Armeniis presbiteris primo expetitum defunctus Patriarcha Gregorius Petrus Octavus anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo primo , uti accepimus, illegitime erexerat, cui etiam quaedam praetensa iura seu privilegia attributa fuerant episcopali quin et patriarchali dignitati iniuriosa, itemque alia praetensa capitula, si quae fortasse intra fines eiusdem Patriarchatus uti supra instituta sint, praedicta Nostra Apostolica auctoritate abolemus ; prohibentes , ne in posterum similia capitula in Armenio Patriarchatu umquam instituantur.

» Vacante Sede Patriarchali, nemini umquam, qui episcopali charactere non fulgeat, fas sit suffragium ferre in electione Vicarii, qui vacantem Patriarchatum gubernet atque administret.

» In electione autem Patriarchae solis Episcopis ius erit suffragii ferendi , exclusis omnino Clericis et Sacerdotibus , qui episcopali charactere non polleant. Nemo vero laicorum in eadem electione semet inserere , ullamque partem possit habere quovis quaesito colore vel praetextu.

» Porro electum Patriarcham neque, uti aiunt, inthronizari, neque ullum ius aut iurisdictionem , ne procuratòrio quidem aut vicario nomine vel titulo, in Patriarchatum habere volumus, nisi prius eiusdem electio seu postulatio a Nobis vel a Romano Pontifice pro tempore existente fuerit admissa et de more confirmata, atque Apostolicae litterae confirmationis eiusdem fuerint expeditae, sublata qualibet contraria consuetudine.

» Eidem Patriarchae , quamvis ab Apostolica Sede uti supra confirmato, non licebit Episcopos consecrare nec convocare concilium, nec chrisma conficere, neque ecclesias dedicare, nec clericos ordinare antequam ab Apostolica Sede sacrum Pallium obtinuerit.

» Praedicto autem Pallio Patri-

archa uti tantum poterit in Missarum solemniis intra fines et in ecclesiis sui Patriarchatus sequentibus dumtaxat diebus; videlicet in Nativitate Domini Nostri Iesu Christi, in festis Sancti Stephani Protomartyris , Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae, Circumcisionis Domini , Epiphaniae eiusdem, Dominicae in palmis, Feriae quintae in Coena Domini, Sabbathi Sancti, Dominicae Resurrectionis cum duobus sequentibus diebus, Dominicae in Albis, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes , Sacratissimi Corporis Christi, nec non in quatuor festivitatibus Beatae Mariae semper Virginis , videlicet Purificationis , Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis eiusdem; quibus, id humillime postulante praefato Venerabili Fratre Nostro Antonio Hassun electo seu Postulato Patriarcha Armenorum Ciliciae, addimus festum Immaculatae Conceptionis eiusdem Dei Genitricis Mariae: item in festis Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae et Omnium Sanctorum , nec non in festivitatibus omnium Apostolorum, in dedicatione Ecclesiarum, in praecipuis Ecclesiae suae festivitatibus, in Ordinationibus clericorum, in consecrationes Episcoporum et Virginum, atque in diebus anniversariis tam consecrationis suae quam dedicationis ecclesiae.

» Sacra limina Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli singulis quinquenniis Patriarcha personaliter et per se ipsum visitabit, Romanoque Pontifici pro tempore existenti rationem reddet de toto suo pastorali officio, ac dé rebus omnibus ad patriarchatus sui statum pertinentibus; eiusdemque monita et mandata humiliter excipiet ac diligentissime exequetur. Possessiones voro pertinentes ad Ecclesiam vel mensam suam, sive ad alias quascumque Ecclesias, vel loca pia sui Patriarchatus non poterit idem Pa-> triarcha vendere, aut donare, vel oppignerare , aut de novo infeudare , vel alio quocumque modo alienare, neque assentiri, ut a quovis alienentur, inconsulto Romano Pontifice, secundum formam iuramenti , quod electi Patriarchae Orientalis ritus in sua promotione emittere tenentur.

» Verum nihil magis animum Nostrum sollicitat atque angit, quam provida Episcoporum electio, a qua praecipue pendent felicitas populorum, ordo ecclesiasticae disciplinae, atque aeterna animarum salus. Animò igitur assidue recolentes, quod sanguinem ovium Christi, quae peribunt ex malo regimine pastorum negligentium, et sui officii immemorum, de manibus Nostris sit requisiturus Dominus Noster Iesus Christus, qui humilitati Nostrae universae Ecclesiae, quanta illa est, regimen et sollicitudinem demandavit, ea quae sequuntur, circa electionem Episcoporum Armenii Patriarchatus, pro Apostolici Nostri ministerii officio ac de Nostrae potestatis plenitudine, tenore

praesentium statuimus atque decernimus.

» Quoties aliquam dioecesim memorati Patriarchatus vacare continget, Patriarcha quamprimum synodum indicat universorum Episcoporum eiusdem Patriarchatus; quo facto, ab eodem Patriarcha et Episcopis synodaliter congregatis tres idonei Ecclesiastici viri, collatis consiliis , Romano Pontifici pro tempore existenti proponantur, ut ex illis digniorem* et magis idoneum eligere, et vacanti Episcopali Sedi providere possit. Non dubitamus autem, quin iidem Episcopi dignos ac vere idoneos viros proponere studeant, ne umquam cogamur Nos vel Successores Nostri pro eiusdem Apostolici ministerii officio alium, licet ab eis non propositum, episcopali dignitate augere, et vacanti Ecclesiae praeficere. Quod si propter instantem necessitatem, aut itineris longitudinem universi Episcopi ad synodum uti supra a Patriarcha in**dicatam** accedere non poterunt, tres saltem Episcopi propriam dioecesim cum iurisdictione habentes una cum memorato Patriarcha in eamdem synodum omnino conveniant, absentibus ternariam suam propositionem scripto significantibus. Volumus autem ut universa acta eiusdem Synodi ad praefatam Congregationem de Propaganda Fide Orientalium Ecclesiarum Negotiis praepositam per nostrum et huius Sanctae Sedis Apostolicum Delegatum transmittantur, ut diligenti primum trutina ab eadem Congregatione expensa, demum Nostro et Successorum Nostrorum iudicio subiiciantur.

» Dum autem haec pro Armeniorum Antistitum electione decernimus, haud obliviscimur reliquorum Patriarchatuum ritus Orientalis, pro quibus etiam hoc gravissimum de Episcoporum electione negotium quamprimum moderandum curabimus, uti iam venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis Maronitarum et Melchitarum, aliisque Orientalibus Praesulibus Romae in praesentia commorantibus palam ediximus.

» Haec volumus, praecipimus atque mandamus, decernentes irritum atque inane , si quid contra praemissa a quolibet quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit atteutari; ac reservantes nobis et Successoribus Nostris ea in posterum sancire, quae in memorato Ciliciae Patriarchatu pro temporum, locorum ac personarum rationibus magis in Domino expedire dignoscentur.

» Decernimus quoque praesentes Nostras litteras semper et quandocumque validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, quin ullo umquam tempore ex quocumque capite vel causa de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel de Nostrae intentionis defectu notari aut impugnari possint ; sicque et non alias per quoscumque iudices or-

dinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere.

» Non obstantibus Nostra et cancellariae Nostrae Apostolicae regula « De iure quaesito non tollendo » ac quibusvis aliis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ; dictarumque Ecclesiarum Patriarchalis Ciliciae et Primatialis Constantinopoleos etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis atque indultis et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam insolitis clausulis et decretis concessis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide harum quoque serie Motu pari derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

» Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae extinctionis, unionis, abolitionis, constitutionis, prohibitionis, inhibitionis, praescriptionis, praecepti, mandati, decreti, voluntatis, intentionis, reservationis et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo, quarto idus Iulii, Pontificatus Nostri Anno vigesimo secundo. »

Franciscus Vici Subdatarius

N. Card. PARACCIAWI CLARELLI

Visa de Curia

D. Bruti

Loco Plumbi

I. Cugnonius

LITTERAE APOSTOLICAE, QUIBUS R. P. D. ANTONIUS PETRUS HASSUN ARMENIO CILICIAE PATRIARCATUI PRAEFICITUR.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ven. Fratri Antonio Petro Hassun nuper Armenorum Archiepiscopo Primati Constantinopolitano in Patriarcham Ciliciae electo seu postulato, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Commissum humilitati nostrae ab aeterno Pastorum Principe officium pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, illud imprimis postulat, ut Ecclesiis omnibus, praesertim autem patriarchalibus, dignos ac vere idoneos pastores praeiiciamus, qui populum sibi concreditum qua voce , qua opere, qua exemplo ab venenatis pascuis arceant, ad salutaria propellant, ac per semitas mandatorum Dei indesinenter conducant.

» Sane vacante patriarchali Ecclesia Ciliciae Armenorum, cui novissime praesidebat bo. me. Gregorius Petrus VIII., qui extra Romanam Curiam naturae debitum persolvit, Ven. Fratres Nostri Episc. Catholici eiusdem Patriarchatus in Armeniam Ecclesiam S. Mariae in caelum assumptae MontisLibani sy nodaliter convenientes, praeside Ven. Fratre Nostro Iosepho Valerga Patriarcha Hierosolymitano, ac Nostro et huius S. Sedis Apostolicae in Syria Pro-Delegato, Te hactenus Archiep. Primatem Armenorum Constantinopoleos in suum Patriarcham elegerunt seu postulaverunt, Petrum IX appellantes; datisque ad Nos obsequentissimis litteris rogaverunt, ut praedictam postulationem admittere vellemus, quam a se factam fuisse professi sunt, ut hac ratione facilius a Nobis indulgeretur iamdiu ab Armenis expetita coniunctio Primatialis illius sedis cum memorato Ciliciae Patriarchatu. Quorum votis annuentes, aliis Apostolicis litteris hac ipsa die sub plumbo expeditis, primatialem atque archiepiscopalem titulum praedictae Constantinopolitanae Sedis extinximus, eiusque ecclesiasticam provinciam praefato Patriarchatu perpetuo univimus, latis etiam nonnullis legibus ad instaurandam eiusdem disciplinam omnino necessariis.

» Cura vero probe noscamus, Te iamdiu eximia Tuae religionis, pietatis, ac sanae salutarisque doctrinae et erga Nos et hanc Petri Cathedram fidei et observantiae, atque Episcopalis in re catholica et Ecclesiae libertate tuenda fortitudinis specimina praebuisse ; simulque attendentes quod Fidei Catholicae professionem iuxta formam a sa. me. Urbano PP. VIII.praedecessore Nostro Orientalibus praescriptam coram dilecto Filio Nostro Alexandro Tituli S. Susanuae S. R. E. Presbytero Cardinali Barnabò S. Congregationi de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis Praefecto solemniter emisisti, nec non debitae Nobis Nostrisque Sue-

cessoribus fidelitatis iuramentum in manibus Nostris praestitisti, de Ven. fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium praedictae Congregat, consilio, electionem seu postulationem huiusmodi iuxta decretum memoratae Congregationis Apostolica auctoritate tenore praesentium admittimus , probamus, et confirmamus, atque omnes et quoscumque defectus etiam substantiales, si qui in ipsam electionem seu postulationem irrepserint sanamus.

» Te autem a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure aut ab. homine latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio, Patriarchali Ecclesiae Armenorum Ciliciae Apostolica auctoritate praeficimus, curam regimen atque administrationem illius in spiritualibus et temporalibus Tibi plenarie committendo, firma spe fiduciaque suffulti, quod Tu divino auxilio fretus, quae sunt Iesu Christi sedulo et unice quaerens catholicos in sanctissimae Fidei Nostrae professione quotidie magis confirmare, ac miseros errantes in omni patientia et doctrina ad sanctae matris Ecclesiae sinum revocare, aliasque omnes gravissimi Tui ministerii partes summa cura ac vigilantia implere studeas.

» Quocirca Fraternitati Tuae per haec Apostolica Scripta praecipimus, ut impositum Tibi onus cum gratia Nostrae benedictionis alacriter suscipiens, mandata huius S. Sedis de instauranda in Armenio Patriarchatu ecclesiastica disciplina ipse accuratissime custodias, et ab aliis servari cures; ut cum eiusdem Patriarchatus Episcopis synodum quamprimum habeas, cuius acta ac decreta ad eamdem Congregationem mittere festinans, vetita interim eorumdem exequutione, donec supremo Nostro et Apostolicae Sedis iudicio fuerint approbata, Volumus insuper, ut commisso Tibi Patriarchatui, firma tamen et integra manente ordinaria Episcoporum iurisdictione in suas dioeceses, sedulus advigiles; Parochos aliosque animarum curatores suo muneri diligenter adlaborare cures, praesertim divini verbi praedicatione et christianae doctrinae instructione, quas alicubi valde desiderari dolenter accepimus; Clericos aliosque Sacerdotes ad pietatem, doctrinam, atque ecclesiasticam disciplinam informari procures; ipsumque clerum ac fidelem populum in salutis via ita ducere adnitaris, ut bene currentibus stimulum addas, segnes excites, ac per devia gradientes, antequam in praeceps ruant, ad rectam semitam pius pastor quamprimum reducere coneris. .Quo fiet, ut patriarchalis ista Ecclesia fideli ac prudenti pastori se commissam fuisse laetetur, Tuque praeter eternae retributionis praemium,Nostram quoque gratiam et benedictionem uberius consequi merearis,

» Denique universis Episcopis Catholicis Patriarchatus Ciliciae mandamus, ut canonicam Tibi exhibeant reverentiam et obedientiam: Clero et Monachis praecipimus, ut Tuam revereantur auctoritatem, et monitis atque mandatis Tuis, salvis uti supra Episcoporum iuribus, obsequenter prompteque pareant: Catholicus vero Armenius populus, qui memorato Ciliciae Patriarchatu continetur, Te uti legitimum Patriarcham suum devote suscipiat, debitaque honorificentia et obedientia prosequatur.

» Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo, quarto Idus Iulii, Pontificatus Nostri anno vigesimo secundo. »

Franciscus Vici Subdatarius

N. Card. PARACCIANI CLARELLI

Visa de Curia D. Bruti

Loco ✠ Plumbi

L Cugnonius.

APPENDIX VI.

DE PAROCHI POPULIQUE CONSENSU IN PAROECIARUM DISMEMBRATIONE.

Praesenti aetate, nihil frequentius auditur, quam *populi consensus* iu rebus publicis gerendis, qui consensus non solum consideratur tamquam conditio, humana lege, fortasse constituta vel constituenda ad rempublicam rite gubernandam, sed laudibus effertur tamquam supremum et inalienabile populi ius: nihil ergo est facilius quam rei canonicae eiusmodi praeingestas opiniones aliqua ex parte applicemus; quamvis tota traditio clamet, in Ecclesia iure divino alios constitutos esse qui praesunt, alios qui subsunt, alios qui imperant, alios qui obediunt.

Hisce postremis annis nonnullas acriter agitatas causas ex Italia Romam delatas vidimus, in quibus populus de paroeciarum negotio interpellatus ea propemodum ratione se gerere visus est, quasi vero plebiscitum esset editurus, ita ut ex eiusdem consensu aut dissensu canonica quaestio esset iure definienda.

Quare expedit nonnulla memoria recolere, ut iusto pretio aestimari possint eiusmodi solemnitates in paroeciarum dismembratione.

Nulluni habemus iuris canonici textum, qui praescribat in paroeciarum dismembratione exquiri debere consensum populi: pauci insuper sunt Interpretes, qui de hoc consensu exquirendo, ne dicam tractent, sed mentionem faciant: multi siquidem commemorant, audiendum esse Rectorem ecclesiae paroecialis dismembrandae, quamvis et hi non in eodem sensu loquantur, sed plerique prorsus silent in quaestione de audiendo populo, multoque magis de eius consensu exquirendo.

Sed ut rei originem quaeramus; Interpretes iuris canonici innituntur illi principio, quo traditur, in alienatione rerum ecclesiae praeter canonicam causam audiendos esse eos quorum id intersit, prout nominatim eruunt ex *cap.* 1. *de Rebus*

ecclesiae non alien, in 6.° coius haec est facti species: vacaverat quaedam paroecia; Episcopus cum consensu sui Capituli huius ecclesiae vacantis decimas seiunxit, easque univit Archidiaconatui , nullo praecedente tractatu: novus Parochus decimas sicut suus antecessor petiit; at,, Archidiacono contradicente, quaestionem resolvit Innocentius IV. qui ita rescripsit : *Quia vero in concessione huiusmodi, praedicta ecclesia (cum vacarci) legitimo caruit defensore, qui sibi prius ab eodem Episcopo debuerat deputari : quia etiam tractatus solemnis et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem: ordinationem et concessionem ipsam(praesentim. cum evidens necessitas, quare fieri deberet, vel utilitas non subessef) de fratrum nostrorum consilio decernimus non valere.* »

Ex qua eruitur, praeter evidentem necessitatem vel utilitatem in seiunctione rerum ad aliquam ecclesiam pertinentium, fieri debere solemnes tractatus atque iudiciali quidem ratione citandum esse Rectorem ecclesiae, vel eius defensorem constituendum si ecclesia vacet, eumque audiendum, ne absque proprio defensore, illa laesionem patiatur. Ex quo inferunt Auctores, citandos et audiendos esse eos omnes , quorum alienationem rerum ecclesiasticarum intersit.

Cum dismembratio paroeciae *speciem* habeat alienationis, citandum audiend.umque esse deducunt, Rectorem, Patronos, si qui sint, et, nonnulli adiungunt populum: quin imo scribunt nonnulli (ex minus accurata ratione loquendi) necessarium esse consensum Parochi et populi. Interest enim Rectoris seu Parochi ob imminutionem oblationum, emolumentorum etc. interesse populi potest, cuius gratia dismembratio fit, qui nimium posset gravari, si satis reddituum non habeatur, quibus Parochi sustentationi consulatur.

Ex his autem facile unusquisque percipit, quam umbratilis sit ea de-* ducti o, de Parochi populique consensu exquirendo in dismembratione paroeciarum; quae deductio nulla profecto esset, si Parochus et populus grave detrimentum quoad temporalia bona non esset passurus.

Eiusmodi deductiones minorem valorem habere videntur, si consideretur Constitutio Alexandri III. *in cap.* 3 *Ad audientiam de Eccles, aedif.*, quae in paroeciarum dismembratione prae oculis est apprime habenda, tum quia de hac re praecise agit, tum quia Tridentinum Concilium eam tamquam specialem normam constituit *in sess.* 22 *c.* 4. *de Reform.* Ea autem sic se habet: *Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod villa quae dicitur E., tantum perhibetur ab ecclesia parochiali distare, ut tempore hiemali, cum pluviae inundant, non possint Parochiani sine magna difficultate ipsam adire; unde non valent congruo tempore ecclesiasticis interesse officiis. Quia igitur dicta ecclesia ita dicitur redditibus abundare , quod, praeter illius villae proventus, minister illius convenienter valet sustentationem ha-< bere, mandamus, quatenus, si res ita se habet, ecclesiam ibi aedifices, et in ea Sacerdotem, sublato appellationis obstáculo, ad praesentationem Rectoris ecclesiae maioris cum canonico fundatoris assensu instituas, ad sustentationem suam eiusdem villae obventiones ecclesiasticas percepturum ; providens tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci matrici servetur, quod quidem fieri posse videtur, cum eiusdem villae dominus viginti acras terrae frugiferae velit ad usus sacerdotis*

conferre. Si vero persona matricis ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, et virum bonum, appellationis cessante di)fugio, instituere non ommiltas.

In hac Constitutione si ad solemnitates respicias nihil reperies quod referatur ad consensum Parochi, cum contra statuatur, Parochum impedire opus non posse , quare , existente canonica causa , nullimode eius exigitur consensus: quod et Trident. Concilium *loc. cit.* expresse constituit; edixit enim: *in iis vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias eliam invitis Rectoribus iuxta formam Alexandri III., quae incipit,* Ad audientiam *constituere possint.* Ex quibus apparet, quam improprie mentem suam aperiant illi Auctores, qui de bis solemnitatibus loquentes, doceant requiri consensum Parochi.

De populo, in Constitutione Alexandri ITI., ne verbum quidem fit; nihilominus incidit populi nominatio in Constitutione Tridentina *loc. cit.* quae sic prosequitur.- *Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus, et, si necesse fuerit, compellere possit populum, ea subministrare, quae sufficiant ad vitam, dictorum Sacerdotum sustentandam.* Quare ex falso supposito illi pauci Auctores, qui de dismembratione paroeciarum agentes mentionem faciunt de populi consensu exquirendo , quaestionem instituunt, an omnes paroeciani debeant consentire , et utrum sufficiat maior paroecianorum pars, aut saltem tertia pars; quos Auctores citat Barbosa *de Epis. All.* 68: nullibi enim praescribitur, consensum populi esse necessarium ut Ordinarius ad dismembrationem deveniat; sufficit enim ut canonica causa existat, et compelli potest populus, ut alimenta novo Parocho subministret.

At, licet neque Parochi, neque populi consensus sit necessarius in paroeciarum dismembratione, quaestio tamen institui potest, an Episcopus teneatur citare et audire Parochum antequam deveniat ad actum dismembrationis, sive hic dissentiat, sive consentiat, et quatenus teneatur, an, neglecta hac citatione, irritus ipso iure sit actus, aut sit rescindendus ad instantiam.

Veteres Auctores mordicus insistentes in forma *cap.* 1. *de reb. eccles, non alien,* supra allegati similiumque iuris capitum, docent, eiusmodi citationem adeo necessariam esse etiam in dismembratione paroeciarum, ut sine ea nullus sit actus, ita ut haec citatio requiratur *pro forma,* non vero ad declinandum dumtaxat praeiudicium: et hanc veterum doctrinam plerique Auctores Concilio Tridentino posteriores sequuti sunt, eaque reperitur inserta in nonnullis decisionibus S. Rotae; et iuxta Fagnanum S. C. Concilii in antiquioribus resolutionibus sequuta est. Expedit rem exemplis ostendere, Pyrrhus Corradus in *Praxi Beneficiaria I.* 3. *c.* 2. haec scripsit:«Quotieshu-
» iusmodi dismembratio fit per Or-
» di narium, utrumque omnino re-
» qui ritur scilicet solemnitas et cau-
>• sa; licet secus dicendum sit quando
» fit per Papam;quia quoad solemni-
» tates ad id requisitas, supplentur
» eius auctoritate. Ratio autem cur
» requirantur istae solemnitates et
» causa, declaratur in una *Toletana*

» *Parochialis de Madrid* 1 *Februarii* » 1602, nempe quod requiritur consensus Rectoris, non solum pro » eius interesse, sed proformainducta ad rigorem iuris observandum » in favorem publicum, ne ecclesiae » pauperarentur, ut dicitur ibi late » deductum in una *Senogallien. $polii* 10 *Decemb.* 1568 *coram Finetto,* » ubi fuit dictum, quod consensus » subsequens Rectoris non convali - » dat alienationem nullam; sedoperatur quod ipse Rector non possit » contradicere. »

Fagnanus in *cap. Ad audientiam* supra allegatum *n.* 29 scripsit: «Tertio principaliter requiritur ad erectionem novae parochiae, ut citetur Rector matricis ecclesiae; nam » etsi erectio fieri possit etiam ipso » invito, tamen non potest fieri nisi » eodem citato et requisito, ut *cap.* » *Multis* . . . . et iam censuit S. Congregatio, ad erectionem novae parochiae non esse procedendum aliter, quam citato Rectore parochialis, intra cuius fines nova parochia » fuerit erigenda; et erectionem omissa eiusmodi citatione ab Ordinario » factam nullius momenti existere. » Nec tantum Rectoris ecclesiae, sed » etiam aliorum omnium, quorum » interest, praerequiritur citatio. Unde quaerenti, an requiratur consensus Rectoris, vel Commendatoris, » aut Magni Magistri ad erigendam novam parochiam infra limites parochialis subiectae Ordini S. Ioan. » Hierosolimitani, responsum est: ad » erectionem posse procedi etiam invito Rectore, dum tamen praecesserit citatio , tam ipsius , quam » omnium aliorum, quorum interest. »

At vero inspecta praxi, quae obtinet penes S. Congregationem Concilii, quamvis S. C. non patiatur dismembrationem ab Ordinario factam, illis omnibus penitus insciis, quorum id intersit, non excluso populo; tamen non videtur considerare actum citationis eorum, quorum intersit, tamquam formam, qua neglecta, nulla sit dismembratio, sed tamquam solemnitatem, quae conferat ad causae cognitionem etad declinandum praeiudicium. Et in hac re expedit recolere causam penes S. C. agitatam in *Spoletana Dismembrationis Parochiae,* die 3 Octobris 1716, quem refert Ursaya *Discept. Eccles, tom. S. p.* I. *discept.* 29. Haec erat facti species; Parochus quidam cognomento Pètronius, cuius paroecia comprehendebat nonnulla oppida , vocatus fuit in iudicium a paroecianis Vallis Longae, qui contendebant ea inValle Parochum residere debere: causa agitata, Parochus fuit absolutus, nihilominus eidem impositum fuit. ut Cappellanum ea in Valle constitueret, qui aleretur expensis ipsius et populi; haec iniunctio non fuit exsecutioni mandata. Post sexdecim annos occasione Visitationis in dicta Valle Longa, turmatim ad Episcopum accesserunt villici insistentes pro dismembratione illius Vallis a paroecia; post multos tractatus Petronius Parochus consensit sub pluribus conditionibus. Tum Episcopus decretum emisit dismembrationis, et novam contulit parochiam.

Parochus deinde institit penes S. C. C. ut decretum dismembrationis rescinderetur; Ursaya causam dicenspro Parocho, sic quoad solemnitatum defectum disceptàbat: « Iniustitiae dismembrationis iungitur » illa evidens nullitas, ex quo ad illam deventum fuit sine solemnitatibus et forma iudicii, dum non » fuit citatus Petronius, minusque » deputatus Defensor successorum » in parochia, quae omnia omnino » praecedere debebant pro validitate

» dismembrationis ex punctualiter « firmatis per *Rotam in decis.* 1048 » *n.* 5 ei *seqq. coram Emerix iunior e* » ubi dictum fuit. *Non suffragante,* » *quod in Litteris dismembrationis as-* » *seratur, Episcopum processisse causa* » *prius cognita, in actu visitationis et* » *insimul accessisse consensum populi* » *et ipsiusmet Archipresbyteri. Quo-* » *niam ista non debent pendere ab as-* » *serlione' partium , vel etiam ipsius* •» *Episcopi aucthorizantis dismembra-* » *tionem, sed debet de iis positive con-* » *stare ex processu desuper fabrican-* » *do.* » Nihilominus, proposito Sacrae Congregationi Concilii dubio, die 9 Octobris 1716: « An sustinea- » tur dismembratio cum conditioni- » bus in ea appositis. » Responsum prodiit.* *Dilata; et firmetur status utriusqtie paroeciae, non retardata interim exsecutione dismembrationis.*

Ex qua apparet, Sacram Congregationem ratam habuisse dismembrationem , quamvis ea facta non fuerit in forma iudiciali. Cui consonat Resolutio in causa, quam adduximusin *vói. I. pag.* 520, et consuli potest altera adducta ibidem *pag.* 543.

Haec quidem procedendi ratio conformior esse videtur Tridentinae dispositioni, quae non consideravit paroeciarum dismembrationem tamquam nudam alienationem rerum ecclesiasticarum, in qua solemnitates illae sunt ex iure servandae, non excluso Capituli consensu; sed potius praescripsit specialem formam et modum , quo facilius Ordinarii consulere possint spiritualibus populorum indigentiis in illis paroeciis, in quibus ob locorum distantiam et itineris difficultatem paroeciani accedere ad proprium Parochum sine gravi incommodo non possunt, eo vel magis, quod paroeciis accurate determinandis pro tutiori animarum salute, ampla tributa fuerit Episcopis potestas in *cap.* 13 *sess.* 24 *de Ref. §. In iis.*

E contra, cum ageretur de nuda Beneficiorum dismembratione aut unione (quae quoad canonicas solemnitates in iure aequiparantur) districte Tridentini Patres eas prohibuerunt,»^! fierent in solemni forma iudicii in *sess. 7 cap.* 6 *de Ref.* edicentes: *Uniones perpetuae... .quae deinceps ad cuiusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis aut alias rationabilibus causis, coram loci Ordinario, vocalis quorum interest, verificandis... viribus omnino careant.* »

EX S, CONGREGATIO! COMMI.

MATRIMONII.

Die i Februarii 1868. ***Sess. 24*** c. i ***de Reform. Matr.***

Compendium facti. Livius 22 annos natus, cum uxorem ducere statuisset Caiam 19 annos natam, omnes solemnitates praemisit, quae ex consuetudine Limae in Peruviana republica praemitti solent. Namque mos in ea urbe obtinuit, ut, in contrahendis matrimoniis inter paroecianos, consensus sponsalitius aliaeque solemnitates peragantur in Curia Episcopali; quibus peractis, libellus seu *licentia* expediatur in scriptis ad Parochum pro celebratione Matrimonii.

Itaque Livius die 20 Decembris 1843 a Vicario Generali petiit ut dictam *licentiam* daret, committendam alterutri ex duobus Parochis quibus suberat Caia. Sciendum namque est ea in paroecia in una eademque ecclesia duos esse proprie dictos Parochos exercentes simul ab antiquo in solidum iurisdictionem circa illos paroecianos.

Annuit Vicarius Livii precibus; at commisit, non quidem alterutri Parocho, sed vice-Parocho, ut consuetae denunciationes fierent, quarum testimonium ad'Curiam deinde remitteret. Reapse praescriptae denunciationes factae sunt diebus 21, 24, 25 Decembris anno 1843.

Emisso autem in Curia, praesente Notario, sponsalitio consensu, peracto sponsorum examine, tribus auditis testibus super impedimentis, licentiam matrimonii ineundi Vicarius concessit eodem die 25 eiusdem mensis, quae sacra est Nativitati D. N. I. C; eodemque die celebratum fuit matrimonium in domo Caiae ipsius, non quidem coram alterutro ex Parochis aut vice-Parocho, sed coram Iosepho Canonico cathedralis ecclesiae, olim Parocho, et Vicario Generali alterius dioecesis, amico familiae Caiae; duo autem testes adstiterunt Iosepha Caiae matertera, et quidam Petrus.

Hac ratione inito matrimonio, cohabitarunt coniuges solo trium mensium spatio iuxta Livii assertionem, iu\ta alios autem usque ad annum 1848 quin tamen prolem habuerint. Contigit autem ut unus ex duobus Parochis moreretur anno 1844, nec non vice-Parochus supradictus anno 1847.

Verum anno 1848, die 10 Maii Livius a quodam inferiori ecclesiastico iudice petiit declarari matrimonii nullitatem; cui mulier sese opposuit, cum nulli fundamento-petitio inniteretur; et reapse rationes pro matrimonii nullitate quamvis Livius se adducturus promitteret, tamen eas nunquam adduxit; quin imo Livius in longinquas regiones demigravit Caliphorniam petens desiderio auri congerendi incensus. At in patriam deinde reversus, mortuo interea Canonico coram quo celebratum fuit matrimonium, die 14 Februarii 1853 coram Vicario Generali iudicium instituit contra validitatem matrimonii ex capite clandestinitatis, ex defectu scilicet necessariae delegationis.

Integra difficultas hoc in iudicio consistebat in facto, cum in parochialibus libris neque documentum celebrati coniugii reperietur, neque delegationis: quomodo autem id evenire potuerit ita enarrabat Archiepiscopus: « Si Parochus, ***(cui licentia » pro celebratione committitur)*** deleget alium Presbyterum, de- » legatio committitur per scriptum in ipso ***licentiae*** libello: com- » muniter illa extenditur non tantum pro celebratione coniu- » gii, sed etiam pro solemni benedictione nuptiarum. Coniuges » praesertim divites post matrimonium contractum procrastinant » benedictionem, retinentes vel ipsi, vel delegatus schedulam » delegationis, donec benedicantur nuptiae, eas aliquando pro- » trahentes ad tempus indefinitum; unde non devoluta ad Pa- » rochum delegatione et attestatione coniugii initi, minime ad- » notatur in libris matrimonialibus ecclesiae. Abusus hic extir- » pandus, aliquando incuria Presbyteri delegatione fungentis, » aliquando imperitia aut ignavia contrahentium, et forte mala » fide evenit. » Eadem repetiit matrimonii Defensor a Curia deputatus, qui olim Parochus extiterat eiusdem civitatis, qui insuper addidit: ***Ex inquisitione facta ea in paroecia constitit, Sacerdoti vice-Parocho auctoritatem factam esse dandi eiusmodi licentias, hinc Parochos ignorasse eos, qui matrimonium contraherent.***

Incoeptis iudicialibus actis, Caia totum negotium sponte commisit Defensori matrimonii a Curiae deputato, quin se sistere in iudicio vellet, declarans, *se utpote id temporis inespertem puellam, haud noscere potuisse an matrimonialis ritus celebrari deberet coram Parocho, vel alio Sacerdote sine licentia illius:* haec tamen declaravit non iuxta formam Constitutionis, *Dei miseratione,* iuxta quam interroganda erat super hac re coram Sacramenti vindice.

Livius exhibuit testimonium alterius adhuc superstitio Parochi,qui declaravit: *Nemini subditorum facultatem feci, multoque minus ecclesiasticorum, ut celebrationi matrimonii assisterent.*

Testes qui primo loco fuissent audiendi, nempe alter Paro* chus, vice-Parochus, et Canonicus Iosephus, cum mortui essent, vocati per matrimonii Defensorem a Curia fuerunt illi duo, qui tamquam testes matrimonio celebrando adstiterunt, videlicet Iosepha et Petrus : eo vel magis quod relatum fuerat, dictam Ioseph a m quoddam folium recepisse a vice-Parocho, quod ipsa tradiderit Canonico Iosepho, vi cuius hic Canonicus adstiterit nuptiis.

Attamen Titius huic iudiciali Iosephae citationi refragatus est; nec frustra : nam edito decreto a Vicario, Generali, ut Iosepha in iudicio se sisteret atque sub iuramento declararet, quomodo ad matrimonium processum esset, an intervenerit nec ne parochialis venia; Livius a Iudice laico imploravit revocationem Decreti a Curia emissi, et voti compos extitit: atque insuper idem Livius impedivit quominus simplicibus interrogationibus saltem iidem duo testes subicerentur.

Cum autem ecclesiasticus Iudex acta processus explere non posset, ad proferendam devenit sententiam suis stipatam motivis, qua edixit: validum esse matrimonium.

Ab hac edita sententia appellavit Livius, et causa devenit ad Episcopum viciniorem, qui pariter, deputato matrimonii Defensore, plenissime sententiam primae instantiae confirmavit.

Quamvis his duabus sententiis conformibus res iudicata exorta pro matrimonii validitate esset : nihilominus Livius ad S. Sedem confugit, petens sententiae revocationem et declarationem nullitatis: SSmus D. N., haud obstante re-iudicata, annuit pro gratia ut causa iterum, per extraordinariam appellationem, seu per restitutionem in integrum, Romae discuteretur. Servatis itaque de more servandis, causa proposita est sub dubio quod in calce ponimus.

Disceptatio synoptica«

DEFENSIO LIVII.— Livii Orator in Urbe constitutus ad causae meritum quod attinet ita disputabat: nullum extare documentum ex quo coniici possit factam fuisse delegationem sive ab Archiepiscopo, sive ab alterutro ex Parochis, sive a Vicario: quare unice ex praesumptione posse concludi valide initum fuisse matrimonium: sed quando de forma agitur sub poena nullitatis observanda, absonum esse ipsam formam praesumere, cum eadem ideo praescripta sit, ut aditum praesumptionibus praecluderet: quare quolibet, deficiente documento delegationis, contrarium esse praesumendum, scilicet defuisse delegationem: eo vel magis quod inspecta rerum serie nihil reperiretur quod non fuerit inusitatum et suspicionis plenum : quinque enim tantum dierum spatio prodamotiones fuisse absolutas; apertam fuisse Curiam Sanctissimo Nativitatis Domini die; tempore vetito contractum fuisse matrimonium in domo puellae, neutro Parocho adstante; Sacerdotem familiae amicissirnum Parochi officium sibi assumpsisse; veniam ad ineundum matrimonium traditam Parocho non fuisse; celebratum coniugium paroecialibus libris non fuisse adnotatum, quod non negligentiam tantummodo argueret, sed gravem culpam, iubente Concilio Trid. *sess.* 2i, *c.* 1 *de refor. matrim. Habeat Parochus librum, in quo coniugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.*

Nec quidquam facessere, subiungebat Orator, obiectum abusum qui in ea paroecia vigere dicitur ex incuria presbyteri qui delegatione fungatur aut ex imperitia vel ignavia contrahentium, et forte mala fide licentiam ad longum etiam temporis spatium Parochis non tradendi: utrumque enim ita inverosimile esse in casu affirmabat, ut secus esset iudicandum : incuria scilicet notari non potuisse Canonicum rerum ecclesiasticarum peritissimum, qui, si prudens et fidelis in omnibus fuisset, prout ex adverso praesumebatur, non explicari cur inscribi matrimonium neglexit; si vero hac in re suo muneri defuerit, totam ruere praesumptionem ex eius peritia ex adverso deductam.

Neque ex imperitia vel ignavia aut mala fide contrahentium inscriptionem dictam praesumi posse omissam: plurimum enim

interfuisse familiae Caiae celebrati matrimonii documentum quantocius in tuto poni ; neque omitti sane potuisse vel quando prima separatio coniugum accidit, vel quando, anno 1848 vivo adhuc Canonico, mulier restitit petitioni declarationis nullitatis; quando scilicet ipse honor, et firmus nuptialis status coegissent Caiam et Canonicum ut ignaviam aut malam fidem vincerent, et testimonium contra nullitatem ederent. Si quid ergo, concludebat Orator, praesumendum esset, nil aliud praesumi posse nisi, licentiam seu factum delegationis nunquam extitisse.

Neque obiicias, prosequebatur, praesumi non posse Canonicum satis in iure edoctum, qui olim Vicarii Generalis munere functus fuerat, matrimonio adstitisse absque delegatione: namque si ita iudicandum esset, facili negotio omnes causae simili clandestinitatis vitio infectae possent expediri : cum id penderet ab exploratione an qui loco Parochi assistentiam praestitit fuerit nec ne in iure peritus.

Conquerebatur insuper Orator, non fuisse examini subiectam Iosepham etsi relatum esset ipsam accepisse schedulam a vice-Parocho in qua, Deputatus vinculi Defensor opinatus fuerat, signatam contineri delegationem: si ita enim res se habuisset, inquiebat Orator, meridiana luce clariorem evasisse praesumptae delegationis nullitatem: Concilium enim Trid. nonnisi Parochis et Ordinariis delegandi facultatem concessit.

Hac ratione infirmatis praesumptionibus sibi contrariis, robur orationis Defensor collocabat in onere probationis reiiciendo in partem sibi adversam. Namque praescripta essentiali forma a Concilio Tridentino, quoties coram altero Sacerdote praeter Parochum matrimonium celebretur, consequens esse sustinebat, ut probatio delegationis in eum incumbat, qui matrimonium rite celebratum esse contendat, non autem alteri, qui contra validitatem agit, quique deneget delegationem intervenisse.

Ut hoc ostenderet, distinguebat praesentem causam ab aliis, in quibus de effectibus contractus agitur, puta de successione, legitimitate prolis, aliisque in quibus possessio status matrimonialis reiicit probandi onus in eum qui negat: sed in praesenti quaestione contrahentes agere de inito matrimonio, non quidem de effectibus: proindeque qui vinculum defendit, luculenter probare debere formae praescriptae observantiam, de qua re ita lo-

quitur Ursaya in *discep. eccl. t. Spar, i disci* §. *5 n.* 1: «Quando » vertitur lis circa probationem matrimonii duplex occurrere solet » inspectio: una cum lis est super legitimitate ad effectum suc- » cessionis vel alimentorum ; altera quando agitur de ipsomet » foedere: atque communis receptaque est distinctio, quod in » hoc secundo casu non attenduntur coniecturae, et praesum- » ptiones, secus in priori iuxta celebre consilium Geminiani 27 » a Doctoribus et S. Rota passim adprobatum, ut videre est apud » Wames *cons.* 532, *n.* 3, Card. de Luca *de Matr. disc.* 16, *n.* 7 *etc.»* item *tom.* 1 *p.* 2 *n.* 209, nec non Monacelli in *Form. t.* 2 *tit.* 16 *annot. ad form.* 2 *n.* 28, ubi tradit: «Regula quae solet allegari, » quod in dubio standum sit pro matrimonio, non militat quando » fuit clandestine contractum contra ordinationem ecclesiae et » formam traditam a concilio; tum enim cum habeat pro se » notabilem suspicionem..., iudex contra illud in dubio semper » iudicare debet.» Item S. C. Conc. in *Florentina Matrimonii* die 29 Iulii 1854.

Neglecta autem forma statuta quae dare dicitur esse actui, ita ut sine ipsa actus esse et subsistere nequeat, neque possit adimpleri per aequipollens, (Schmalzgrueber *in ius eccl. tom.* 4 *part.* 1 *tit.* 3 *de cland. desp. n.* 103, et S. Rota *coram Dunozetto dec.* 308 *n.* **1),** animadvertebat Orator non posse praesumi delegationem, quae omnino expressa esse debuisset, nec tacita sufficeret, iuxta ea quae tradit Barbosa de *Officio Episc.* 32 *n.* 126: « Licentia, quae per Sacerdotem ad celebranda matrimonia est » obtinenda a proprio Parocho vel eius Vicario permanenti aut » amovibili, aut ab Episcopo, vel eius Vicario Generali, aliisque » Praelatis quasi episcopalem iurisdictionem habentibus, expressa » debet esse: nam tacita non sufficeret, qualis est illa quae oritur » ex tolerantia vel ex ratihabitione. Ita tenent Menoch. etc. » ubi citat auctoritatum acervum. Nec aliter Cosci *de Separ. Tori* ***c.*** 14 n. 16: « Si proprius Parochus hanc delegationem impugnet, » onus est Sacerdotis asserti delegati vel contrahentium probare » illam intervenisse ; nam asserenti matrimonium valide fuisse » contractum probandi onus incumbit. »

His aliisque pluribus auctoritatibus adductis, concludebat Orator, cum in praesentia de validitate matrimonii non constaret, pro eiusdem nullitate esse iudicandum.

DEFENSIO MATRIMONII. Matrimonii Defensor ad meritum causae deveniens initio animadvertabat, praesentem causam agitari post vingintiquatuor ab inito matrimonio annis, postquam omnes mortui essent illi qui hoc pertractarunt negotium: neque suppetere probationes ex parochialibus libris ob quemdam abusum in ea paroecia vigentem, prout Archiepiscopus descripserat: ad extraordinaria itaque argumenta deveniens, adnotabat, omnia fuisse rite impleta, obten tamque fuisse licentiam a Curia ad matrimonium ineundum, eamdemque datam vice-Parocho : cum itaque omnes minoresque solemnitates impletae fuerint, absonum esse cogitare neglectam fuisse necessariam essentialemque delegationem ad extraneum.

Eiusmodi siquidem omissionem, Orator inquiebat, repeti posse vel ex malitia vel ex ignorantia: non quidem ex malitia cum coniuges in Curia protestati essent, se velle contrahere matrimonium *iuxta ecclesiae ritum, iuxta formas praescriptas a S. Conc. Trid.* caeterasque impleverint solemnitates: non ex ignorantia, cum Canonicus Iosephus in hoc negotio versatissimi esset ob plura munera ecclesiastica gesta.

Neque dicas solemnitatem extrinsecam praescriptam ad formam actus non praesumi ; nam si matrimonium sit celebratum cditusque consensus coram extraneo Sacerdote concludendum esse, Sacerdotem auctoritatem habuisse ubi communiter et ut plurimum ea auctoritas interveniat: aliud autem esse praescriptas solemnitates seu formam impleri non posseder *aequipollens;* aliud demostrationem formae servatae factam per aequipollens : non enim ambigi, formam ad unguem servari oportere, neque suppleri posse delegationem Parochi vel Antistitis per hunc vel alium actum idest per aequipollentia; sed heic agi de suppletorii probationibus, quae unice supersunt post tantam temporis diuturnitatem. Hinc indicia colligebat Orator quae satis innuerent non defuisse delegationem, cuiusmodi erat consueta auctoritas vice-Parocho facta assistendi matrimoniis, ita ut Parochi neque scire solerent quinam matrimonium contraxisset: ratio specialis praesentis negotii quod a Curia integrum vice-Parocho fuit commissum: mos contrahentium non tradendi Parochi licentiam sibi relictam celebrandi matrimonium, nisi postquam benedictionem recepissent, quae quidem benedictio protrahebatur etiam

in indefinitum : notitia deinde habita de schedula concessa a vice Parocho fosephae, quam ipsa tradidit Canonico, cuius vi dicebatur matrimonio adstitisse: quin imo ipsa celebrandi matrimonii licentia a vice-Parocho directe Sacerdoti»extraneo data actum ostendebat delegationis, cum necessarium non sit ut delegatio in scriptis detur: Sánchez *de Matr. t.* ***i*** *I.* 3 *disp.* 35 *n.* 10.

His aliisque pluribus congestis, propositum est resolvendam

Dubium»

«An constet de nullitate matrimonii in casu.»

RESOLUTIO.— S. Congregatio Concilii causa discussa die 1 Februarii 18G8^respondere censuit: *negative.*

Ex QUIBUS COLLIGI POTEST .*

I. Generatim solemnitates, quae pro forma actus sunt praescriptae, supponi non posse obsérvalas; sed eas observa tas fuisse ab eo ostendi debere, qui validitatem actus sustinet.

II. Quare in matrimonio contracto coram extraneo Sacerdote supponi non posse facultatem eidem delegatam fuisse, sed ostendi debere ab eo qui matrimonium sustinet.

III. Eiusmodi tamen demonstrationem ea ratione faciendam esse, qua facta demonstrari possunt.

IV. Duplici autem ratione facta ostendi posse : vel per testimonia aut documenta, quae factum testentur: vel per alia facta, quae explicari non possent, nisi verum supponatur factum illud quod demonstrare contendimus.

V. In praesenti casu defuisse argumenta primi generis: non autem defuisse factorum indiciorumque complexum qui saltem aegre admodum explicari posset, facto delegationis non supposito.

VI. Militantibus autem validis praesumptionibus pro existentia delegationis non esse proferendam nullitatis Matrimonii sententiam, quamvis eius validitas undequaque non pateat (1).

(i) S. Congregatio non. dixit validum esse matrimonium, sed iudicavit, *non consfare de nullitate matrimonii,* **quod est multo minus: qua quidem responsione satis ostendit, talia in praesenti casu concurrisse facta et indicia pro existentia delegationis, quae satis essent ad onus probandi nullitatem reiiciendum in eum qui validitatem impugnat; quamvis de parte formae agatur quae ab eo esset ostendenda qui validitatem sustinet.**

INSTITUTIONIS SEU DISPENSATIONIS

Die 14 Septembris 1867. *Sess. 25 c. 9 de Re for.*

Compendium facti. Extat Cappollania iurispatronatus laicalis familiaris fundata in ecclesia oppidi N, Mortuo Cappellano, ex Patronis novum Cappellanum nominanlibus, tres praesentarunt Titium Clericum quinquaginta annos natum, qui iamdiu habitum clericalem dimiserat, et Procuratoris officium in Urbe exercebat; verum unus ex tribus his patronis nominanlibus, mutato postea consilio, supplices preces exhibuit Episcopo, ut sacra tonsura initiaretur suus filius Vincentius, qui natus erat mense Februario 1853, ut Cappellaniam assequeretur. Plures alii patroni institerunt ut a seipsis Cappellania, nullo interea Cappellano suffecto, administraretur ad Cappellae altare et sepulcrum reficiendum, nec non ad alienata bona recuperanda.

Successive preces porrectae sunt Sedi Apostolicae; Titius nimirum postulabat dispensationem ab incedendo in habitu et tonsura; Vincentius postulabat dispensationem super defectu aetatis quatenus opus esset; reliqui insistebant pro suspensione Cappellaniae ad supradictos effectus.

De more rogatus est Episcopus pro informatione et voto; qui inter caetera respondit, Cappellaniam iurispatronatus laicalis esse ecclesiasticam verumque beneficium simplex, quod iugiter collatum esset per canonicam institutionem Bullis expeditis (1): onus Cappellano incumbere viginti duo Missarum, et manutentionis Cappellae: de redditu Cappellaniae eiusdem, deficiente inventario, se nihil posse referre: neque ipsos Patronos, licet rogatos, opportuna documenta exhibuisse. Optabat autem idem Episcopus, ut Vincentii preces exaudiantur, ita tamen ut Seminarium dioecesanum ingredi deberet studiorum causa, dato eidem administratore, qui, impletis Cappellaniae oneribus, annuum fructum pro expensis eiusdem educationis impenderet, bona insuper Cappellaniae recuperaret, si reapse alienala fuissent etc.

(l) **Recole ea quae adnotavimus in** *Fol. IL pag.* **327.**

Disceptatio gynoptica.

Animadvertebatur *ex officio,* heic agi de iuspatronatus gentilitia familiari in quo omnes descendentes ex primo patrono ius habent praesentandi : nullumque esse statutum ius passivum, ita ut posset quilibet a Patronis ad Cappellaniam nominari dummodo ex communi iure esset habilis.

Hisce praemonitis, quoad suspensionem Cappellaniae adnotabatur, quamvis iusta causa suspendendi collationem in medium deduceretur, tamen in praesentia obstare nominationes factas ab aliis Patronis: eo vel magis quod nihil impediret quominus novus Cappellanus ab Episcopo adstringeretur ad reficiendum altare, sepulcrum bonaque recuperanda si fuerint alienata.

Cohibita ita quaestione inter duos praesentatos Titium et Vincentium, ita disputabatur. Titio suffragatur pluralitas suffragiorum; habilis insuper est ex sacra tonsura iamdiu suscepta: neque obest dimissio habitus clericalis; quamvis enim tradat Fagnanus in *cap. Odoardus, de sohlt, n.* 24, Clericum qui dimisso clericali habitu se gerat publice pro laico, in omnibus reputari uti laicum et omni privilegio clericali nudatimi manere; integrum tamen est Clerico habitum quandocumque resumere , inscio etiam vel invito Episcopo, iuxta ea quae docet Card. De Luca *de Pension, disc.* 81 *n.* 14 : quod satis esse videbatur, ut Clericus, licet habitu et tonsura non incedens, ius haberet beneficium optandi; nil ergo aliud Titio deesse videbatur quam habitus clericalis reassumptio, a qua tamen ut dispensantur postulabat;

Vincentio autem suffragari adnotabatur Patris nominationem, qui licet prius Titium nominaverit, potuisse tamen utpote laicum intra utile tempus nominationem primam variare, iuxta ea quae tradunt Doctores ex *Cap. Quod autem* 3 *et Cap. Cum autem* 24 *de Iurepatr.* Quod si tempore nominationis Vincentius non attigerat canonicam aetatem ad assequenda Beneficia praescriptam, tamen tempore vacationis illam fortasse assequutam fuisse, et facile super hac re dispensationem concedi his in adiunctis, quando Orator, qui ea indigeat sit de patronorum familia: quamvis autem tempore nominationis tonsura sacra initiatus Vincentius non fuisset, tamen, observabatur, eam utili tempore petiisse, ac proinde sufficere, ut ante institutionem ea fuerit insignitus.

Post haec recolebatur quaedam causa *Mutinen. Cappellaniae* in S. C. C. agitata die 20 Maii 1854, in qua a Patronis nominatus inter caeteros fuerat ad Cappellaniam quidam Clericus qui iamdiu habitum clericalem dimiserat, qui rogaverat Curiam, ut eumdem habitum posset resumere; quamvis vero caeteri praesentati obstitissent, tamen illi Clerico Cappellania fuit adiudicata: sed animadvertebatur, praesentem causam ab ea *Mutinen.* multipliciter differre: et reapse Cappellania in *Mutinen.* erat mere laicalis, quamvis ex voluntate Fundatoris conditio clericalis pro ea assequenda requireretur; in praesenti vero controversia Cappellania est ecclesiastica; in illa proximitas gradus in pretio habenda erat, in hac maioritas suffragiorum : in utraque tamen difficultas ex dimissione vestium clericalium.

Dubia.

1. « An et quomodo annuendum sit Oratorum precibus quoad » suspensionem nominationis novi Rectoris Cappellaniae in casu.

» Et quatenus negative.

H. » An et cuius favore consulendum sit SSmo pro dispen» satione ad assequendam Cappellaniam in casu.»

RESOLUTIO.—S.Congregatio Concilii, causa cognita, die 14 Septembris 1867 respondere censuit:

Ad 1. *Negative.*

Ad II. *Affirmative favore Vincentii; quatenus dispensatione indigeat facto verbo cum SSmo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Onus esse illius qui Beneficium possidet bona Beneficii eiusdem non rite alienata, vindice Episcopo vel eiusdem auxilio, recuperare aut bona veterascentia Episcopo etiam cogente instaurare et reficere.

II. Quare, nisi cogat necessitas, non esse locum suspensionis institutionis canonicae, ut redditus in Beneficii instaurationem impendantur.

III. Neque Patronos, quibus tantum vigilantia super rerum Beneficii administratione conceditur, ius habere administrandi bona in Beneficii augmentum perfectionemque (1).

(1) Recole ea quae adnotavimus in *Fol. I. pag.* **231 et** *in Vol. H. pag.* **352.**

IV. Colliges insuper simplicem Clericum, licet habitum clericalem iamdiu sponteque dimiserit, posse tamen ad Beneficium nominari illudque assequi, si habitum clericalem reassumere sit paratus.

V. In praesentia autem renuente Titio habitum reassumere clericalem, Vincentium vicisse licet ab uno Patrono nominatus, neque canonicam aetatem tempore praesentationis esset assequutus.

MISSAE CONVENTUALIS.

Die 14 Septembris 1867. *Sess. 24 c. 12 de Ref.*

Compendium facti. Post luctuosas temporum calamitates anno 1821 restitutum fuit Capitulum et Cappellanorum inserviendum universitas in metropolitana ecclesia N. Orta est controversia anno 1822 super ratione dividendi onus Conventualis Missae inter utriusque collegii membra, Canonicos scilicet et Cappellanos: at conventum fuit ut eadem Missa celebraretur ab omnibus per turnum, illiusque eleemosyna, ratione habita quantitatis reddituum propriae massae, ab utroque collegio persolventur, hac proportione servata, I° ut *Capitulum subministret duas ex tribus partibus eleemosynae manualis illi qui Missam Conventualem caneret:* 2" *Cappellanorum universitas reliquam tertiam partem:* eiusmodi conventionem perpetuam esse voluerunt. Porro quantitas eleemosynae manualis Missarum tempore initae conventionis erant unius iulii romani seu decem obolorum iuxta antiquam taxam in synodo dioecesana constitutam.

Cum autem hodiernus Archiepiscopus manualem Missarum eleemosynam adauxerit usque ad libellam italicam, disputari coepit inter Canonicos et Cappellanos de eleemosynae augmento. Proposita quaestione coram S. C. C, acceptis ab Episcopo informationibus super redditibus utriusque massae, dubium dirimendum propositum fuit quod sequitur.

Dubium.

« An et quomodo sit locus augmenti eleemosynae pro Missa » Conventuali a Canouicis rependendae Cappellanis in casu. »

RESOLUTIO. — **S. Congregatio Concilii die** 14 **septembris** 1867 **respondere censuit:** *Affirmative pro duabus ex tribus partibus eleemosynae manualis quae actu in dioecesi viget, et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES:

I. Conventiones seu transactiones circa officium celebrandi Missam Conventualem rite initas inter partes loco invariabilis legis esse habendas (1).

II. Quoties terminus natura sua variabilis in transactione expressus et proportionali lege definitus immutetur, caeteros proportionis terminos ita immutari debere ut tamen eadem proportio servetur.

ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS.

Die 1 Februarii 1868. *Sess. 21* c. *4 de Refor.*

Compendium facti. In montana regione dioecesis N. tres extant ecclesiae, quarum una iure matricitatis gaudet super aliis duabus A. et B. quae idcirco filiales dicuntur. Ecclesia B. baptismali fonte carebat et distabat ab ecclesia matrice tria et amplius passuum millia, et duo passuum millia ab Ecclesia A.

Cum autem hiemali tempore ob nivem, gelu, impetumque ventorum aliquando fere impossibilis redderetur accessus ad ecclesiam matricem, paroeciani dictae ecclesiae B. consueverunt infantes baptizandos deferre ad aliam viciniorem filialem ecclesiam A. quae fonte baptismali praedita erat: sed neque hoc sine gravi incommodo neque absque vitae infantium periculo peragi poterat.

Paucis abhinc annis Parochus ecclesiae B. Petrus Bianchi, postquam aere proprio novam elegantemque paroecialem ecclesiam e fundamentis extruxisset sacra supellectili munisset cum turri atque aere campano, et peculiari sacello pro tumula-

(1) Recoli potest causa adducta in *Vol. 11. pag.* **194.**

tione corporum defunctorum, ne quid spirituali fidelium commodo deesset eorum votis obsecundans, rogavit Vicarium Capitularem ut baptismalis fontis ibi constituendi facultatem sibi faceret : quae quidem adsentiente etiam Parocho ecclesiae matricis, ultro concessa fuit, adiecta clausula : salvis tamen iuribus matricis ecclesiae.

Itaque fons baptismalis statim erigi coeptus est: nihilominus Parochus alterius ecclesiae filialis A. obstitit erectioni, allegans defectum solemnitatum, et detrimentum iurium sive spiritualium sive temporalium paroeciae suae; quod est praesentis quaestionis origo.

Praecipuum argumentum, quod Parochus hic adduceret in suorum iurium defensionem, erat consuetudo quam saecularem et remotissimam esse affirmabat, iuxta quam omnes recens nati in Paroecia N. deferrentur ad fontem suae paroeciae A. baptismate abluendi: quod quidem fieret sine gravi incommodo et sine infantium periculo.

Vicarius Capitularis in sua relatione animadvertebat, Parochum dictae ecclesiae filialis A. non posse de iuris laesione conqueri, quandoquidem ius baptizandi, quo ipse gauderet, eidem fuisset concessum ab ecclesia matrice : hoc autem ius concessum eidem fuisse quoad suos paroecianos non vero quoad incolas aliarum paroeciarum: quod si infantes alienae paroeciae delati essent hactenus sacro abluendi baptismate ad eius paroeciam, id factum fuisse ad declinandum maius incommodum, cum ad ecclesiam matricem essent iure deferendi, a qua et ipsa ecclesia A. pendeat et ab ea sabato sancto accipere aquam lustralem soleat.

Disceptatio gynootiea.

EA QUAE ANIMADVERTERENTUR FAVORE PAROCHI A. Huius favore *ex officio* inter caetera haec adnotabantur : solemnem Baptismatis collationem in primis ecclesiae saeculis ut plurimum factam fuisse ab Episcopis, ut observat Card. Petra *ad Const.* 2. *Gregorii XI. t. in.* 12, et delatos esse infantes ad urbem in qua Episcopus residebat, suscipiendi Baptismatis causa, Catalanus in *Comm. ad Ponti f. Rom. tom. % t. i de Benedictione et impositione primi lapidis pro Ecclesia aedificanda p.* 1 n. 27. Deinde pro maiori fidelium commodo divisione paroeciarum facta ad matricem cuius-

que loci ecclesiam, quae sola fontem baptismalem habere solebat, fuisse delatos; Thomassin. *de Vel. et nov. Eccl. discip.* p. U. 2 c. 21 *n.* 8. Atque hinc ortam fuisse distinctionem inter ecclesias baptismales et ecclesias paroeciales quam Trid. Synodus sartam tectamque servavit. Quare etsi facultas baptizandi inter iura parochialia recenseri debeat, ut tradit Lotter. *de Re benef. I.* 1 *q.* 28 *n.* 54, non eam tamen esse constitutivum necessarium ecclesiae parochialis ; quoniam haec talis esse potest, quin fontem baptismalem habeat, Barbosa *de Iure Eccl. I.* 2 *c.* 1 *n.* 23. Card. Petra *loc. cit. n.* 17.

Nihil autem impedire, subiungebatur, quominus ex privilegio aut praescriptione legitime acquiri possit etiam ab aliqua paroecia ius baptizandi infantes paroeciae non suae subditos, prout docet Fagnanus in *Cap. Cum contingat de Decimis,* Barbosa *de Parodi, c.* 18 *n.* 7, Pignatel. *t.* 4 *conul.* 3 n. 13. Quam quidem communem sententiam sequuta videtur S. Congregatio, in *Romana Iuris Baptizandi* die 15 Maii 1700, qua iudicavit Basilicam Vaticanam aliarum etiam ecclesiarum Urbis infantes sacro lavacro posse abluere.

Cum itaque ab antiquissima aetate infantes paroeciae B. deferri solerent ad ecclesiam A. ut sacro Baptismate solemniter abluerentur, id in posterum videri observandum.

EA QUAE ANIMADVERTENTIS FAVORE PAROCHI B. E contrario huius Parochi favore haec regerebantur: etsi ss. canones non praecepe**rat,** ut in omnibus ecclesiis paroecialibus fons salutaris lavacri erigeretur: non esse tamen alienum ab indole ss. canonum, quin immo consonum esse, ut unusquisque Parochus suos paroecianos propria manu sacro lavacro abluendo in ecclesiae ovilem introducat, tum ut singuli Parochi certo noscant quaenam oves in Christi Domini gregem cooptentur, quemadmodum animadvertit S. Rota in *in Romana iuris Bapt. dic* 12 *Ianuarii* 1733 *coram Samminiato,* apud Ferraris *verb. Baptismus:* tum ut Parochi ipsi facilius cognoscant quinam ex legitimis nuptiis procreati sint, et tamquam tales in paroeciales libros referri debeant, tum etiam ut ab iis maior vigilantia adhiberi possit, ne a parentibus procrastinetur delatio infantium ad ecclesiam, in qua spiritualem generationem sunt assecuturi : quas quidem rationes eo validiores redditas esse, quo infirmiora evaserint vincula, ex conditione

temporum, inter Parochos et paroecianos, inter Pastores et fideles; quare in eadem ipsa dioecesi, in qua praesens quaestio agitabatur, prouti referebat Vicarius Capitularis, in pluribus paroeciis fonte baptismali carentibus, illum provide ab Episcopis erectum fuisse.

Hanc autem Episcoporum praxim apprime conformem esse iis quae tradunt Doctores, Paulus Fuschius in opere *De visitatione et regimine Eccles. I.* ***i*** c. 7 *n.* 16, Ioseph Crispino in suo tractatu *Della visita pastorale p.* 2 §. 3 ***n. i*** Catalanus *Comm in Rit. Rom. Benedicti XIV. de Bapt.* §. 30 *n.* 8, Barbosa de *Parocho p.* 2 *c.* 18 *n. 7.*

Quam quidem praxim confirmatam praeterea fuisse a S. Congregatione C, nominatim vero in *Fulginaten.* die 22 Iunii 1720, in qua scilicet de facto ageretur huic nostro valde simili, et proposito dubio: « An nova fontis baptismatis in ecclesia S. Ma- tt riae Castri Senioris facta erectio sit sustinenda:» responsum prodiisse: *Affirmative relicta libertate parochianis S. Mariae Castri Senioris deferendi iuxta solitum filios baptizandos eliam ad alias parochias, et amplius.* Item in *Fabrianen. Fontis baplism.* in qua de casu duriori ageretur ac difficiliori, proposito dubio: « An ere- » ctio fontis baptismalis in ecclesia S. Blasii *(filialis ecclesiae ea- » thedralis)* sustineatur:» responsum primum fuisse: *negative;* sed reproposita causa die 21 Novembris 1732 rescriptum fuisse: *recedendum a decisis.* Cum autem et alterum proponeretur in causa dubium: «An liceat Parocho ecclesiae cathedralis S. Ve- ja nantii in ea baptizare natos etiam in alienis parochiis fontem » baptismalem habentibus, seu potius spectet privative ad unum- » quemque Parochum, habentem fontem in sua ecclesia, Baptis- » mum conferre propriis parochianis in casu: » hoc demum habitum fuisse responsum : *praevio recessu a decisis, negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Adnolabatur autem in facto, heic agi de iure Parochi A, eidem a Matrice collato a qua dependeret, baptizandi scilicet infantes suae paroeciae: et consuetudinem qua infantes Paroeciae B. deferrentur causa Baptismi in ecclesiam A. non potuisse praescriptionem gignere, cum illa coalesceret ex actibus mere facultativis: ad declinandum enim maius incommodum recens nati

ad illam baptizandi deferebantur: hinc neque Parochum A. de tenuibus illis emolumentis amittendis posse conqueri.

His aliisque disputatis propositum est resolvendum

Dubiam.

« An erectio fontis Baptismalis in ecclesia ***(B.)*** sit sustinenda » in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii die 1 Fehruarii 1868 respondere censuit: *Affirmative.*

EX QUIBUS POTEST COLLIGI:

I. Quamvis solemnis Baptismatis collatio in ecclesiae incunabulis ab Episcopis fieri consuevisset; nihilominus, aucto christiano grege, divisisque deinde in Presbyteros Titulis hoc munus eisdem fuisse commissum.

II. Habita ratione praeclari muneris, cuiusmodi est illud cooptandi homines in Christi Domini gregem, non omnibus presbyteris qui Titulis praefecti essent huiusmodi munus fuisse commissum: sed illis ut plurimum qui ecclesiis urbium essent praefecti.

III. Eiusmodi ecclesias seu maiores Titulos appellatas deinde fuisse *Matrices,* quae tamquam matres filios Deo per baptisma procrearent.

IV. Huiusce veteris disciplinae vestigia pluribus in locis praesertim in Italia superesse.

V. Nihilominus ab alia invalescente Ecclesiae disciplina nec non a ss. canonum indole habita ratione morum non esse alienum, ut illae paroeciales ecclesiae, quae baptismali fonte careant, aequis concurrentibus causis, servatisque servandis, sacro muniantur fonte.

Die 30 Martii 1867.

Summaria precum. In oppido quodam dioecesis N. extat archipresbyteralis ecclesia cum cura animarum; ea sex et amplius paroecianorum millia continet in amplissimo territorio quod ad sexdecim passuum millia protenditur per loca hyemali tempore altis nivibus obsita nec levibus inter montes asperitatibus interclusa: in dicta ecclesia quatuor Sacerdotes coadiutores constituti sunt, qui cum Archipresbytero ministerium curae animarum exerceant.

In eadem ecclesia duae extant piae fundationes: namque anno 1746 pius Sacerdos Paulus Variente ex suis bonis haeredem instituit scholam S. Rochi in dicto oppido existentem, cum obligatione (ex redditibus locationis cuiusdam domus et ex quodam annuo canone 62 libellarum venetae monetae) constituendi *Mansionarium* seu patrimonium ecclesiasticum favore Clerici, qui pauper esset, ab ipsa schola eligendi, quique tot Missas per hebdomadas distributas celebrare deberet, quot dici possent ex redditibus locatitiae domus, adsignata pro quavis Missa eleemosyna libellae venetae 1, 4; libera eidem Mansionario manente perceptione canonis. Voluit praeterea idem pius testator, ut, tempore vacationis Mansionariae, omnes redditus in Missarum celebrationem erogarentur.

Progressu temporis dicta Mansionarii plures vicissitudines passa est, donec ob reipublicae Venetae leges, vendita domo et redempto canone, anno 1762 integra summa lib. ilai. 2274 apud Montem Pietatis deposita est, quae usque adhuc ibidem servata est. Contigit etiam ut Mons Pietatis in ius eligendi Mansionarium successerit. Serius vero ex donatione cuiusdam Mansionarii dicta summa aucta est libell, ilai. 110.

Eiusmodi redditus in praesentia ita distribuebantur, ut, firma manente dispositione testatoris tempore vacationis, Mansionarios perciperet fixum redditum libell, ven. 62, reliquos vero in tot Missas erogarentur cum eleemosyna oboi. 50 iuxta taxam dioecesanam vigentem.

Eques Silvester Camerini alterum pium legatum reliquit anno 18.61 annuum redditum constituens Libel. Austr. 165, quo compleri posset aliquod patrimonium ecclesiasticum ab Archipresbytero pro tempore assignandum ei quem ipsemet eligere noluisset cum obligatione docendi catechismum,.

Redditus utriusque piae fundationis pro patrimonio ecclesiastico mox ab uno Clerico N. percipiantur, qui ad Sacerdotium promotus, illis relictis aliam Praebendam obtinuit.

Vacantibus itaque dictis fundationibus, Archipresbyter unionem earum perpetuam postulavit sub titulo Cappellaniae Variente-Camerini, reservato iure electionis alternis vicibus exercendo inter Archipresbyterum et Praesides Montis Pietatis, sublata quacumque Missarum obligatione, excepto vacationis tempore. Huius postulationis causas exposuit, quae sunt huiusmodi: necessitas scilicet prospiciendi Sacerdoti, qui doctrinam christianam pueros doceret, eos convocans singulis diebus festis in templum quoddam intra paroeciae fines existens, ut eos etiam pietate et religione imbueret, et quosdam eorum coleret ad Sacerdotium: exponebat insuper idem Archipresbyter, ob amplitudinem paroeciae necessarium esse in sex distinctis locis doctrinam christianam doceri; et quinque tantum esse Sacerdotes: unde consequebatur, aut unum locum esse relinquendum non sine gravi religionis, praesertim his temporibus, detrimento j aut alteri Sacerdoti esse prospiciendum, qui in exercitio curae animarum operam conferret.

Episcopus preces Archipresbyteri commendavit, accuratius determinans onera novi Cappellani: quin imo omnes quorum id intererat audivit, qui unioni fundationum consenserunt.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Nonnulla prout moris est adnotabantur *ex officio*, nimirum uniones Beneficiorum, seu piarum fundationum, in iure odiosas reputari, ideo quia immutatur status eorumdem, subvertuntur fundatorum dispositiones, iniminuuntur sacra patrimonia, quae quidem cedere solent in detrimentum divini cultus: proindeque nonnisi ex necessitate vel evidenti utilitate uniones perpetuas esse decernendas, Cap. *Exposuisti* 23 *de Praeb.* Concilium Trid. *sess.* 21 c. 5, *et sess.* 24 c. 15 *de refor.*

Attamen in praesenti themate, observabatur, duas fundationes pro constituendo patrimonio relictas, modo non amplius ad ecclesiasticum patrimonium sufficere: ideoque imploratam[1] unionem

non procedere adversus Fundatorum mentem, et contra in cultus divini augmentum cedere ob obligationes quas iuxta votum Episcopi Sacerdos assumere debuisset.

Quamvis autem haec unioni favere viderentur; nihilominus non videbatur congrua propositio Archipresbyteri qui rogabat deleri Missarum obligationem: id enim esse nimis alienum a voluntate testatoris. Quod si aucta synodali taxa ad oboi. 50, scilicet plus quam duplo primitivae eleemosynae, Missae a fundatoribus relictae auctoritate Apostolica reduci possint; absonum tamen esse a, disciplina canonica, ut impositum Missarum onus prorsus deleretur: namque etsi a S. Congregatione concedi soleat Episcopis facultas reducendi Missarum legata quando eleemosynae statutae nimis tenues ratione temporum evaserint, vel ob defectum reddituum, vel ob augmentum taxae synodalis; nihilominus quosdam limites sive quoad tempus sive quoad numerum assignari consuevisse, prout praescribitur in instructione, quae de hac re solet dari.

His aliisque animadversis, propositis precibus S. Congregationi Concilii die 30 Martii 1867 rescriptum prodiit : *Praevia absolutione quoad praeteritum, pro gratia perpetuae unionis utriusque causae piae, ac assignationis favore Cappellani parochialis iuxta votum Episcopi et reductionis ad decennium Missarum ad medietatem, reservato alternativo iure nominandi Cappellanum Archipresbijtero ac Praesidi Montis Pietatis ab Ordinario adprobandam, facto verbo cum SSmo.*

Ex QUIBUS COLLIGI POTEST.*

I. Quamvis unio realis et perpetua Beneficiorum nec non legatorum piorum prohibita generatim sit a ss. canonibus, nihilominus, interveniente canonica causa S. Sedem huiusmodi unioni non annuere.

II. Causas canonicas esse necessitatem vel evidentem ecclesiae utilitatem.

III. In unione tamen decernenda, fundatorum voluntatem servandam esse quantum servari possit.

IV. Colliges demum, quamvis taxa pro eleemosynis Missarum ab Ordinariis iuxta locorum indigentias et consuetudines augeatur, tamen reduci iuxta taxam legata Missarum non posse sine Apostolica facultate.

IX S, CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

DEMOLITIONIS ECCLESIAE

Die 7 Sept. 1866, i Fel. 1867 et 7 Feb. 1868.

Compendium facti. Super vertice collis ubi urbs N. consurgit, antiquitus nobile templum Urbanus IV ad praeclaras recolendas memorias erexit, cuius tamen hodie nonnisi rüderes supersunt. Pone eiusmodi rüderes templum extat tribus alis intellectum unico altari in medio constituto, supra quod adest imago Crucifixi quam fidelis populus ab antiquo magna pietate veneratus est. Olim hoc templum paroeciale erat, sed imminutis admodum in eo loco paroecianis, animarum cura translata fuit in ecclesiam cathedralem.

Anno 1530 Ordinarius Beneficium illud paroeciale univit cathedrali ecclesiae, cuius redditus id temporis non excessisse legitur *duodecim ducatorum de camera,* adiecta conditione ut Canonici *eiusdem Beneficii debita sustineant onera solita et consueta.* Eiusmodi unio ea de causa facta fuit ut prospiceretur conservationi templi.

Cum pia quaedam laicorum sodalitas templo indigeret, ut religiosas exercitationes ageret, Capitulum eidem Sodalitati templum hoc cessit, sub quibusdam conditionibus, inter quas illa erat, ut sodalitas suo aere prospiceret templi incolumitati et conservationi: quoad bona vero pertinentia ad templum sive Beneficium, scriptum fuit: *Canonicos sibi praeservare pro Capitulo omnes et singulas possessiones, vineas, campos, prata, redditus, domos, aliaque loca ad idem templum spectantia, exceptis supradictis in dicto Monte,* idest locis templo adiacentibus.

Pia Sodalitas onera suscipiens non videtur his oneribus satisfecisse: nam anno 1629 templum ruinam minitabatur, ita ut pia Sodalitas coacta fuerit, interveniente Ordinarii venia, illud derelinquere; seque transtulit in quoddam Oratorium cathedrali ecclesiae adnexum.

Anno 1630 quaedam instauratio eius templi facta fuisse videtur impensis scut. 100. Ab eo tempore usque ad annum 1787 in actis S. Visitationis nulla mentio amplius facta est de templi instauratione, quamvis de eodem templo mentio habeatur. Quidquid in posterum evenerit usque ad annum 1825 memoriae non fuit proditam: constabat tamen usque ad annum 1825 quemdam Clericum illi templo inserviisse, et Capitulum annua scut. tria in templi instaurationem impendisse.

Cum autem templum in dies magis magisque fatisceret, Ordinarius interdixit illud, translata in cathedrali ecclesia celebratione quarumdam Missarum, quae in illo templo erant celebrandae ; ac praeterea Canonicis praescripsit terminum unius anni ad templum reiiciendum. Cum autem Canonici mandatis neutiquam obtempéraient, tectumque dirui coepisset, tandem Ordinarius in S. Visitatione terminum mensis praescripsit ad reficiendum tectum, quo tempore inutiliter elapso, poenam Canonicis comminatus est scutalorum 3 singulis diebus.

Cum autem Canonici se per hoc decretum nimis gravatos putarent, preces obtulerunt S. C. Episc, et Reg. ut ab decreto ipsos liberaret; quare, servatis de more servandis, causa proposita fuit sub dubio quod in calce ponimus.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE. DEDUCERENT CANONICI. —Canonici in suis precibus rerum historia breviter enarrata, animadvertebant, ab eo tempore quo paroecia unita fuit Capitulo, unitam fuisse tamquam simplex Beneficium; legitur enim in decreto unionis: *praedium eiusdem mensae sit vel esse dicatur.* Ostendebant autem, ab anno 1590 quo Capitulo unita fuit paroecia, templum minatum fuisse ruinam: neque ex ea unione eidem Capitulo obvenisse sufficientes redditus : namque ea, quae expressa fuerant in concessione facta piae Sodalitati, nempe *possessiones, vineae etc.* non aliud fuisse inquiebant, nisi inanes formulas et inania verba; et in unionis decreto non aliud legi quoad redditus, nisi : *Fructus, redditus, proventus et emolumenta quaecumque duodecim ducatorum auri de camera non excedit:* item anno 1630 in decreto S. Visitationis legi, eam paroeciam unitam fuisse Capitulo *ob tenuitatem reddituum.*

Etsi autem tenues essent redditus, nihilominus Capitulum haud omisisse templum instaurare: quod si ab eo tempore usque adhuc permanserit, id est per tria circiter saecula, id Capituli curae esse adscribendum : modo autem templum ipsum temporis vetustate nimis fatiscens, indigere nova propemodum aedificatione, qua, aequitate suadente, gravari Canonicos non posse.

Nonnulla deinde oggerebant circa ^aedificationis convenientiam; an scilicet in illis remotis eius urbis locis, templum illud conservari expediret: inde descripserunt locum, quem fere inaccessibilem hyemali tempore esse inquiebant ; quin imo ex quodam alieno muro ante templi ianuam triginta abhinc annis construclo, ipsum templum aere et luce non parum privari, et aquas infra muri parietes et templum congestas fundamenta permeantes et humilitatem augentes, in maiorem templi iacturam confluere: nec deesse quemdam reconditum locum circa templum, quo rebus inhonestis pateret aditus.

EA QUAE ORDINARIUS DEDUCERET.—Hic pariter rerum historia breviter enarrata, inquiebat, paroeciam fuisse unitam Capitulo, quam in acceptis libenter habuit, non quidem in destructionem templi, sed in augmentum divini cultus conservationisque templi eiusdem: haud multam tamen Canonicos habuisse templi curam, quod conservari potuisset paucis impensis: ab anno autem 1825, Capitulum omnes dereliquisse erga temnlum sui Beneficii curas in detrimentum pietatis, quae magna erat in populo erga venerabilem Crucifixi imaginem: inde evenisse tecti ruinam, atque ea omnia, quae deinceps ex desertione fuerant consequuta,. quin Capitulum moveretur aequis consiliis propositis ad facilem templi instaurationem : monebat autem non ex loco in quo templa reperiri contingat, de templi utilitate esse iudicandum, sed ex pietate, qua fideles templa prosequuntur: reiiciebat insuper quae Capitulum ex inconvenientia enarrabat, quae potius in ipsius Capituli culpam erant vertenda.

EA QUAE EX OFFICIO ADNOTABANTUR.— Commemorata Tridentina Constitutione *cap.* 7 *sess.* 21 *de Ref.* animadvertebatur cum Card. De Luca *Disc. \7 n. i Adnot. ad Conc. Trid.* hac in re dari non posse generalem regulam, cum iudicium circa templorum demolitionem totum pendeat ex particularibus adiunctis: ubi praeterea hic Auctor notat, posse deveniri ad templi demolitionem ob plu-

res causas, «puta ubi de ecclesiis existentibus extra loca habi-
» tata, et in locis campestribus, seu alias ita situatis, ut pro
» delinquentem ae facinoroso-rum hominum confugio cum pu-
» blicae quietis perturbatione deserviant. » Et S. C. C. ob eius-
modi circumstantias non semel consensisse dernolitioni sacrarum aedium, ut traditur in *Aesina demolitionis* 26 Augusti 1780 *§. Sacra.* At vero haud concurrente iusta, urgente et necessaria causa, dernolitioni non consensisse, ut ibidem traditur §. *P tout.*

Dubium.

« An et quomodo confirmandum sit Decretum in S.Visita-
» tione editum, seu potius annuendum Capituli precibus in casu.»

RESOLUTIO — S. Congregatio Episc, et Reg. cognita quaestione die 7 Septembris 1866 respondere censuit: *Affirmative ad primam partem, iuxta modum: negative ad secundam.*

Modus autem praescriptus a S. C. fuit, ut praefigeretur Capitulo terminus unius mensis ad proponendum modum, quo repararetur damna templi, suspensis interea poenis comminatis, atque iussit eam rem referri in secunda Congregatione *post aquas* **(I).**

CAUSAE PHOSEQLUIIO.— Capitulum non ea solicitudine uti par erat se gessit, iuxta S. Congregationis mandata; quin imo nonnullis querimoniis exhibitis, postulavit causae revisionem: quare proposito dubio: « An concedenda sit causae revisio, vel potius
» ad ulteriora procedendum. » S. C.die 1 Febr. 1867 respondit: *Negative quoad novam audientiam , et ad mentem:* mens autem fuit, ut prorogaretur terminus ad alium mensem, quo inutiliter elapso, locum haberent poenae quas in suo Decreto Ordinarius in

(1) Vetustissimae sunt eiusmodi formulae, quibus SS. Congregationes utuntur, quando differunt causarum iudicium: quando enim differunt Resolutionem causae, sine ulla determinatione temporis, uti solent clausula: *dilata,* **qua simpliciter significatur, Resolutionem dilatam esse: quando vero determinant dilationis tempus, dicere solent ex. gr.** *dilata ad primam;* **idest, ad primam Congregationem immediate sequentem: item** *dilata ad primam post proximam;* **idest ad secundam subsequentem Congregationem: et secundum mensium diversitatem, dicere solent:** *dilata ad primam post aquas;* **idest post autumnales vacationes: item** *dilata ad primam post cineres* **idest, post diem cinerum : item** *dilata ad primam post Agnos :* **idest post festivitates Pashatis: item** *dilata ad primam post Reges;* **idest post Nativitatis et Epiphaniae solemnitates. Eiusmodi clausulae mutuatae fere omnes suut a vetustissimo S. Rotae Tribunali.**

S. Visitatione comminatus fuerat, ac relatio fieret in Congregatione proxime sequentis Aprilis.

Relatio itaque facta est statuto tempore in S. Congregatione, et audito iterum Ordinario, duae propositiones coram S. Congregatione exhibitae fuerunt pro instauratione templi opportunae, quarum prima secumferebat expensas scut. 494, altera vero scut. 388: quare proposito dubio: « An, quomodo, et quaenam » ex duabus propositionibus sit exsecutioni mandanda in casu.» S. Congregatio die 7 Februarii 1868 respondere censuit: *Affirmative pro prima propositione sub dependentia Episcopi, ita tamen ut opus infra tres menses incipiatur et infra quatuor annos perficiatur.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Non esse statim deveniendum ad demolitionem templi, unica extante causa* quod templum fatiscat, quamvis paroeciale non fuerit.

II. Templorum instaurationem ad eos primo loco spectare ad quos templum immediate pertinet; maxime vero si cum hoc onere templum redditusque con nexos susceperint.

HI. Gravibus enim non existentibus causis, non esse deveniendum ad eam destructionem, quae cedat in detrimentum divini cultus pietatisque fidelium.

EMPHYTEUSIS.

Die 13 Septembris 1867.

Docet communis rerum usus, ecclesiam fundos suos in emphyteusi m quidem concedere solere, nequaquam vero ab aliis fundos ecclesiae in emphyteusim concedi. Quaestiuncula haec quam Lectori proponimus, ecclesia non tanquam *dominae directae* sed tamquam *dominae utilis* personam gerit.

Compendium facti. Pia quaedam Sodalitas a tempore, cuius initium ignorabatur, a nobilissima Dynastarum domo vineam

titulo emphyteusis obtinebat cum annuo canone scutatorum octo. Ineunte praeterito saeculo, eadem Sodalitas in subemphyteusim familiae A. vineam emphyteuticam tradiderat, addito pacto ut canonem scutatorum octo domino directo persolveret, sibi vero scutata quinque pensitaret.

At exeunte eodem saeculo, facto loco devolutioni, utile vineae dominium liberum piae Sodalitati reciderat : tum factum est, ut sub iisdem pactis solvendi nimirum domino directo scutata octo, scutata vero quinque Sodalitati, vinea alteri familiae C. cederetur.

Inde familia isthaec ad dominum directum sese vertit, ut rite tamquam domina utilis ab eodem recognosceretur; ideoque recognitionis in dominum tabulae, persoluto laudemio, publice celebratae sunt; adnotandum autem est, in iis mentionem factam fuisse de canone, eumque uti perpetuum fuisse denominatum: pariter mentionem factam esse de instrumento concessionis, quod Sodalitas cum familia C. paullo ante ope Notarii peregerat, quin tamen ibidem indicaretur quo titulo concessio illa absoluta fuisset.

Cum autem instrumentum huiusce concessionis a Sodalitate factae reperiri minime potuisset, agnosci certo non poterat, an ista concessio titulo locationis aut subemphyteusis confecta dicenda esset : quod si etiam emphyteutica deprehensa fuisset, ignorabatur, an ad tertiam generationem vel in perpetuum extenderetur.

Interim id temporis cum ex vi iniquae napoleonicae legis assignationem suorum bonorum demanio Sodalitas tradere cogeretur, edixit vineam illam familiae C. in emphyteusim perpetuam concessam fuisse.

In tabulis censualibus (vulgo *Catasto)* utile vineae dominium famuiae C. erat inscriptum, quin tamen adderetur, an ad tempus vel in perpetuum : in libris administrationis quos pia Sodalitas asservabat, concessio vineae familiae C. facta, modo emphyteusis, modo mera locatio dicebatur.

In hoc rerum statu familia C, ut suum patrimonium stabili ratione componere posset, a S. C. Ep. et Reg petiit, ut novum instrumentum conderetur, quo, soluta per ipsam oratricem pro una vice summa scutatorum quinquaginta, sibi in emphyteusim

perpetuam sub eodem duplici canone, domino directo, et Sodalitati uti domino utili, pendendo, vineam Sodalitas ipsa concederet.

Precibus pro informatione ac voto Ordinario de more amandatis, cum iniunctione Sodales capitulariter audiendi; Ordinarii eiusdem iussu, Sodalium conventus habitus est, in eoque duae diversae propositiones in deliberationem sunt positae, una videlicet, an liberum vineae utile dominium contra familiam C. vindicari placeret; quae cunctis suffragiis excepta est; altera propositio, an vinea in emphyteusim eidem familiae C. tradenda esset, soluta summa pro una vice scutatorum centum, quae propositio cunctis suffragiis reiecta est.

At vero Ordinarius secundam hanc propositionem sodalitati perutilem, ideoque amplectendam esse autumabat. Itaque invitatis de more partibus, ut iura sua deducerent, res in consultationem penes Emos Patres deducta est.

EA QUAE «OMINE PIAE SODALI rAllá AFFEREBANTUR CONTRA PRECES FAMILIAE. — Sodales precibus non esse annuendum, sed potius actione vindicatoria vineam esse recuperandam propugnabant; nam a familia C. eadem vinea titulo locationis, minime vero titulo emphyteusis retineri inquiebant: aiebant enim *primo* in contractu emphyteutico necessariam prorsus esse scripturam tum ex iure canonico, tum ex iure civili in ditione Pontificia iuxta neotericas s. m. Gregorii XVI. leges. Iamvero scripturam, qua Sodalitas familiae ii. subemphyteusim attribuisse dictitabatur, nullatenus producta«! fuisse, neque produci potuisse: quamlibet enim disquisitionem ad eam rem adhibitam in irritum cessisse: id argumenti esse eam non habuisse locum: eo vel magis quod in Sodalitatis tabulario acta omnia superessent subemphyteuticae concessionis ab aetate longe remotiore, nempe ab ineunte saeculo praeterito, peractae favore familiae A.; acta autem absque dubio subemphyteusis favore familiae recentioris aetatis, exeunte eodem saeculo, adesse debuisse.

Aiebant *secundo* Sodales, subemphyteusim non existere, quia eadem actum alienationis cum contineat, Beneplacitum Apostolicum erat necessarium: atqui eiusmodi veniae obtentae nullum extare vestigium: quamvis enim familiae C. integrum esset ex tabulario SS. CC. Apostolici rescripti exemplar excerpere; atta-

meri nunquam idipsum exhibere potuisse; eo siquidem exhibito, victrix eadem extitisset.

Aiebant *tertio,* in libris administrationis apud archivium Sodalium extantibus, contractum illum saepissime uti locatitium fuisse designatum: et si quandoque uti emphyteuticus adnotatus est, id ex errore ac ignorantia factum fuisse: eodemque vitio laborare assignationem a Sodalibus demanio datam, itemque aliam in censualibus tabulis insertam.

Aiebant *quarto,* nullum ius in sui utilitatem haurire posse Familiam C. ex instrumento recognitionis in dominum cum nobilissima directaria familia celebrato : ea enim res inter utrasque familias^contrahentes tantummodo gesta fuerat, quin ullam Sodalitas in ea re partem habuisset: at vero nihil tam vulgatius quam, rem inter alios actam tertio minime nocere.

Aiebant denique, etsi per hypothesim contractus ille non locatitius, sed subemphyteuticus declaratus fuisset, subemphyteusim hanc non perpetuam, sed ad tertiam generationem coercí ta m cen^eri debere: in dubio enim ecclesiasticas emphyteuses perpetuas non iudicari: quare descendentes familiae C. cum in tertio saltem gradu iam versarentur, proximum esse dévolution! locum.

EA QUAE FAMILIA C. PRO SUIS PRLCÍBUS FAVORE EXCIPIENDIS AFFEREBAT. — Haec contendebat, dubitari non posse de contractu emphyteutico, ideoque rem perutilem Sodalibus facere si ad eliminandas controversias, solutis scutatis quinquaginta, vineam pro novo instrumento in perpetuum sibi concedi postulasset. Caeterum respondebat ad primum, scripturam intervenisse cuius expressa mentio facta reperiebatur et Notarius nominatus fuerat in instrumento recognitionis in dominum: aliud enim esse scripturam non inveniri, aliud non extitisse, quo secundo casu tum S. Bota, tum S. C. Epis, et Reg. de emphyteusis validitate iudicium ferre non dubitarunt, ut in *Montisfalisei Emphyteusis* 23 Septem. 1859 et in alia eiusdem dioecesis diei 6 Maii 1864.

Respondebat ad secundum nihil officere si neque Beneplacitum Apostolicum deduceretur, quod una cum scriptura deperditum fuerat: et sane, in utraque mox allegata causa *Montisfalisei,* Rescriptum Pontificium itidem deerat, et quamvis ipsum cum scriptura petiisset, tamen emphyteusim in suo robore permanere iudicatum fuit.

Respondebat ad tertium , documentum ab administrationis libris desumptum nullam babere vim; quia aperte adversabatur tum assignationi demanio factae, tum publicis census tabulis, tum denique libris ipsis, in quibus ex ipsorum Sodalium confessione contractum, etsi aliquando locatitium , multo crebrius etiam emphyteuticum appellatum fuisse.

Respondebat ad quartum, ex instrumento cum familia directam confecto, optimum ad rem probationis documentum desumi Quod enim res inter alios acta nihil tertio noceat, valere quidem circa pacta inter eos inita; sed hic quaeri, an id quod ibidem enarrabatur verum esset nec ne: an domina directa inconsulto subemphyteusim recognoverit, quin prius sibi consuluerit.

Denique respondebat, controversiam eo in statu et terminis versari, quibus contra pium Jocum multiplicibus iudiciis aditus pateret: et probabilius videri ex his tantum inspectis familiam C. victricem esse evasuram.

Dubium»

« An et quomodo et quibus conditionibus annuendum sit » precibus *(Familiae C.)* pro declaranda perpetua subemphyteusi » vineae in casu. »

RESPONSIO. — Die 13 Sept. 1867 Emi Patres rescripserunt: *Affirmative stipulato instrumento subemphyteusis perpetuae cum annuo subcanone scut.* 5 *et supportatis per subemphyteutam canone debito Directario cum omnibus oneribus impositis et imponendis, nec non solutis in actu stipulationis instrumenti scut.* 80 *investiendis favore loci pii.*

EX QUIBUS COLLIGES:

1. Quamvis ecclesia sua bona aliis in emphyteusim dare soleat, non deesse tamen aliquos casus, in quibus ipsa aliena bona in emphyteusim recipiat (1).

(1) Quaeri fortasse potest, an in hoc secundo casu opus sit Beneplacito Apostolico. Quidquid vero sit de animadversionibus quae pro excludenda Beneplaciti Apostolici necessitate, afferri possint, verum tamen est, ecclesiam una cum aliis obligationibus onus in se suscipit directo domino canonem conventum quolibet anno persolvendi. Esto, quod ipsa ab utili, quod fruitur, dominio, fructus recolligat, quibus oneri satisfaciat, et quod superest, sibi retineat: sane fieri facile

H. In contractibus, qui, ob documentorum defectum, definiri certo non possunt, cuiusnam fuerint naturae, S. Congregationem, ad praecavendas lites, facile adprobare aequas propositas conventiones.

potest, ut pluribus annis hi fructus ex variis infortuuiis intercipiantur : deinde plurimae sunt aliae obligationes, quibus emphyteuta erga dominum directum ex iure subiicitur. Hinc evenit, ut S. C. Ep. et Reg. non solum exquirendam Apostolicam veniam exigat, sed praeterea non siue gravi difficultate concedendam esse censeat velut colligitur ex quadam causa *Romana approbationis contractus emphyteusis* **diei 17 Iunii 1842.**

Illius consultationis species haec erat: quaedam regularis communitas in alma Urbe domo rusticationis necessario indigebat, qua adolescentes studiis addicti recreatiouis causa sese reciperent. Itaque in emphyteusim a quadam persona laica vineam cum idonea rusticationis domo obtinuit, addita conditione implorandi Beneplacitum Apostolicum. Quare Sacram Congregationem Ep. et Reg. hac de causa exoravit; quae disciplinae iam invalescenti adhaerens, non paucas contractui passivae istius emphyteusis ad probando difficultates opposuit. Cum tamen dictae communitatis Moderator, magis ac magis instaret, ut contractus adprobantur, consilium initum est, ut auditis partibus et Emo Urbis Vicario, res in plenario auditorio disceptaretur; et dubium propositum est: «An et quomodo » adprobandussit contractus emphyteusis » passivae in casu.» Cui Emi Patres responderunt: *Affirmative attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus iuxta votum Emi Urbis Vicarii adhibitis cautelis necessariis et opportunis.*

Abstineo a singulis circumstantiis, quae hoc ib casu concurrisse a Consultationis redactore narrabantur; duas tanr tum afferam, religiosam nempe Communitatem multas iam impensas pertulisse, ut vineam, de qua concedenda ageretur in melius adduceret, ac deinde, personam quamdam privatam fuisse iuventam quae titulo gratuitae donationis, ad emphyteusim illam facilius adquirendam Religiosae Com munitati haud modicam pecuniae summam adpromiserat.

MONITUM

AD PRESBYTERUM CYRJNYM RINALDI.

Sequens monitum publicatum fuit in officiali diario Romano die 17 *Februarii* 1868.

« Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia PP. IX. gravissima considerans mala, quae in Siciliae Ecclesias ex praetensa Legatione, et ex Tribunali ita dictae Monarchiae redundarunt, supremi Apostolici sui ministerii officium esse existimavit opportunum et efficax adhibere remedium. Quapropter die 10 huius mensis vulgavit Apostolicas Litteras sub Plumbo editas, et incipientes «Suprema» quibus de medio tollit commemoratam praetensam Legationem, ac Tribunal, et penitus extinguit, ac abolet munus et officium tum Iudicis praedicti Tribunalis, tum aliorum omnium Officialium, et Ministrorum, qui ad idem Tribunal quovis modo pertinent. Spiritualibus autem Siciliae fidelium necessitatibus idem Summus Pontifex consulens eodem tempore edidit et publicavit Apostolicas Litteras Annulo Piscatoris obsignatas, quibus peculiares Sacrorum eiusdem Insulae Antistibus facultates conceduntur.

» Post huiusmodi publicationem, quae solemnem supremae Ecclesiae auctoritatis actum constituit, nemini ex catholicis certe licet eidem actui ullo modo refragati, quin immo omnes conformare se debent ad Pontificias ordinationes, quae in memoratis Apostolicis Litteris sub Plumbo expeditis continentur. Itaque, Sacerdos Cyrine Rinaldi, qui sic appellatae Monarchiae iudicis munere fungebaris, ne Te ab earumdem Apostolicarum Litterarum observantia eximere unquam possis, praetexens ignorantiam aut aliam excusationem, et, quod Deus avertat, cum animae tuae detrimento, et fidelium damno et scandalo attentes, actus nullos, quorum coram Deo, et Ecclesia reus eris, idem Summus Pontifex huic Sacrae Congregationi negotiis Episcoporum et Regularium praepositae expresse in mandatis dedit, ut earumdem Apostolicarum Litterarum sub Plumbo exemplar Tibi mittat, et eodem tempore Tibi suo nomine, et Apostolica Auctoritate de-

nuntiet maioris excommunicationis poenam latae sententiae ipso facto absque ulla alia declaratione incurrendam, cuius absolutio ipsi Summo Pontifici reservatur, excepto tantum tempore quo versèris in mortis articulo, quoties seu directe, seu indirecte , et quovis modo ausus fueris vel earumdem Litterarum exsecutionem impedire, vel nomen officii, quod gerebas, retinere, vel eiusdem officii exercitio Te immiscere sub quolibet titulo, praetextu et colore, et quocumque actu etiam extraiudiciali, et oeconomico per interpositam quoque personam peracto.

» Haec igitur Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium Pontificis Maximi imperata faciens Tibi exemplar mittit earumdem Apostoljcarum Litterarum sub Plumbo editarum «Suprema,» ac praesenti Monitorio poenam excommunicationis a Sanctitate Sua statutam, veluti supra dictum est, Tibi indicit, ac simul declarat, quod eiusdem excommunicationis comminatione minime intenditur derogari aliis ecclesiasticis censuris ac poenis, quas Sacri Canones, et Apostolicae Constitutiones in illos infligunt, qui exsecutionem Actorum Sanctae Sedis impediunt, vel ecclesiasticam iurisdictionem usurpant, vel liberum Episcoporum auctoritatis exercitium perturbant.

» Quod autem attinet ad Actus per abusionem factos, quibus praeterito tempore locum dedisti, Sanctitas Sua Te etiam atque etiam hortatur, et monet, ut Sacerdotalis Tuae praesertim conditionis memor, velis conscientiae Tuae sedulo ac serio consulere, prae oculis habens, poenas ab hominibus statutas eludi posse, sed punientis Dei manum vitari nunquam posse.

» Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 15 Octobris Anno 1867. »

A. CARD. QUAGLIA PRAEF.

Stanislaus Svegliati Secr.

EX S. CONGREGATIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

EPISTOLA DECLARATORIA CIRCA PRIVILEGIA CLERICORUM.

Die 20 Septembris Í860.

« La Santità di Nostro Signore Pio PAPA IX. ha dichiarato, che il Chierico *non in sacris*, sia celibe, sia coniugato, allorché per non avere esattamente osservato quanto e disposto dal Sacrosanto Concilio di Trento *sess.* 23 *c.* 6 *de Reformatione* perde il privilegio del foro, s'intenda, e sia *ipso iure et ipso facto* decaduto da tutti i privilègi clericali per modo, che debba esser considerato e trattato come persona meramente laica anche nelle cause criminali, e per gli effetti penali, senza che da ora in poi si richieda la precedente trina monizione, o la dichiarazione particolare sopra tale decadenza (1).

(1) Superior declaratio, quae ad singulos Ordinarios Pontificiae Ditionis an. 1S60 missa est, latine sic sonat: « Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. declaravit, Clericum in *sacris Ordinibus non constitutum,)* sive caelibem sive matrimonio iunctum, cum, quod ea quae Sacrosanctum Concilium Tridentinum *Sess.* 23, c. 6. *de Reformatione* disposuit, diligenter non observaverit, privilegium *fori* amittit, habendum esse destitutum, atque *ipso iure* et *ipso facto* destitui omnibus Clericorum privilegiis, ita ut haberi tractarique debeat tanquam persona mere laica, etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales, quin iam nunc ac deinceps triplex admonitio, sive peculialis declaratio, ipsum in hanc poenam incidisse opus sit. »

Vid. Appendieem VIII.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM,

DECLARATIONES.

Die 17 Decembris 1867.

Supplices Preces. « Cum Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. dignatus fuerit concedere cuilibet ex Sacerdotibus animarum curam habentibus, qui Romam ad Centenarium S. Petri con venere, facultatem semel impartiendi Apostolicam benedictionem cum applicatione plenariae Indulgentiae fidelibus spirituali eorum curae concreditis in die a proprio Ordinario designanda: in *Monito,* quod , Apostolicae Allocutioni subiectum , evulgatum fuit, declaratum legitur hanc benedictionem posse impertiri solummodo ab illis, *qui aut Parochi sunt, aut Parochorum auxiliares, aut aliorum piorum locorum, aut Hospitalium, aut carcerum poenalium moderatores.* Fridericus Falcinelli Parochus in oppido vulgo *Monlilgallo* dioecesis Cesenatensis sequentia dubia Eminentiae Vestrae humiliter exponit:

I. « Utrum inter *Parochorum auxiliares* adnumerentur ii sacerdotes , qui proprio Parocho praesto sunt in functionibus parochialibus, quique *Cappellani* vulgari nomine recensentur.

II. » Utrum per *Piorum locorum, aut Hospitalium aut carcerum poenalium moderatores* intelligantur Confessarii ordinarii Monialium, mulierum in Conservatoriis degentium, Hospitalium, et carcerum poenalium.»

RESCRIPTUM, «SSmus D. N. Pius PP. IX. in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto die 17 Decembris 1867 propositis dubiis respondendum mandavit:

Ad I. *Affirmative, quatenus Cappellani habitualiter in auxilium Parochi operam praestent, et dummodo respectivi Parochi Romam non venerint, et pro benedictione danda eorum consensus accedat.*

Ad II. *Affirmative. Caeterum in reliquis omnibus forma ac tenor primaevae concessionis a SSmo D. N. factae servetur.*

» Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 17 Dec. 1867. »

I. Card. BIZZARRI Praefectus.

A. COLOMBO Secretarius.

EX S, ROMAM ET UNIVERSALI INQUISITIONE,

APOSTOLICUM RESCRIPTUM

QUO

MONACHIS TRAPPENSIBTJS FACULTAS FACTA EST

EMITTENDI SOLEMNIA VOTA.

Supplices Preces

Die 5 Februarii 1868.

BEATISSIME PATER. «Gregorius XVI. Sa. Me. Pontifex Maximus die 1 Martii 1837 declaravit vota Trappensium, quae ab ea die in posterum intra fines Galliarum regni emitterentur, tamquam simplicia habenda esse, idque donec aliter a Sede Apostolica statuatur. Haec declaratio a Sanctitate Vestra applicata fuit ad Trappenses in Hibernia, deinde in Relgio, ac tandem ad omnes ubicumque locorum ipsi reperiuntur, iis exceptis, qui ad Monasterium de Casamari pertinent. Interim iussu Sanctitatis Vestrae examinata est quaestio, utrum expediret praedictam declarationem omnibus Trappensibus iam communem, stabili fìrmoque decreto confirmare ac potius decernere, ut Trappenses, utpote Monachi Cistercienses reformati, vota solemnia, praestabiles opportunis cautionibus et conditionibus, emittere valeant. Hanc ob rem exquisita fuerunt nonnullorum Episcoporum vota, et auditi quoque sunt Vicarii Generales trium Congregationum Trappensium, qui ad unum omnes, consentientibus Episcopis supra memoratis, enixe instanterque a Beatitudinis Vestrae Clementia expostulant, ut reddita iis votorum solemnitate ardentissimo ipsorum desiderio annuere dignetur. Quare »

Feria IV, die 5 *Februarii* 1868.

« SSmus D. N. D. Pius Divina Providentia PP. IX in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, audita relatione stipra scripti supplicis libelli, una cum Emorum, et Rmorum D. P. Cardinalium Inquisiturum Generalium suffragiis decrevit iuxta sequentem modum, ut videlicet omnes Monachi Cistercienses reformati, vulgo dicti Trappenses, ubicumque locorum, iis exceptis, qui ad

Monasterium SS. Ioannis et Pauli de Casamari in Dioecesi Verulana pertinent, post biennium novitiatus vota simplicia emittant, ad triennium, quo transacto, Vota solemnia emittere possint, et valeant, ita quidem, ut professio votorum solemnium ex iustis, et rationabilibus causis differri quoque possit, non tamen ultra quinquennium postquam emissa fuerint vota simplicia, servatis de caetero praescriptionibus et declarationibus a S. Congregatione super statu regularium editis. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. »

Loco Sigilli. ANGELUS ARGENTI S. R. et U. L

Notarius.

EX S, CONGREGATIONE INDICIS.

Sequentes libri cum consuetis clausulis prohibiti sunt die 18 *Februarii* 1868.

Lezioni di letteratura italiana nell'Università di Napoli dettate da Luigi Settembrini Vol. L Napoli 1866. *Decr. diei* 4 *Iulii* 1867.

La France sous Louis XV. (1715-1774) par Alphonse lobez ancien représentant. Paris, librairie accadèmique. Didier et C. 1865.

Histoire de France depuis les temps les plus anciens jusqu'à nos jours, d'après les documents originaux, et les monuments de l'art de chaque époque, par M. M. Henri Bordier, et Edouard Charton. Paris 1864.

De la séparation du spirituel, et du temporel par Miron. Paris, Librairie des Sciences sociales de Noirot et C. 1866.

Zwei Thesen für das allgemeine Concil von G. C. Mayer, Professor der Dogmatik. Bamberg, 1868. Druck und Verlag von Otto Reindl; h. e. Theses duae pro Concilio Oecumenico a Doctor G. C. Mayer, Theologiae Professore et Canonico Metropol. Bambergae. Bambergae, sumptibus et typis Ottonis Reindl 1868.

Theologische Einwendung gegen die scolastiche philosophiae Lhere vom Menschen im Entwürfe, von S. Spoerlein, Professor der Kirchengeschichte am Lyceum in Bamberg, Bamberg. Druck und Verlag von Otto Reindl, 1867: h. e. Objectio Theologica contra Scolastico-Philosophicam de homine doctrinam compendio proposita a S. Spoerlein historiae ecclesiasticae in lyceo Bambergensi professore. Bambergae, Reindl, 1867.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

In Consistorio secreto habito die 20 Decembris 1857, Emus et Rmus D. Card. Grassellini dimisso titulo diaconatus ss. Viti et Modesti, optavit diaconatum s. Mariae ad Martyres. Inde Sanctissimus Dominus Noster, Allocutione praehabita quam retulimus *pag.* 289, sequentes proposuit ecclesias.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM SEBASTEN. **in partibus infidelium vacantem per translationem R. P. D. Andreae Charvaz ad metropolitanam Sedem Ianuensem: ad eam promotus est R. P. D. Caietanus Brinciotti iam Antistes Balneoregiensis.**

CATHEDRALEM ECCLESIAM BALNEOBEGIEN. **vacantem per dimissionem a R. P. D. Caietano Brinciotti ultro libenterque in manibus SSmi D. N. peractam et admissam: ad eam ecclesiam promotus est R. P. Fr. Raphael a Sanctissima Conceptione, presbyter dioeceseos "ventimiliensis et Ordinis Carmelitarum discalceatorum professus; qui, praeter alia, in' sua Ianueosi provincia Lector philosophiae, Definitur provincialis et Prior renunciatus, Praesidis provincialis munere ad praesens usque perfunctus est.**

Balneoregium Patrimonii urbs in agro Urbevetano posita, unius fere milliarii est ambitus, quadrigentas circiter continet domos, atque a duobus pene millibus incolarum inhabitatio, Apostolicae Sanctae Sedi in temporalibus quoque obtemperantium.

Cathedralis Ecclesia ss. Donati Episcopi et Martyris, Nicolai ac Bonaventurae Episcopi et Ecclesiae Doctoris titulis, eidem Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum duas recenset Dignitates, (quarum post pontificalem prima est Archidiaconatus), sexdecim cum utraque Praebenda Canonicos ; nonnullos Cappellanos beneficiatus, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat animarum cura quam duo Canonici-Curati administrant in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc., et inter sacras Reliquias" brachium S. Bonaventurae concivis, ac praecipui Patroni, et caput S. Hildebrandi civitatis Episcopi et Compatroni, decenter adservantur; chorus; et extra urbem extat coemeterium.

Altera praeterea reperitur Balneoregii Ecclesia, quae Cathedralis quondam erat, modo tantum Paroecialis; insuper duplex pro viris ac unum pro mulieribus monasterium, plures laicorum sodalitates, nosocomium, mons pietatis ac frumentarius, et seminarium

CATHEDRALEM ECCLESIAM OLINDEN. **vacantem per obitum bo. me. Episcopi Emmanuelis do Rego de Me'deiros, ad quam ex benignitate SSmi ad praesentationem Seremi Brasiliae Imperatoris promotus est R. D. Franciscus Cardozo Ayres presbyter dioeceseos Olindensis et Instituti a charitate nuncupati professus, qui in Dei verbo in Anglia et Hibernia praedicando, in sacramentalibus confessionibus excipiendis operam navavit.**

Olinda Brasiliae urbs et provinciae Pernambucensis caput prope mare aedificata sedet in colle cum portu capaci, decies fere mille continet domos, atque a nonaginta circiter incolarum millibus

inhabitator, sob temporali dominio dicti Serenissimi Imperatoris.

Cathedralis Ecclesia, SSmi Salvatoris titulo, Archiepiscopos.Salvatoris in Brasilia s u ff r gntur.

Eius Capitulum quatuor recenset Dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus), sexdecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Parochum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc.

Quinque aliae insuper recensentur Olindae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, quatuor pro viris ac tria pro mulieribus monasteria, plures laicorum sodalitates , aliquot nosocomia , a misericordia domus, atque seminarium; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet ac plurima sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NAMURCEN.vacantem per translationem R.P.D. Victoris Augusti Isidori Dechamps ad metropolitanam Sedem Mechliniensem, ad quam evectus est R. P. D. Theodorus Iosephus Gravez presbyter dioeceseos Tornacensis , qui in Seminario Tornacensi philosophiae et theologiae dogmaticae praelectiones tradens, inter Protonotarios Apostolicos cooptatus fuit, Parochus et Decanus ad s. Elisabeth ecclesiam, eiusdem dioecesis ad praesens usque renunciatus erat.

Namurcum ampla et amoenissima Belgii civitas et provinciae Namurcensis caput ad Sabini et Mosam flumina posita mille et octingentas circiter una cum suburbiis continet domos , eamque vicies fere mille incolunt cives catholicam religionem profitentes.

Cathedralis Ecclesia , Sancti Albani Martyris titulo, Mechliniensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quatuor recenset dignitates, (quarum post pontificalem prima est Decanatus,) novem cum utraque praebenda, poenitentiali nempe et theologali, Canonicos, aliosque Presbyteros, queis adiunguntur festis solemnibus Clerici seminarii divinis inservientes.

Per Parochum Capituli vices gerentem animarum cura exercetur in Cathetrali, ubi fons adest baptismalis etc. et extra urbem extat coemeterium.

Quinque aliae praeterea recensentur Namurci ac tres in suburbiis paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tres pro viris ac duae pro mulieribus religiosae domus, quinque conservatoria, plures laicorum sodalitates, quatuor nosocomia atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad triginta quatuor leucas in longitudinem, ad sexdecim in latitudinem protenditur, provincias Namurcensem ac Luxemburgensem Belgii, septingentas circiter paroecias, pluraque sub se complectitur loca et sexceuta animarum millia.

CATHEDBALEM ECCLESIAM WABMIEN. vacantem per obitum bo. me. Episcopi Iosephi Geritz, ad quam vigore indulti Apostolici electus fuit a RR. Capitulo et Canonicis Warmiensibus R. P. D. Philippus Krementz presbyter dioeceseos Trevirensis a SSmo D. N. confirmatus.

Warmia Borussiae regalis praefectura in provincia Borussiae orientalis existens nomen tribuit Episcopatui Warmiensi, cuius sedes dudum in urbe Fravenburgi constituta remanet. Porro urbs ipsa praedicta in provincia et in litore Habi sinus, ubi recipit amnem *Sehon,* aedificata, ter mille circiter enumerat incolas.

Cathedralis Ecclesia, B. V. Mariae in coelum assumptae titulo, Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum duas recenset Dignitates, (quarum post pontificalem prima est Praepositum), octo Canonicos numerarios cum theologo ac poenitentiario, quatuor honorarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Animarum cura minime exercetur in Cathedrali, sed in proxima Ecclesia paroeciali fonte baptismali munita; in Cathedrali vero plures sunt Sanctorum Reliquiae, nomiuatim corpus SS. Theodori ac Saturnini Martyrum religiosissime adservantur, atque extra urbem extat coemeterium.

Praeter Cathedralem et memoratam Parochialem nulla alia existit Fravenburgi Ecclesia, sed tantum nosocomium et io civitate Braunsbergensi seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus satis late patet, ac ultra centum triginta sub se complectitur paroecias.

EPISCOPALEM ECCLESIAM CYBENEN. sub Patriarcha Alexandrino in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Martini Simienski, ad quam promotus est R. P. D. Antonius Canzi presbyter Bononiensis Archidioeceseos , qui in utroque iure doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis perfungendis muneribus, praesertim sacramentales confessiones excipiendo maxime emicuit: illius curiae Iudex et pro variis institutionibus Consultor adlectus, puerorum collegii Rector,R. Fabricae S. Petri commissarius et Archidioeceseos Convisitator deputatus est, Canonicus exinde effectus tum Pro-Vicarius Generalis tum Vicarius Capitularis electus est: inter cubicularios SSmi D. N. secretos, dein inter Praelatos domesticos adscriptus, Patriarchalis Basilicae Lateranensis Canonicus ad honores, et nuper metropolitanae Bononiensis Archidiaconus renunciatus fuit.

Cyrene primaria civitas regionis Cyrenaicae in Lybia, saepe in sacris paginis commemorata, infidelium iugo adhuc miserrime subest.

ECCLESIAM EPISCOPALEM LEUCEN. sub Archiepiscopo Nnupactensi in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Angelici Benedik aCapronsa illius Dioecesis Episcopi, cui suffectus est R. D. Lotharius Kübel Presbyter Archidioeceseos Friburgensis, qui in collegio theologico Friburgensi Director constitutus in auimarum curam ceu Parochus inibi olim incubuit: illius curiae archiepiscopalis Consiliarius ecclesiasticus et Adsessor adlectus, tum eiusdem Capituli Canonicus Decanus renunciatus, tum Civitatis et Archidioeceseos Vicarii in spiritualibus Generalis munere ad praesens usque perfunctus est.

Leucas, urbs insulae maris lonii, iuxta oram Acharnaniae olim continenti iuncta, adhuc infidelium dominio subest.

ECCLESIAM CHATHEDRALEM S. IOANNIS DE CUYO in republica Buenos-Ayres ad quam promotus est R. Wenceslaus Achaval, Sacerdos dioecesis Saltensis professus in Ordine Minorum Observantium S. Francisci iam Provincialis sui Ordinis n provincia SSmae Assumptionis in republica Argentina.

Post haec SSmus patefecit electiones iam exsecutioni mandatas per S. C. de Propaganda Fide, quae sunt sequentes:

ECCLESIA CATHEDRALIS ARDAGADEN iri Hibernia, cui praefectus fuit R. D. Cornelius Mac-Cabe Sacerdos Hibernus.

ECCLESIA EPISCOPALIS AEGEN. in partibus infidelium cui praepositus fuit R. P. Fr. Dominicus Reynaudi a Villafranca Ordinis Capucinorum Vicarius Apostolicus in Sophia et Philippopoli.

Denique petitio Sacri Pallii facta est pro metropolitana ecclesia Mechlinien.

APPENDIX VII.

FORMULA QUA EPISCOPIS PER S. C» C. CONCEDI SOLET FACULTAS ABSOLVENDI SUPER MISSARUM OMISSIONIBUS, ET REDUCENDI MISSAS PERPETUAS EX PIIS LEGATIS: ÏÏEC NON CELEBRE INDULTUM BENEDICTI XIII.

Sacra Congregatio Concilii saepissime per se peculiarium legatorum petitas absolutiones et reductiones in singulis casibus examinandas assumit, de hac re, iuxta praxim S. G. C, erudite agit Angelus Lucidi in recentissimo opere *De Visitatione SS. Liminum t?* 2 *pag.* 425 *et seqq.* in qua refertur etiam formula quae Ordinariis locorum traditur, quando facultas iisdem fit Missarum legata reducendi: haec formula est sequentis tenoris : « SSmus D. N. audita re- » latione iufrasc Secretarii S.C.Con- » cilii, Episcopi oratoris precibus » benigne annuens facultatem eidem » impertitus est infra triennium pro- » ximum tantum absolvendi vere » pauperes super praeteritis oinissio- » nibus adimplementi onerum Mis- » saram perpetuarum dumtaxat, in- » iuncta singulis ex iisdem enunciata » absolutione indigentibus, iuxtalo- » corum, personarum et temporum » circumstantias , ac quantitatem » Missarum o missarum aliqua cele- » bratione pro una vice nonnullo - » rum Sacrorum in suffragium ani- » marum testatorum applicare., pro » quibus Missae erant celebrandae, » celebrataéque non fuerunt, et ali- » quo pio opere per modum suf- » fragii,utsupra, itidem applicando. » Quo vero ad futurum facultatem » similiter tribuit Episcopo oratori, » ut, dicto perdurante triennio, » praefata Missarum perpetuarum » onera , dummodo alias reducta » non fuerint, ad tramites Indulti » Benedicti XIII. in postrema ro- » mana Synodo impressi, illiusque » forma ac tenore in omnibus ad- » amussim servatis pro suo arbitrio » et prudentia *(vel conscientia)* gratis » reducere ac moderari possit et » valeat. »

Indultum autem a Bened. XIII. concessum Monachis Cassinensibus, quod ad Episcopos fuit extensum, qui Concilio romano interfuere, legitur in *tit.* 15 *cap.* 8 *Conc. rom.,* quod quidem integrum caput ita se habet:

« Nuper, instante coram Nobis Procuratore Generali Congregationis Cassinensis, Ordinis S. Benedicti, pro absolutione ab hactenus, ex causis expositis, omissa in suis, per Italiam constitutis, Monasteriis perpetuarum Missarum celebratione , ac insuper pro aequa ipsarum, ad quas in futurum eadem Monasteria tenerentur , Missarum reductione ; sequens sub suo supplici libello, de mandato nostro, a Concilii Congregatione emanavit Decretum.

» BEATISSIME PATER. Procura- » tor Generalis Congregationis Cas- » sinensis Ordinis S. Benedicti, ad » pedes Sanctitatis Vestrae humiliter

» provolutus, exponit, suae Congre-
» gationis Monasteria, per Italiam
» constituta, ob bella, pestilentiam,
» contributiones, subsidia, decimas,
» et alias calamitates, et infortunia,
» a praedictis causis, et aliis, heu,
» nimium notoriis, derivantia, dura
» premi paupertate: largitiones etiam
» fidelium esse maximopere i rami-
» nutas; et fundos quoque, et capi-
» talia Missarum perpetuarum ex
» praenarratis, aliisque causis, aut
» in totum deperdita, aut magna ex
» parte detrita esse, et consumpta;
» quocirca idem Procurator pari hu-
» militate exorat pro dictarum Mis-
» sarum perpetuarum, quae usque
» ad praesentem diem celebrari de-
» buissent, et celebratae non sunt,
» benigna condonatione; et pro ea-
» rumdem Missarum moderatione,
» et reductione in futurum.

Die xv. Iulii 1724.

» SSmus D. N. BENEDICTUS PAPA XIII. *mature consideratis causis, supra recensitis, necnon exemplis suorum Praedecessorum Alexandri VIL, Clementis X., Clementis XL, et praesertim Innocentii XIII. Romanorum Pontificum, ab hactenus omissa Missarum perpetuarum celebratione misericorditer absolvit; mandavitque, ut a Patre Abbate Generali cum suorum Assistentium, quatenus iuxta Constitutiones adsint in sua Religione Assistentes, sin minus aliorum graviorum Patrum, quos in arduis consulere consuevit, consilio, unum Monasterium in unaquaque Provincia eligatur cum facúltate mutandi, et alterum toties, quolies sibi videbitur, adhibito praedicto consilio, in unaquaque Provincia substituendi, in quorum respective Monasteriorum designandorum Ecclesiis, quolibet anno in perpetuum, initio ducto ab anno* **1725.** *uno die infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum, unum Anniversarium, in tabella onerum Monasteriorum describendum, celebretur, et applicetur pro Animabus illorum, pro quibus praefatae Missae perpetuae erant celebrandae, et applicandae, et hactenus non fuerunt celebratae, et applicatae. Quoad onera vero perpetuarum Missarum usque in praesentem diem acceptata, et in posterum adimplenda , Sanctitas Sua eidem Patri Abbati Generali demandava, ut, adhibito suorum praedictorum consilio, e singulis Italiae Provinciis binos, aut etiam plures eligat Religiosos, pietate, zelo, doctrina, et probitate praeditos, qui testamentis, instrumentis, libris, tabellis, ceterisque documentis, quibus onera Missarum, unicuique Monasterio suae Provinciae respective incumbentia, descripta continentur, perspectis, ac sedulo examinatis, et redditibus unicuique oneri attributis, necnon eorum diminutionem diligenter perquisitis, atque perpensis, et praesertim,, an ipsae diminuliones perpetuae sint, vel temporaneae , distinctam, atque fidelem descriptionem ad eumdem Patrem Generalem transmittant, qui una cum dictis Patribus Assistentibus, aut aliis supra memoratis, quos in arduis consulere consuevit, pro eorum omnium*

conscientia (cuius rationem supremo Iudici Christo Domino se districte reddituros, meminisse debebunt) unamquamque Missam perpetuam, moderari valeat, et reducere ad rationem eleemosynae scutorum sexaginta monetae Romanae pro qualibet Missa quotidiana, intra terminum trium annorum a data praesentium; factaque post reductionem distincta onerum descriptione in Tabella onerum Missarum uniuscuiusque Monasterii. Ceterum quoad novorum onerum, seu eleemosynarum, aut oblationum pro Missis perpetuis celebrandis, acceptationem in futurum, Sanctissimus Dominus Noster, inhaerendo Decretis de celebratione Missarum, iussu fel. rec. Urbani PP. VIII., et fel. rec. innocentii Papae XII. per Sacram Congregationem Concilii editis, prohibuit omnibus, et singulis Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, ne in posterum onera perpetua Missarum celebrandarum suscipiant sine Generalis pro tempore, vel Provincialis consensu, et licentia in scriptis, et gratis concedenda, renovata poena privationis contravenientibus omnium officiorum, quae tunc obtinebunt, et perpetuae inhabilitatis ad alia de cetero obtinenda, et privationis pariter ipso iure, et absque alia declaratione vocis activae, et passivae: et quoad ipsos Generales, seu Provinciales, de licentia requisitos pro dictis oneribus perpetuis acceptandis, Sanctitas Sua in eorum memoriam revocavit, ipsos in singulis casibus teneri diligenter inquirere ds singulis Missarum celebrandarum obligationibus, nec eos antea assensum, aut licentiam praebere debere, quam ipsis legitime constiterit, Sacerdotes uniuscuiusque Ecclesiae, et Monasterii, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis iam susceptis, satisfacere posse; praecipuumque demum ab ipsis Generalibus, et Provincialibus habendam esse rationem, ut redditus, et bona, quae Monasteriis assignaniur pro Missis perpetuis, omnino respondeant non eleemosynae manuali, sed eleemosynae perpetuae, taxandae iuxta morem cuiusque Civitatis, Dioecesis, vel Provinciae: et si in re tanti momenti desides fuerint, aut negligentes, sciant, se tam poenis arbitrio Sanctitatis Suae, et aliorum pro tempore Romanorum Pontificum esse subiectos, quum praetermissi muneris in novissimo die rationem esse supremo Iudici Christo Domino reddiluros.

«Cumque communes modo a Venerabilibus Episcopis, qui in hoc convenere Concilium, similes Nobis fuerint preces expositae, et suarum respective Ecclesiarum nomine petitum pro eiusdem ad ipsos, et ipsorum quemlibet extensione decreti; eis Nos idcirco gratiam volentes facere specialem, decretum idem, iuxta petita extendimus; et facultates ipsas Episcopis, non modo qui personaliter sacrae huic Synodo interfuere, sed, et qui, legitime impediti, certum per eorum Procuratorem accesserunt, favorabiliter, congrua congruis referendo, concedimus, et impartimur; eisdem tamen in omnibus, quae in eo exprimuntur, conditionibus servatis.»

APPENDIX VIII.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM QUI IN SACRIS ORDINIBUS HON FUERINT INITIATI.

Superiusretulimusexemplar Epistolae declaratoriae circa privilegia Clericorum, quae anno 1860 missa fuit ad locorum Ordinarios Pontificiae ditionis. Opportunum heic est indicare causas, quae illi pontificiae declarationi straverunt veluti viam.

Anno 1840 in quodam oppido intra Pontificiam Ditionem homicidium proditorium barbara quadam ratione patratum fuit: perquisitione facta a tribunali criminali illius provinciae cui oppidum suberat, repertus fuit reus Titius coniugatus artem lanionis exercens, confecto rite processu, Titius invocavit fori privilegium utpote qui in sua adolescentia, sacra tonsura et minoribus ordinibus fuisset initiatus. Tribunal itaque interpellavit Episcopum illius dioecesis, qui processum petiit: eo vero perlecto , causam remisit ad laicum criminale Tribunal; namque cognovit Episcopus, Titium amisisse ius invocandi fori privilegium, neque expedire existimavit ut ea causa in Tribunali ecclesiastico ventilaretur. Damnatus autem fuit Titius poena capitis: sed in causae revisione penes supremum Tribunal, eius Orator invocavit privilegium Canonis, cuius gratia, iuxta vigentem criminalem codicem ad normam SS. Canonum , minorem poenam , non vero maximam, Titio utpote privilegio canonis non destituto in" fligendam esse contendebat.

Delata quaestione definienda coram S. Congregat. Immunitatis, contentiose admodum fuit disputatum, an amisso fori privilegio ob conditiones a Trid. Concilio praescriptas minimeque servatas, Clericus coniugatus amittat simul privilegium canonis: huic quaestioni altera ex mandato s. m. Gregorii XVI. fuit adiecta et S.Congregationi proposita, an scilicet expediret, ut aliqua Decretalis ederetur ad eiusmodi controversias deinceps praecidendas.

S.Congregatio in praesenti casu Titium non gaudere respondit privilegio canonis ad commutationem poenae:ad alterum vero dubium S.Congregatio expedire opinata est, ut constitutio ederetur, qua scilicet decerneretur, Clericos minores seu coniugatus seu caelibes, amisso ad formam iuris canonici privilegio fori, eo ipso amittere privilegium canonis, absque ulla praevia monitione sive declaratione.

Ee ad Gregorium XVI. delata, censuit differendam eiusmodi Constitutionem, et mandavit *supersederi.*

Sed non multo post alterum factum contigit in eadem provincia simile priori; differebat tamen in eo, quod superius indicatum facinus, patratum fuerat a viro *Coniugato,*

barbara ratione; hoc vero a *caelibe,* qui in sua adolescentia s. tonsura fuerat initiatus. Sed expedit integram causam per summa capita enarrare, quae in hac privilegiorum clericalium materia lucem affundit ex accurato Iurisconsulti voto.

Anno 1842 in Verulana dioecesi Livius homicidium patravit: hic a tribunali criminali illius provinciae comprehensus, invocavit privilegium fori, cum in sua adolescentia s. tonsura esset initiatus quamvis postea omne consilium dimiserit permanendi in ecclesiastica militia, et amissa tonsura et habitu ecclesiastico tamquam laicus vixerit: interpellatus hac de re Episcopus a Tribunali, ille declaravit Livium amisisse ius invocandi fori privilegium ob neglectas conditiones conciliares, nec expedire iudicavit causam sibi avocare.

Processu autem confecto in tribunali criminali, constitit praeter homicidium aliud crimen paullo ante Livium commisisse, idest alium vulnerasse virum, qui eo vulnere impeditus mansit; quin imo (hoc tamen non constabat) manu armata colluctatus fuisse cum proprio genitore dicebatur.

Damnatus itaque fuit Livius ultimo supplicio ob duo superiora crimina; sed ad supremum tribunal appellavit, in quo eius Defensor invocavit privilegium canonis, quo privilegio si Livius frueretur, mitius cum eo erat agendum, poenamque minorem ultimo supplicio erat subiturus: quare delata hac quaestione coram S. C. Immunitatis, tres propositae fuerunt dubitandi formulae.

I. « An Clericus Minorista cae-
» lebs non servans requisita conci-
» liaría, amittat cum privilegio fori,
» reliqua omnia privilegia clericalia.

II. » An Clericus Minorista cae-
» lebs, qui dimisso habitu clericali,
» immisceat se enormitatibus amit-
» tat, sine praeviis monitionibus,
» privilegium canonis et sub quibus
» conditionibus?

III. » An hae conditiones con-
» currant in casu *(Livii),* ita ut de-
» ciderit ab omni privilegio cleri-
» caii, et nequeat frui beneficio gra-
» dus minorationis poenae.»

Expedebat initio Iurisconsultus hanc propositionem : scilicet, an Clericus Minorista caelebs, qui non observat conditiones a Tridentino praescriptas, amittat cum privilegio fori reliqua omnia privilegia clericalia.

Super hac propositione sic ille disserebat : quamvis iuxta vetus commune ius Clericus Minorista caelebs, qui habitum dimitteret, neque privilegium fori amittere posset sine trina admonitione, ut eruitur ex cap. *contigit,* et *In audientia, de senten. Excom.;* attamen iuxta Trid. Concilium, quod irrepentes abusus hac in re submovere intendit, privilegium fori ipso iure amittit. Sic enim in *sess.* 23. *c.* 6 *de Ref.* statuitur: « *Is etiam* (ïonsuratus nempe vel Minorista) *fori privilegio non gaudeat, nisi Beneficium ecclesiasti-*

cum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario clericorum, aut in aliqua schola vel universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur. » Quare Clericus, qui has non adimpleat conditiones ipso facto fori privilegium amittit, Fagnanus in Cap. *Si quis, de For. comp.*

Non defuerunt Auctores qui opinati sint, Clericum Tonsuratum aut Minoristam, dimissione insignium clericalium, amittere cum privilegio fori etiam caetera privilegia clericalia; in quam sententiam adducunt Card. de Luca in *Adnot. ad Concil. Trid. disc. 24 et disc.* 61 *de servitutibus;* decisiones S. Rotae 290, *et* 304 *coram Priolo;* Suarez *de Censuris disp.* 22 *sect. i;* Coninch *de Censuris disp.* 14 *dub.* 15 *n.* 183; aliique, nec non Thesaurus *de Poenis p.* 92 *v. Clericus*, in quo scripsit; « Clericus in minoribus exi-
» stens dimittendo habitum cleri-
» calem animo omnino deserendi
» statum illum, amittit omne piivi-
» legium canonis secundum proba-
» bili orem. »

Praecipua autem ratio, quam nonnulli exhibent huius sententiae, ea est, quod ubi plus negatur, supponi debet negatum fuisse etiam minus: cum autem praecipuum ac veluti insitum clericali dignitati sit privilegium fori, hoc negato privilegio, caetera minora et veluti adventitia etiam denegata intelligenda sunt.

At vero Benedictus XIV. in opere *de Syn. dioec. lib. 12 c.* 2 ostendit , eiusmodi opinionem in praxi non sustineri et adversari Resolutionibus. S. C. Concilii: quas quidem Resolutiones refert etiam Fagnanus in cap.£¿ *quis, de For.comp.* Card. Petra *t.* 2 *in comm. ad Const. 1. Honorii III. sect.* 1 §. 44 et *t.* 4 *in comm. ad Const. X Mart. V.* §. 31 37 Pigliateli, *t.* 4 *consult.* 2, Giraldi *Expos, iur. pontif. p.* 2 *in c.* 6 *sess.* 23 *de Reform.*

Et S. Congregatio Concilii non solum eiusmodi clericos non declaravit privatos privilegio canonis, ut in *Aquen.* anni 15S9 in qua edixit: *non intelligi privatos privilegio canonis;* sed etiam , minoribus privilegiis cuiusmodi est illud ex *cap. Odoardus :* sic enim declaravit in quadam causa *Nullius* anno 1595: *gaudere privilegio cap. Odoardus.* Et anno 1622 item declaravit: *Decretum Concilii non ademisse Clericis non habentibus qualitates, quae exprimuntur in cap.* 6. *sess.* 23 *nisi privilegium fori et caetera firma remanere sub dispositione iuris.* Quibus Resolutionibus consonat maximus Auctorum numerus.

Ratio autem, quam tradit Benedictus XIV. *loc. cit.* haec est: « Siquidem cum versemur in ma-
» teria poenali, odiosa et restrictiva
» iuris communis, Tridentini verba
» non sunt extendenda ultra privile-
»> gium fori quod exprimunt.» Item Card. Petra in *cit. Comm. ad Const. X, Martini V. n.* 27.

Sed insuper non est praetereundum, eos graves Theologos, qui pro contraria sententia allegari solent, considerasse casum, quo aliquis violentas manus in eum clericum iniecisset, qui voluntarie omni clericali insigni se expoliaverit, cum animo non amplius insignia reassumenda et nimis durum eisdem Theologis visum esse iudicare, tales^percussores in gravissimam incurrere censuram canonis *Si quis suadente,caus.* 17 *q.*4, quam inflixit Innocentius II.

Expendebat praeterea dictus Iurisconsultus alteram propositionem in secunda dubitandi formula expressam.

De qua sic ille disserebat; firmo manente principio Clericos caelibes de quibus loquimur, per amissionem privilegii fori, eo ipso non amittere caetera privilegia clericalia; cum haec remaneant sub dispositione iuris communis, in hoc quaeri debet, quandonam haec alia privilegia Clericus amittat.

Varia autem fuit hac in re pro temporum diversitate disciplina; remotiori aetate ipsa voluntaria habitus clericalis dimissio considerata per se fuit, tamquam gravis culpa, eaque puniebatur excommunicationis eo rami natio ne *:conc. Chalcedonense can.* 7, item in nonnullis particularibus conciliis, ut in Andegavensi et Turonensi, apud Thomassini *de vel. et nov. disc. par.* 2 *I.* 1 *c.* 11. Eiusmodi namque erat conceptus firmitatis quam secumferre deberet oblatio illa sui ipsius, quam quisque Dòmino facit in Sanctuarii ingressu, nec non perpetuae dependentiae a proprio Episcopo, ut fuerit reputata veluti Apostasia etiam desertio facta ab infimo ecclesiasticae militiae gradu; de qua re legi potest quid suo tempore scripserit S. Ambrosius in *epis.* 17; S. Hieronymus ad Nepotianum. Etiam in imperialibus legibus, huiusrigoris vestigia deprehenduntur adversus Clericos desertores; *Novel. Iustinian.* 6, 7 *col.* 223 *c.* 15 *leg.* 15 *de Episc, et Cler.* Poterant quidem Clerici minores uxorem ducere, sed derelinquere clericalem statum non poterant; *Conc. Triburiense in cap.* 3 *de vit. et honest. Clerk.* Novell. *Leonis Philosophi.*

Huius severae disciplinae vestigia etiam saeculo XL habentur in concilio Romano sub Nicolao et in concilio Rothomagensi habito anno 1072. Eiusmodi rigor deinde post hanc epocham in desuetudinem abiit, fortasse quia expediebat ut Clerici coniugati imminuerentur, quibus pedententim privilegia aliis Clericis communia sublata sunt: eodem tempore toleratum fuit ut illi, qui se viribus praeditos ad altiores suscipendos ordines non sentirent, statum clericalem derelinquerent: huius invalescentis in Ecclesia consuetudinis testis est S. Raymundus dePennafortin sua *summa* I />. 50 51.

At vero, si Ecclesia libertatem fecit Clericis minoribus reduendi ad saecularia vota, tamen recognovit characterem vel saltem qualitatem contractam per primam clerica-

lem tonsuram, ne autem honor eorumdem dignitati debitus per privilegiorum abusum satim concideret, neque idem honor ad abusum fovendum inserviret, statuit, ut post trinas admonitiones eos Clericos qui habitum clericalem deponentes arma militaria assumerent, canonis privilegium amitterent quoad eos qui violentas manus in hos clericos imponerent; cap. *In audientia de sentent, excom.* ubi legitur: *huiusmodi Clerici si a Praelatis suis tertio commoniti militaria noluerit arma deponere de privilegio Clericorum subsidium aliquod habere non debent.* Ita Clemens III.

Quod si, relicto habitu clericali, crimina patrarent, videbantur decidere e clericali privilegio iuxta cap. *Praeterea de Apostatis,* in quo Alexander III. declaravit: *Qui reiicio ordine clericali et habitu suo in apostasia tamquam, laici conversantur si in criminibus comprehensi teneantur, censuram Ecclesiasticam non praecipimus liberari.* Sed cum nonnulli Interpretes hunc textum explicent, quasi vero de solo privilegio fori esset intelligendas, Glossa *in d. cap.* hinc duae posteriores dispositiones considerari possunt, quae factae sunt a Clemente III., nempe cap. *Cum non ab homine*, et cap. *Perpendimus de Sententia Excom.* In utroque capite immunes declarantur a censuris ecclesiasticis percussores eorum Clericorum qui habitu clericali dimisso , enormitatibus et delictis se immisceant: unde opinio obtinuit inter Canonistas, Clericum qui, deiecta habitu clericali enormitatibus se tradat, amittere privilegium canonis absque ulla praevia admonitione; easdem fere dispositiones legimus in cap. *Ex parte de Privil.* quod est Honorii III.

Duae tamen sunt quaestiones pertractandae ut horum Capitum dispositio rite applicetur, quarum prima est, quid veniat sub verbis *Delictum enorme?* altera est an sufficiat *unum delictum enorme* ut Clericus privatus existat privilegio canonis.

Farinacius in *quaest,* 8 *de lnquis. et quaest.* 23 *de Delictis et poenis* de hac re agens varios delictorum gradus distinguit, et inter caetera docet: « Licet de iure civili enormia » delicta dicantur ea, quae cum » dolo in magnum damnum et in- » iurium alterius perpetrantur,f/. *ea « ff. de Reg. Iur. L Auxilium ff. de » Minor.)* praesertim ubi imponitur » poena sanguinis *(I. In lege //. ad » leg. Cornei, de Sicariis),* de iure » tamen canonico dicuntur enormia » illa, in quibus post peractam poe- » nitentiam non consueverit dispen- » Sari. *C. At si Clerici Exlr. de Iud.* »

Caput *Cum illorum de Sententia Excom.* inter delicta enormia recenset membri alicuius amputationem, vel etiam vulnus cum magna sanguinis effusione, ut ait ibi Glossa.

Delictum enormissimum intelligitur de illis delictis ob quae Ecclesia, quin praemittat formas statutas in Cap. *Cum non ab homine*

de Iudiciis, statim tradit Clericum delinquentem brachio saeculari; Farinae, *loc. cit.* Fermasinus in cap. *Cum non ab homine de Iudiciis.*

Sed in re de qua agimus satis ne erit unum delictum enorme? Maior pars Interpretum in Cap. *Perpendimus* et cap. *Cum non ab homine de sententia Excom.* unum non sufficere docet. « Unum delictum enor- » me non sufficit, sed plura requi- » runtur ; quin etiam requiritur, » quod sit inveteratus et perseve- » ret » italo. Andreas, Antonius de But. nec non Abbas in *Can.Perpendimus.* Etiam Auctores recentiores eiusmodi perseverantiam exigunt: « modo ita sit his sceleribus dedi- » tus, ut inveteratus dici possit sce- » lerum minister. » Ita Covarruvias *Pract. cap.* 32 *n.* 2 *et* 3. Item Sperelli *tom.* 2 *decis.* 132 qui insuper observat : « ab hac opinione non » recedendum.»

Sed insuper quaerendum, quandonam in praxi aliquis dici possit perseverans in delictis enormibus? Cui interogationi Auctores inter quos Farinacius *loc. cit.* Castellan. *Consil.* 5 respondent; « Ad inducen- » dam huiusmodi perseverantiam » saltem requiri duo, *seu potius tria » delicta enormia.»* Haec regula conformior est communi regulae, qua ad constituendum habitum seu frequentiam actorum requiritur triplex repetitio.

Hisce positis cum in hac causarum genere sequi tenemur tutiorem sententiam, quae magis suffragetur privilegio canonis quod constitutum est in decus totius ordinis clericalis, tria necessaria sunt delicta quae secundum ius canonicum dicantur enormia.

Sed in praesenti casu agebatur de homicidio quod est delictum enormius quam vulnera et mutuationes, quod subest speciali Constitutioni Clementis XII. *In supremo Iustitiae solio,* edita anno 1734 pro Clericis Pontificiae ditionis. Quare Iurisconsultus in examen revocans eam constitutionem, opinatus est eam non privare privilegio canonis Clericum qui unum homicidium commiserit: quamvis hac in re dubius valde haeserit.

Gradum faciens Iurisconsultus ad tertiam dubitandi formulam, ea quae hactenus disputaverat ad praesentem casum applicavit, concludens, cum de duobus «normibus delictis tantum constaret, Livium, licet privilegium fori amiserit, non videri amisisse privilegium canonis. Sacra autem Congregatio, causa discussa, ad tria superiora dubia die 16 Novembris 1843 respondere censuit, Livium *gaudere privilegio canonis.*

EX S. COieUUTIOII CONCILII.

VICARII-CURATI QUOAD REMOTIONEM.

Die 27 Iunii 1867 et 11 Ianuarii 1868. *Sess. 21 c. 4 de Ref.*

Compendium facti. Iri cathedrali ecclesia N. habitualis cura animarum residet penes Capitulum, quam exercet per Vicarium perpetuum. Munificus quidam Episcopus anno 1808 suo testamento haeredem universae suae substantiae instituit Capitulum cathedralis ecclesiae ac eidem imposuit obligationem erigendi duas Cappellanias, ad maiorem ecclesiae et paroeciae utilitatem hanc legem edicens: *Cappellani ofßcio fungentur inserviendi tamquam vice-curati eiusdem cathedralis. Insuper assistent choro singulis diebus festis de praecepto... Cappellani nominabuntur a Capitulo cum beneplacito Episcopi et Parochi pro tempore, quia in animo mihi est ut Cappellani nominandi probi eisdem sint et familiaritate iuncti. Ipsi erunt amovibiles ad nutum Capituli. Dos autem pro unoquoque Cappellano erunt libell,* (francs) 500 *annuae.*

Quamvis Cappellaniae canonice erectae non fuerint, Capitulum tamen non omisit Cappellanos seu vice-parochos nominare cum annuo stipendio libell. 500, quibus Episcopi facultatem facere consueverunt administrandi sacramenta *attento assensu Parochi et Vicarii perpetui ad Ordinarii* (conferentis et successorum) *beneplacitum duraturam,* uti cum caeteris vice-parochis dioecesis fieri consuevit: et eiusmodi facultas identidem viva tantum voce, quin scriptis mandaretur, facta fuit.

Anno 1860, cum unus ex duobus vice-parochis deesset, Capitulum nominavit Sacerdotem Carolum, quem Vicarius Capitularis (Sedes enim viduata erat pastore) oretenus adprobavit, eidem conferens necessarias facultates ad Ordinarii beneplacitum.

Quinto fere anno quo in praedicto vice-parochi munere versabatur Carolus, gravi infirmitate laborante Directore spirituali cuiusdam Orphanotrophii eiusdem urbis, ad preces Ad-

ministratorum pii loci institit penes Vicarium Capitularem, ut officium Directoris ad tempus exercere sibi liceret, retento tamen vice-parocbi munere.

Brevi querimonias admovere coepit Parochus seu Vicarius perpetuus cathedralis adversus Carolum, affirmans, illud subsidium se non amplius habere posse, quod olim vice-parochus liber conferre soleret; his querimoniis exceptis non omisit Vicarius Capitularis monere Carolum ut officium vice-parochi dimitteret , quam quidem dimissionem ipse Carolus eidem Vicario Capitulari spopondisse dicebatur.

Confugit tum Carolus ad Capitulum, a quo obtinuit laudis testimonium ob officia recte exercita, et declarationem, qua diserte asserebatur nihil obstare quominus utrumque Carolus retineret officium, nec esse querimoniis locum. Sed novis querimoniis ex parte Parochi propositis , denique Vicarius Capitularis decretum edidit, quo removit Carolum ab officio vice-parochi, revocans simul omnes facultates quae eidem pro vice-parochi officio factae fuerant. Quod decretum fuit communicatum etiam Capitulo ut ad novam nominationem deveniret.

Plures ab huiusmodi decreto elapsi fuerunt menses, quin Capitulum novum vice-parochum eligeret; postea quaestionem Canonici moverunt utrum Vicarius Capitularis absque Capituli consensu possit vice-parochum amovere: et tandem idem Vicarius Capitularis ob Capituli segnitiem rem resolvendam proposuit S. Congregationi Concilii.

S. Congregatio prout moris est, edito consueto decreto de tractatione causae *in folio,* mandavit. Ordinario ut moneret fiscalem Curiae Procuratorem nec non Capitulum, ut ulteriora iura sua coram S. C. quatenus vellent deducerent, qui suum Procuratorem in urbe constituerunt, concordato dubio quod in calce ponimus.

Disceptatio synoptiea.

DEFENSIO CAPITULI. — Cardo quaestionis in eo ponebatur, an Vicarius capitularis sive Ordinarius ex sese posset removere Viceparochos.

Itaque pro Capitulo sic causam dicebat Orator: Vicarii *temporanei* sive *manuales* ab iis tantum pro libito removeri possunt a quibus directe nominantur, quorum servitio immediate

subsunt; de qua re Pirrhiog Z. 1 *tit.* 23 *sect.* 1 §. 2 de Vicariis temporalibus scripsit: « Vicarius dicitur ille, qui legitima aucto- » ritate personae ecclesiasticae in locum alterius sine institutione » ad tempus constituitur et sufficitur, congrua portione ei as- » signata, ita tamen ut *ad nutum illius a quo constitutus est vel » citius vices gerit amoveri possit.* » Et cumulabat Orator Auctorum sententias, quibus traditur, in Beneficiis unitis Monasteriis, quae per vicarios amovibiles solent in cura animarum administrari , eorum Vicariorum remotionem, pertinere ad Abbatem Monasterii, qui eos nominavit; Barbosa *lib.* 3 *Iuris univers, cap* 6 *n.* 65 et ab eo citati Auctores; nec non Pignatelli *t.* 9 *Consul.* 143 *n.* 31.

Cum autem in praesentia animarum cura penes Capitulum esset, quin imo lex fundationis accederet, quae tribuit Capitulo ius vice-parochos nominandi et removendi; non licere concludebat Ordinario sine Capituli consensu Carolum amovere.

Quae quidem confirmabat Orator S. C. C. Resolutione anni 1585, quam refert Garzia *de Beneficiis par.* **1** c. 1 *n.* 94 ubi haec ille scribit. « Et est declaratio Sacrae Congregationis Concilii in una *Civitaten.* quae sic ait: *Capitulum ecclesiae Civitaten. habet unitas mensae nonnullas parochiales, quibus ab immemorabili tempore deserviri faciunt per Vicarios ad eorum nutum amovibiles, iuxta facultatem sibi expresse a Sede Apostolica concessam. Hi nunc ex declaratione* **S.** *Congregationis non possunt deputari nisi praevio examine et approbatione Episcopi: et sic deputati possunt ad nutum Capituli et ab ipso quoque Ordinario amoveri. Quaeritur, an amotio ab Episcopo fieri possit sine causa ? Congregatio censuit: Vicarios ipsos posse a Capitulo amoveri ad nutum Capituli; ab Ordinario vero nonnisi ex causa legitima atque probata , propter quam etiamsi perpetui essent, amoveri possent.* » Qua quidem Resolutione usa ex parte est S. Rota, ut videre est in *Dec.* 53 §. 2. *coram Peutinger et Decis.* 85 §. 19 *coram eodem,* eamque referunt Auctores de quibus cl. Bouix *tract, de Parocho Appen. 1. c.* 1 ait: « Quando sunt temporales seu ad nu- » tum amovibiles, eorum nominatio pertinet pariter ad Capitu- **li** lum et approbatio ad Episcopum: quoad remotionem autem » communiter tradunt Doctores eam fieri posse a Capitulo ad » nutum, ab Episcopo autem nonnisi ex causa, ob quam etiamsi

» forent perpetui beneficio privari possent.» Ac insuper addiiciebat Orator huius Auctoris sententiam expressam in *part.* 4 c. 2 §. 2 ***Appena.*** I. §. 4: «Quod autem attinet ad Vicarios, de quibus » hic agitur, qui nempe Parocho residenti et curam exercenti » auxiliantur, non videtur concordare posse potestas Episcopi » eos revocandi sine causa, cum potestate Parochi eosdem sibi » eligendi et nominandi, quam Parochis attribuimus : nam pote- » stas haec evaderet chimerica. Siquidem quoties aliquem sibi » assumpsisset Parochus in Vicarium, statim posset Episcopus » eumdem sine ulla causa removere; et sic revera non compe- » teret Parocho dicta potestas suum nominandi Vicarium. Nec » dicatur idem posse Episcopum recusando adprobationem, quae » certo necessaria est: nam Vicario, quem sibi elegit Parochus, » debetur adprobatio si nulla adsit rationabilis causa eam de- » negandi, unde si ei denegata, pluribus successive a Parocho » praesentatis, adprobatione, appareret id sine causa fieri, da- » retur contra Episcopum actio apud superius tribunal. Si ergo » admittatur ut certa potestas Parochi vicarios suos adiutores » sibi libere assumendi, ab Episcopo tamen adprobandos, con- » sequens est, ut nequeat Episcopus eos sine causa removere. »

Quin imo (prosequebatur Orator) etiamsi Carolus nominatus fuisset ab Ordinario, non tamen eidem licuisset illum ab officio removere *sine rationabili causa:* ad hanc ostendendam propositionem allegabat inter caeteros auctoritatem Amostaz. *de Causis piis in specie I. Z c.* 1, quo in capite hic Auctor referens varias Auctorum sententias circa causas amovendi Cappellanos amovibiles, *n.* 36 docet: « Denique facultas quae alicui conceditur *etiam ad nutum* et refertur ad materiam canonis regu- » landa est a ratione et iure naturali...quod idem observandum » in his amotionibus Beneficii aut Cappellaniae ecclesiasticae... » ergo necessario discutienda est causa sufficiens ex parte Cap- » pellani ut amoveatur. » in cuius doctrinae confirmationem adducebat Orator causas *Nullius seu Farfen. Cappellaniae* die 6 Iulii 1791 *et Romana suspensionis* die 28 Martii 1801 nominatim vero *Messanen,* die 18 Martii 1854 penes S. C. C. agitatas; nec non *Urbinaten.* die 11 Septemb. 1584 actam penes S. Congreg. Episc, et Reg. quam refert Pignatelli *t.* 9 *consult.* 115 *n.* 92, in qua dictum fuit: «Officiales Capituli et'inservientes ecclesiae

» non debent ab Archiepiscopo amoveri nisi praevia causae co-
» gnitione, nec ob causas leves. »

Post haec contendebat Orator rationabilem causam amovendi Carolum non posse reponi in incompatibilitate officiorum : quod ostendebat, duplicem incompatibilitatem distinguendo, aliam scilicet iuris, aliam facti: in praesentia locum non habere incompatibilitatem iuris, cum non ageretur de Beneficiis, quo casu vigent textus cap. *Ad haec* 13, cap. *Praeterea* 14, cap. *De multa* 28 *de Praebendis;* sed tantum de officiis manualibus ad nutum revocabilibus, quo casu citatos textus locum non habere, S. Rota *Decis.* 18 *n. i et seqq. coram Coccino,* ubi dictum fuit: « In istis
» Vicariis temporalibus, quae constituuntur in Beneficiis uni-
» tis... non habet locum dispositio dicti Capitis *De multa,* nec
» ex eis causatur incompatibilitas... Dispositio enim dicti Capi-
» tis *De multa* non procedit in illis officiis et dignitatibus, quae
» non sunt perpetua, nec in titulum perpetui Beneficii conferun-
» tur, uti tradunt ibi Doctores communiter. »

Hoc autem posito, contendebat Orator, deesse in praesenti themate etiam incompatibilitatem facti: namque officium vice-parochi non aliud onus secumferre aiebat praeter illud quod ex testatoris verbis superius relatis fuerit impositum: officium autem Directoris spiritualis Orphanotrophii descriptum ab eodem Vicario Capitulari fuisse in concedenda Carolo facultate: *necessarias propterea et opportunas facultates, ad beneplacitum nostrum valituras, tibi conferentes dictarum puellarum, tum sacramentales confessiones excipiendi, tum verbum Dei eisdem de more tradendi et explanandi.* Quae quidem in facto incompatibilia non esse contendebat; eo vel magis quod nec ampla esset paroecia, et in ea Vicarius perpetuus adesset aliique vice-parochi, neque incompatibilitatem secumferre assistentiam choro praestandam, cum exigeret tantum residentiam causativam non vero praecisam, et continuam iuxta ea quae tradit Card. de Luca *de Benef. disc.* 57 n. 6, et S. Rota *in decis.* 179 *n.* 2 *et seqq. par.* 2 i. 1 *Recent.*

Haec confirmabat Orator facto ipsius Vicarii Capitularis, qui eo tempore quo fungebatur munere ipsius Vicarii parochi, per decennium utrumque exercuerit officium, et utrumque exercuerit Carolus licet ad breve tempus, ita ut laudes a Capitulo re-

tulerit: haec et alia similia deduxit copiose Orator ad iura Capituli defendenda.

DEFENSIO VICARII CAPITULARIS. — Animad vertebat initio Orator in hisce controversiis duo quaeri solere, 1° an is, qui officium ademerit, *ius adimendi habeat:* 2° *utrum, et quae adimendi causa* requiratur iuxta indolem officii.

Quoad primum adnotabat, adversarios suos agnoscere quidem facultatem Capituli vice-parochos amovendi, non autem eamdem tribuere facultatem Ordinario. Et quoniam praecipuum fundamentum denegandi existentiam huius facultatis esset Resolutio S. C C. ex adverso superius allegata , diei 27 Novembris 1585, pro Çivitensi Capitulo edita, ut hunc sibi obicem Orator removeret, affirmabat, eam Resolutionem non bene protensam a nonnullis fuisse ad omnes casus, quod ostendebat haec animadvertens : nimirum , Civitatensis Capituli conditionem alienissimam esse a communi aliarum ecclesiarum conditione: amplissimis enim privilegiis Pontifices Romani Capitulum illud a saeculis cumularunt: multas insuper Pontificias Constitutiones illi Capitulo *iurisdictionem* ordinariam in plurimas paroecias contulisse, et ius definiendi causas matrimoniales praeter criminales Clericorum qui Capitulo subiiciuntur. In illa igitur causa, cum Vicarii sive nominationem, sive institutionem *auctorizabilem* a Capitulo agnoscerent, nonnisi a Capitulo illos destitui potuisse. Ordinarium vero ea facultate utentem, quam Tridentinum Concilium in exemptos indulget, non aliter plectere eos vicarios posse, quam ob aliquam criminis causam in iure statutam: et reapse de amplissimis illius Capituli privilegiis controversiam hisce ultimis annis agitatam fuisse penes S. C. C et adhuc sub iudice litem esse, unde dictam Resolutionem universim applicari non posse.

Quam quidem Resolutionem, prosequebatur Orator, in exemplum non amplius in hisce controversiis consuevisse afferri verioremque opinionem firmatam fuisse; quod quidem ostendebat Constitutione *Firmandis* Benedicti XIV. edita die 6 Nov. 1744 quae in §. 11. haec habet: « *Eveniente autem casu, quo vel Episcopus » vel Superior Regularis aliquem ex praedictis Parochis ab exer- » cilio Curae removendum eademque privandum esse iudicaverint, » quoniam huiusmodi Parochis sine praevia Episcopi adprobatione, » ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis*

*» Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles, du-
» bitalum propterea fuit, an Episcopus posset ad huiusmodi remo-
» tiones procedere sine Superioris Regularis consensu, et an re-
» motionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum
» etiam, an Regularis Superior ad similem remotionem et priva-
» tionem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suas-
» que agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur.
» Qua de re supradicta Congregatio Concilii decrevit, - huius-
» modi Parochos, tam ab Episcopo, quam a Superiore Regulari,
» aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura
» removeri posse , nec unum alteri causas iudicii sui aperire,
» multoque minus probare et verificare debere. - Id quod a nobis
» in omnibus adprobatur et confirmatur. »*

Dein animadvertebat Orator, haec omnia eo magis in praesenti themate valere, quo non agitur de Vicario proprie dicto amovibili, sed de eo qui coadiutricem operam ipsi Vicario Parocho praestaret, in quos quidem coadiutores etiam Parochi potestatem exercent, ita ut quemlibet nominare ac nominatum removere possint; Zamboni in *collect. V. Parochus* 2 n. 4. « Quoad Parochorum coadiutores, qui ad nutum et saepe absque » causae cognitione removentur, Episcopus iure suo uti debet, » *Civitatis Castellarne die* 26 *Aug.* 1628. » Fagnanus *in cap. Consultationibus n.* 13 *de Cleric. aegrot.* S. Rota *in Bononien. Parochialis* 6 *Maii* 1715 *coram Scotto §. Expediti.*

Nec ex testatoris dispositione hanc facultatem removendi vice-parochos denegatam fuisse Episcopo adiiciebat, cum Episcopo hanc facultatem testator non denegaverit ; quin imo nec denegare potuisset; eo vel magis quod eiusmodi officium nonnisi ex Ordinarii delegatione conferri possit, quae ex dioecesis consuetudine precario semper concedi solet *ad Ordinarii beneplacitum,* quae quidem delegatio nequaquam in scriptis data fuerat Carolo, sed viva tantum voce.

Gradum faciens Orator ad alterum caput, quod circa causas amovendi versatur, animadvertebat initio, eorum iura, qui non ratione tituli iurisdictionem exercent, dimetienda esse ex verbis, quibus ministerium committitur; in praesentia autem commissum fuisse ministerium his verbis: *ad nostrum et in iurisdictione successorum beneplacitum;* unde causam illum removendi

nec necessariam esse. Yerum non defuisse tamen causam ex incompatibilitate utriusque officii: nimirum ostendebat, diebus Sabati et Dominicis operam suam praestare Carolum debuisse Orphanotrophio, aliasque functiones peragere ibidem singulis diebus, praesertim vero Missam quotidie celebrare , iusta loci pii leges atque statuta; quo in casu adduxit Orator Resolutionem S.Congregationis Concilii in *Neapolitana Cappellaniarum* diei 14 Aprilis 1725, in qua proposito dubio: « An Cappellani, de qui- » bus agitur *(qui scilicet tenebantur per se ipsos celebrare Missas)* » possint obtinere Beneficia Curata, vel Oeconomias ecclesiarum » Parochialium aut incumbentias excipiendi Confessiones Monia- » lium, vel .alia onera cum celebratione Missarum incompatibilia » acceptare, satisfaciendo per substitutos oneri praedictarum Mis- » sarum: » responsum prodiit: *negative, hoc est quoad incompatibilia cum celebratione Missarum per se ipsos.*

Hisce aliisque in facto et in iure adnotatis propositum est resolvendum

Dubium.

« An sustineatur Decretum latum die 12 Dec. 1865 a Vica- » rio Capitulari in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 27 Iulii 1867 respondere censuit: *affirmative.*

CAUSA: PROSEQUUTIO. — Post hanc Resolutionem nova audientia a Capitulo fuit intra utile tempus petita, eique de more concessa : et iterum per Oratores disputatum est super iisdem capitibus quorum synopsim dedimus. Praeterea Carolus, qui in prima causae propositione siluerat, suas preces exhibuit coram S. C. C. in quibus inter caetera ostendere curabat, praedicta duo officia nullimode incompatibilia .esse, ita ut possent in facto exerceri sine alterutrius officii detrimento: minores esse proventus officii Directoris Orphanotrophia quam officii vice-parochi: atque inde concludebat, aequum omnino esse ut saltem sibi pauperi Oratori daretur optio unum vel potius alterum retinendi officium.

Proposita itaque dubitandi formula: « an sit standum vel re- » cedendum a decisis in casu: » S. C. Concilii die 11 Ianuarii 1868 respondere censuit: *in decisis iuxta modum; modus est ut Sacerdoti* (Carolo) *detur optio.*

Ex QUIBUS COLLIGES.

I. Pias fundationes, quae ecclesiastica Beneficia non constituunt, quaeque multiplices formas habere possunt, dirigendas esse duplici norma, nempe, tum lege fundationis, tum iure communi in eo quod legitimae fundatoris voluntati non adversatur.

II. Quare in praesenti themate, quemadmodum Capitulo, ex explicita fundatoris lege, tributa fuerat facultas amovendi ad beneplacitum *Cappellanos-curatos* sic dictos; ita pariter ex communi iure non potuisse similem facultatem Episcopo seu Ordinario denegari.

III. Ex communi enim iure, illi qui ad coadiuvandos Parochos nominantur sive ex pio legato sive ex paroeciae stipendio, amoveri ab Episcopo possunt, cum veram canonicam institutionem non habentes, ex demandata Episcopi facultate curam animarum coadiuvent.

IV. Aequitate canonica et ecclesiastico ordine suadente, non expedire, ut illi Cappellani-curati seu coadiutores sic amovibiles sine ulla causa amoveantur: remotio enim sine causa plerumque honorem laedit ordinemque perturbat (1).

V. In praesenti themate non defuisse aliquam causam, quae remotionem Caroli honestam redderet, quamvis optio alterutrum retinendi officium aequior visa fuerit.

(1) Vid. Appendicem x.

Die** 30 **Martii,** 14 **Sept.** Ì867 **et** 1 **Febr.** 1868.* ***Sess.** 24 c. 1 de **Ref.

Compendium facti. Alphonsus nauta a tenera sua aetate domum familiae N. cum frequentare^ amore captus est puellae nomine Rachelis, eamque deinceps in uxorem ab eius parentibus petiit. Huiusmodi nuptiis Alphonsi mater adversabatur; parentes autem puellae permittebant Alphonso ut eam inviseret, qui interea necessariam supellectilem ad futurum matrimonium parabant.

Alphonsus ratione maritimi itineris per integrum fere annum abscedere debuit, sed eö temporis intervallo frequentes epistolas amatorias misit ad puellae parentes quibus promissionem datam confirmabat, ab eadem Rachele epistolas vicissim exposcens.

Iniunxerat Alphonsus puellae ne domo exiret, ne ad domus ianuam sola moraretur, ne cum aliis confabularetur etc.

Ad patriam Alphonsus reversus animi amaritudine fuit affectus, sive quia, ut ipse contendit, conditiones promissioni appositas puella non impleverit, sive quia puellae parentes eiusdem Alphonsi famam aliquo modo denigrare tentaverint.

Hisce de causis Alphonsus puellae domum non modo prorsus deseruit, sed etiam sponsalia cum alia muliere contrahere aggressus est.

Cum autem ad matrimonium contrahendum cum hac altera muliere denunciationes in paroecia praemitterentur, Curiam episcopalem adiit Rachel, atque impedimentum sponsalium apposuit, quominus ille cum alia muliere matrimonium celebraret.

Denegata itaque Alphonso facultate celebrandi matrimonium, confectus fuit in Curia processus, ac sententia his verbis emissa est: « Perpendentes ex tenore dictarum epistolarum, ex testium » depositipnibus et ex admissione ipsius instantis constare de » promissione et repromissione in futurum contrahendi matri» monium a contendentibus facta et pluries confirmata: conside» rantes insuper non constare de aliqua conditione resolutiva «adiecta dictae conditioni ut contenditur a Citante *(Alphonso),*

» sed tantummodo de nonnullis monitionibus Citatae *(Racheli)* » factis, et ab ipsa servatis, et ideo nullam intercessisse causam le- » gitimam recedendi a dictis sponsalibus et datam iidem violandi: » his aliisque perpensis dicimus et pronunciamus denegandam esse » praefato Alphonso licentiam contrahendi matrimonium cum qua- » vis alia muliere, firmo propterea manente mandato de non nu- **li** bendo ab hac magna Curia relaxato.»

Alphonsus hac sententia perculsus ad SSmum Patrem appellavit: hinc transmissis precibus ad S. C. C, servatisque servandis causa proposita est sub dubio quod in calce ponimus.

Disceptatio synoptica.

Haec pauca *ex officio* observabantur in hac simplici quaestione: nimirum aperte constare Alphonsum pluries firmiterque promisisse Caiae nuptias, idque tum ex epistolis tum ex testibus: quam quidem promissionem nec ipsemet Alphonsus negaret : sed quoniam Alphonsus insistebat conditionibus promissioni appositis minime a Rachele servatis ; animadvertebatur, verum quidem esse quasdam conditiones fuisse ab Alphonso impositas, quae eruebantur tum ex epistolarum tenore, tum ex testium depositione; de quibus haec inter caeteros testes enarravit quaedam mulier : *multas eidem* (Racheli) *conditiones imposuit* (Alphonsus), *scilicet non morandi in ingressu domus ne occasio daretur accipiendi alicuius manum , non morandi in ianua domus, sed ad summum in fenestra; non exeundi e domo nisi causa invisendi nonnullos amicos_____Rachel pacta non servavit, quia ego eam quadam vice vidi in ianua domus, et alii mihi dixerunt se eam vidisse non semel in eadem ianua:* Attamen eiusmodi non videri conditiones contractus resolutivas, sed potius Alphonsi iniuncliones et vota: caeterum easdem iniunctiones fuisse plus vel minus a Rachele servatas, quae pravae suspicioni nunquam locum dederit, neque de ulla familiari consuetudine aut facili confabulatione cum aliis viris redargui potuerit.

Quamvis autem partes unice contenderent de observantia harum conditionum, nihilominus, observabatur, ex actis apparere quidem promissionem Alphonsi, non autem vicissim apparere promissionem mulieris, de qua altum silentium fuit servatum: namque licet ex epistolarum tenore et ex dictis testium erue-

retur Rachelem acceptasse promissionem sibi factam, nullibi tamen legi se repromisisse: quae repromissio essentialis conditio est sponsalitii contractus.

Verum cum partes unice contendissent de observantia dictarum conditionum, neque vir hanc exceptionem opposuisset; cumque insuper neque ipsimet testes de vera sponsalium existentia dubitassent, qui ea sponsalia supponebant; haec omnia facta inducere vehementem praesumptionem aftìrmabatur, eam Rachelis repromissionem vere intercessisse.

Dubium.

« An sententia Curiae. . . . .sit confirmanda vel infirmanda » in casu.»

RESPONSIO.**— S. Congregatio Concilii causa cognita die 80 Martii** 1867 **respondere censuit:** ***Dilata; et coadiuventur probationes utrinque super repromissione midieris, exhibitis etiam per Alphonsum in Cancellaria Episcopali Uteris Rachelis.***

CAUSAE PROSECUTIO. **— Hoc patefacto Rescripto, Alphonsus literas Rachelis non produxit: inquiens se eas non servasse, tum ob artem nautae quae sibi non permitteret de his curam habere, tum ob vanas amantium expressiones, quas ipse non multum curaret; se tamen posse sub iuramento defectum epistolarum supplere, affirmans nihil in illis scriptum a Rachele fuisse quod repromissionem constitueret, aut confirmaret: quae quidem epistolae si repromissionem tontinerent, haud omisisset ipsa Rachel a S. Congregatione exposcere harum epistolarum productionem.**

Post haec postulabat Alphonsus, ut, quatenus Emi Patres iudicassent confirmare Curiae sententiam, sibi dispensationem indulgerent, cum odii obiectum Rachel sibi evasisset cum qua nullatenus vivere potuisset: eo vel magis quod non amor cogeret Rachelem ad se persequendum, neque eius honor qui illaesus omnino mansit, sed potius invidia.

Ipsa autem Rachel quamdam suam epistolam ad Alphonsum missam meminit; quae quamvis inter epistolas Alphonsi in Curia producta fuisset, tamen in actis ad S. C. C. missis deerat. In hac porro epistola, quae ab Alphonso non fuit impugnata, licet non declararetur qua ratione in manus Rachelis rédiisset, haec ad

rem continebantur: incipiebat scilicet verbis: ***Care mi amabilis Alphonse,*** et desinebat verbis: ***sum tua amantissima fidelis pro semper sponsa Rachel.***

Proposito iterum S. Congregationi supradicto dubio, die 14 Septembris 1867 respondere censuit: ***Dilata; et Episcopus curet animorum reconciliationem.***

Hoc recepto mandato, Episcopus nihil intentatum reliquit ut sponsorum animos reconciliare!: at frustra, cum uterque pertinaciter reconciliationi résistèrent: vir enim nolebat Rachelem in uxorem: Rachel autem suo iuri insistens illi renunciare noluit.

Proposito denique supradicto dubio die 1 Februarii 1868 S. Congregatio respondit : ***Sententiam esse confirmandam; et ad mentem: mens est, ut attentis circumstantiis sit supplicandum SSmo pro dispensatione super impedimento sponsalium, salva, favore Rachelis, indemnitate arbitrio Ordinarii praefinienda.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Contractum sponsalium non subsistere, nisi habeantur utrinque mutuae firmaeque promissiones.

II. Non esse confundenda sponsalia, valida quidem, sed sub conditione contracta: et sponsalia quibus nonnullae iniunctiones et prohibitiones fuerint adiectae.

III. Priora sponsalia, conditione non impleta, in nihilum resolvi; secunda autem , iniunctionibus neglectis, non corruere, quamvis sponsus negligens iniunctiones redargutione possit esse dignus : non enim pacta adiecta semper afficiunt substantiam contractuum.

IV. Eiusmodi pactorum negligentiam, accedente firma gravique animorum dissentione, posse constituere causam solvendi Apostolica Auctoritate contractum, salva tamen indemnitate alterutrius sponsi haud resilientis a sponsione sua,

Die i Februarii 1868. *Sess. 24 c. 1 de Ref.*

Compendium facti. Iosepha urbis Melevitanae civis et iam aetate gravis, apoplético morbo correpta, usu linguae destituta, per aliquas hebdomadas graviter aegrotavit; tractu tamen temporis convaluit.

Vicesimo ab infortunio currente mense testamentum condidit, quod *nnncupativum* appellant, et haeredem instituit sororem suam Agnetem.

Elapsis vero aliis duodeviginti mensibus a die testamenti sponsalia contraxit aetate sua fere sexagenaria cum Caietano siculo viro, et intuitu nuptiarum nonnulla stabilia bona eidem donavit. Aegre tulit haec Agnes soror; et quamvis consuetae nuptiarum proclamationes iam expletae, et omnia parata essent ad matrimonium celebrandum, Curiam episcopalem adiit, petiitque, ut matrimonium quominus fieret impediretur ob imbecillitatem mentis, ob quam illa incapax esset praestandi liberum consensum.

Curia episcopalis rei novitate perculsa anceps haesit, utrum Agnes audiri mereretur, maluit tamen iudicialiter inquirere, ne periculo nullitatis matrimonium exponeretur si verum fortasse esset, quod Agnes affirmaret; quare Curia, nuptias interdixit.

Confectis processualibus actis, cum Agnes quod asseruit, non probasset, Vicarius Generalis protulit sententiam pro impedimento removendo, huic innixus rationi : « nullam probationem » fuisse productam ad sustinendam praetensam imbecillitatem » Iosephae, quin imo ex iuratis depositionibus Medicorum.... » clare patere eamdem ïosepham, quamvis aetatem annorum » quinquaginta novem attigerit, perfecta mentis integritate gau» dere, ita ut capax omnino sit praestandi consensum in re de » qua agitur, uti etiam compertum fuit ex personali exploratione » eiusdem.»

Post eiusmodi sententiam Agnes ad S. Sedem appellavit; quare servatis de more servandis causa proposita fuit sub dubio quod in calce ponimus.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Habita Episcopi relatione et processus tabulis, quamvis appareret matrimonium admodum inconsultum , nihilominus nulla ostendebatur canonica causa illud impediendi. Quare *ex officio* haec dumtaxat animadvertebantur: praecipua ratio propter quam Matrimonio praemittendae sunt denunciationes ea est, ut detegantur si quae adsint adversus matrimonium impedimenta: ideo Concilium Trid inhaerens vestigiis Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati statuit in *sess.* 24. c. **1** *de Ref. Matr.* « ut in posterum, antequam » matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Paro- » cho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum » solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit con- » trahendum. »

Cuius decreti vi non solum facultas facta fuit, sed etiam inducta obligatio qua omnes tenentur impedimenta , si quae existere sciverint inter contracturos matrimonium, revelare. Quin imo habita ratione gravitatis negotii, admitti solet ipsa suspicio de alicuius impedimenti existentia, ita ut singularis quoque testis audiatur. Quod tamen ita est intelligendum, ut qui matrimonio contracturo sese opponat adstringatur necessitate probandi quod verbo profert ne fraudibus aperiatur via.

Verum in praesenti casu non solum Agnes non probavit impedimenti existentiam, idest infirmam sororis mentem, quin imo contrarium ex facto constat.

Hisce in adiunctis recolebatur dispositio Innocentii III. in cap. 5. *Decretalium, Qui matrim, poss.* in quo Pontifex in simili casu rescripsisse legitur: *Significante M. de Cánula, nostro est apostolatui declaratum, quod cum N. duxisset legitime in uxorem S. mater ipsius nisa est matrimonium accusare, ut ab eo pecuniam extorqueret; et licet intellectui suo prava non possint opera respondere, nihilominus vult habere pecuniam, ut ab accusatione desistat. Cum igitur non sit malitiis hominum indulgendum, mandamus, quatenus si est ita, ipsam ab accusatione matrimonii repellentes eidem super hoc silentium imponatis.* Ex quo capite Canonistae principium statuunt: reiiciendum esse ab accusatione eum qui vel pecunia ad accusandum inducitur, vel pecuniam exigit ut ab accusatione desistat.

Dubium

« An sententia Curiae Melevitanae sit confirmanda vel infir-
» manda in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii die 1 Februarii 1868 respondere censuit: ***sententiam esse confirmandam.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quamvis accusationes contra matrimonium celebrandum sint facile recipiendae, tamen ab accusatione eos esse repellendos, qui ratione lucri accusationem movere dignoscantur.

II. Neque posse iure impediri matrimonium, quamvis inconsultum appareat.

III. Accusantem esse repellendum qui actionem suam adversus contracturos matrimonium non probat.

IV. In praesenti themate, Agnetem non solum suam non probasse actionem, quin imo contrarium constitisse.

SERVITII CHORI QUOAD DISTRIBUTIONES ET VACATIONES.

Summaria precum. Ad preces Philippi II. Hispaniarum Regis, Pius IV. R. Pontifex Apostolicis Litteris; ***Super specula :*** anno 1563 erexit in urbe N. Americae regionis Sedem episcopalem et cathedrale Capitulum, idest Dignitates, Canonicatus et Praebendas, commisitque primo illius ecclesiae Episcopo, ut Apostolicas dispositiones debitae exsecutioni mandaret.

Episcopus ille hisce facultatibus auctus constituit quinque Dignitates, decem Canonicatus,,sex Portiones et totidem dimidias Portiones, ac insuper decrevit, ut emolumenta Canonicorum consistèrent in distributionibus quotidianis, simulque ut Canonici inservirent singulis annis per undecim continuos vel interpólalos menses. In praesentia duae tantum supersunt Dignitates, idest Decanatus et Archidiaconatus , quatuor Canonici et duo Cappellani.

Animadvertens praesens Archiepiscopus, utramque dictam dispositionem gravia secumferre incommoda, rogavit S. C. ut I° quotidianae Capituli distributiones ad tertiam reddituum seu proventuum partem reducerentur iuxta praescriptum a Conc. Trid. *sess.* 21 *c.* 3 *et sess.* 22 c. 4 *de Refor.* *T* ut tempus choralis servitii coarctaretur ob parvum Canonicorum numerum, illud scilicet reducendo ad novem menses iuxta tramites Conc. Trid. *sess.* 24 c. 12 *de Ref.* aut saltem ad solos decem menses.

Habitis amplioribus declarationibus constitit: redditum Canonicorum olim in decimis aliisque populi oblationibus consistentem, nunc in taxa a Gubernio persolvenda consistere, pro Decano scilicet rom. scutata 2400, pro Archidiacono 2050, pro caeteris Canonicis 1600: eos teneri ad divinum persolvendum in choro officium, et Missam Conventualem quotidie canendam, caeteraque iuxta ss. canones praestanda : singulos quotidie choro teneris excepta recitatione Primae: quamvis autem redditus ex primaevo decreto in distributione quotidiana consistèrent, tamen nullam extare memoriam eiusmodi decretum fuisse exsecutioni mandatum, ita ut distributiones quotidianae ne existere quidem viderentur.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Ad distributiones quod attinet recolebatur Tridentina Constitutio in *Sess.* 21 *c.* 3 *de Ref.* in qua legitur: *Cum beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur, statuit sancta synodus, in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae , vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam Dignitatum quam Canonicatuum, Portionum et Officiorum separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae inter Dignitates obtinentes et caeteros divinis interessentes proportionabiliter iuxta divisionem ab Episcopo , etiam tanquam Apostolicae Sedis delegato , in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur; salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte percipiunt; non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus. . . .* »

Huic Tridentinae constitutioni apprime consonare in praesentia Episcopi votum ostendebatur allegatis Resolutionibus, quibus similibus in adiunctis S. C. mandavit ut duae proventuum partes tamquam Praebenda considerentur, tertia autem rationem haberent distributionum, quas percipiunt qui choro adsunt, et quas pro rata amitterent qui desunt, ita ut quae amissae fuerint praesentibus accrescerent.

Quoad alteram precum partem item constitutio Tridentina recolebatur in *sess.* 24 c. 12 *de Refor.* qua Patribus statuere placuit: *obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis Dignitates, Canonicatus, Praebendas, aut Portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt.* Animadvertebatur autem ad tramites huius constitutionis, S. Congregationem denegare consuevisse vacationes trium mensium illis qui longiori servitio tenerentur ex capitularibus statutis aut consuetudine; Benedictus XIV. in *Iust.* 107 *n.* 81, Fagnanus in Cap. *Licet, de Praebendis n.* 51: nihilominus non deesse exempla, in quibus, suadente aequitate ob peculiaria adiuncta, ab hoc iuris rigore S. Congregationem aliquatenus ex gratia deflectere censuisse.

In praesenti autem themate tamquam huius indulgentiae obtinendae causam adduci, parvum Canonicorum numerum prae antiquiori; quo contingere necesse sit , ut ad dignitatem divini cultus conservandam, maior assiduitas in officio obeundo requiratur, saepiusque redeat cuique Canonicorum hebdomadam officium. Onere itaque ingravescente, ad debitam animi relaxationem, aequam videri aliquam operis reductionem.

Concurrere etiam animadvertebatur reddituum imminutionem: quamvis enim prima fronte pingues viderentur redditus supra expositi, habita tamen temporum et locorum ratione non ita iudicari debere: in illis enim Americanis regionibus ob minorem auri et argenti aestimationem, maiorem numeratami pecuniam exigi ad eas res sibi comparandas honeste tuendae vitae necessarias.

Denique recolebatur Rescriptum in causa *Tarraconen.* diei 18 Februarii 1764, in qua, cum Capitulum urbis Reus, quod praeter Priorem sex numerabat Praebendatos, petiisset indultum, ut octo eorum abesse possent a choro per duos menses, S. Con-

gregatio rescripsit: ***affirmative pro quatuor Canonicis tantum cum solitis clausulis:*** quae quidem clausulae fuerunt, ut ***Capitidares omnes tempore Adventus et Quadragesimae, omnibus diebus festis et solemnitatibus Nativitatis et Resurrectionis D. N.*** i. C. ***Pentecostes, SSmi Corporis Christi, per totam octavam eiusdem, ac aliis temporibus Ordinario benevisis interesse et iugiter servire tenerentur.***

RESCRIPTUM. — S. Congregatio perpensis Archiepiscopi precibus die 24 Augusti 1867 rescribere censuit: ***Praevia absolutione quoad praeteritum, esse locum constitutioni Massae distributionum iuxta votum Archiepiscopi; nec non pro gratia vacationum duorum mensium in singulis annis cum solitis clausulis: facto verbo cum SSmo.***

Ex QUIBUS, COLLIGES:

I. Abusum esse censendum illam consuetudinem, qua Capitulares choro adstricti et indebite absentes, neque tertia saltem proventuum parte mulctentur.

II. Capitula , quorum Capitulares ecclesiasticis proventibus sive expoliati, sive carentes, si a civili Gubernio pensiones recipiant, non liberari ab obligatione constituendi distributionum Massam iuxta Tridentinam legem, quas et indebite absentes amittant, praesentes suas absentiumque percipiant.

III. Quamvis Trid. Concilium tres vacationum menses illis qui choro obligantur tantum permiserit; prohibuisse tamen easdem a choro vacationes in illis Capitulis, quorum Capitulares longiori servitio sive ex Statutis sive ex consuetudine tenerentur.

IV. Quare hac prohibitione Tridentina extante, nonnisi a Romano Pontifice indulgentiam alicuius vacationis pòsse obtineri: quae quidem, aequis non extantibus causis, non conceditur.

Die 25 Maii 1867.

Summaria precum. Ioannes N. anno 1825 inter Canonicos ecclesiae cathedralis fuit adnumeratus, quorum nunc Decanus extat. Anno 1865, cum quadragesimum choralis servitii annum explevisset, supplicem libellum S. C. G. obtulit, postulans iubilationis indultum.

De more rogatus fuit Episcopus, ut audito Capitulo referret de continuent laudabili chori servitio eiusdem Canonici, èt an in eo computando habita sit ratio temporis, quo Orator forsan abfuerit studiorum causa.

Ad haec mandata Capitulum transmisit fallentiarum notulam ex capitulari libro desumptam , quarum summa ascendebat ad numerum 2308, praeter eas, quae forsan adnotari debuissent a mense Maio ad finem Decembris an. 1825, cuius anni fallentiarum liber repertus non fuit: adiunxit idem Capitulum, dictum Canonicum a die 15 Sept. 1837 usque ad integrum Februar. 1851, spatio scilicet annorum tresdecim, et quinque et amplius mensium, perfunctum fuisse munere Oeconomi Parochi in quibusdam pagis, quin pro absentia a choro veniam a S. Sede petiierit, donec anno 1851 factus fuerit Parochus ecclesiae cathedralis; quod Parochi officium adhuc ipsum retinere: superaddidit, eumdem Canonicum in Quadragesimis ab anno 1833 ad annum 1840 praedicationis ministerio absque indulto S. Sedis in pagis eiusdem dioecesis perfunctum fuisse; chorale autem ea in ecclesia servitium alternis hebdomadibus expleri solere.

Has Capituli animadversiones veritati consonas esse Episcopus retulit: quin imo in computatione annorum quadraginta adnotavit inclusum etiam fuisse tempus, quo orator abfuit a choro studiorum causa.

His itaque S. Congregationi propositis, die U Decem. 1865, reiectae fuerunt preces Rescripto: *Lectum.*

Debita quidem submissione et obsequio excepit Canonicus S. C. responsum; nihilominus eadem de causa iteravit preces , et quamvis studuisset nonnullis animadversionibus respondere ad

ea quae deducta fuerant, tamen non aliud rescriptum prodiit, quam: *In decretis.*

Cum autem ex reiectione precum suboriri sibi videretur vehemens suspicio culpabilis negligentiae iri servitii choralis adimplemento, superiori anno, quaedam exhibuit testimonia ad comprobandum, suas fallentias non provenisse ex incuria et negligentia, sed ex eo derivasse, quod prompta obedientia sese exhibuerit pro dioecesis indigentiis: animadvertens deinde, se â mense Maio 1865 diligenter muneri suo satisfecisse, servitio scilicet duorum annorum compensatum existimabat quemcumque praecedentem defectum; ideoque iterum postulavit ut donaretur iubilationis indulto, ratione habita etiam infirmitatis cuius perseverantem existentiam medici testimonio confirmabat.

Propositis autem difficultatibus singillatim occurrens, inquiebat: oeconomi Parochi officium non sponte suscepisse, sed tantum ex obedientia erga Episcopum, qui defectu aliorum Sacerdotum illud onus sibi imposueris quod si id temporis veniam a S. Sede non postulaverit,, id nec ex negligentia nec ex culpa accidisse, sed potius ex ignorantia necessitatis indulti obtinendi praeter Ordinarii veniam et praeceptum: caeterum, munere oeconomatum durante identidem choro intervenisse, quando a paroecialibus officiis non praepediatur: pagos enim supradictos non multo distare ab urbe: denique se usum non fuisse indulto causa studiorum.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Ex officio haec animadvertebantur: In comperto esse de huiusmodi indulto silere ss. canones, cum nullibi reperiatur in iure textus , quo Psallentes in choro divinas laudes hac indulgentia donentur: nihilominus ex Ecclesiae benignitate iamdiu usum invaluisse, ut quemadmodum in civili militia, ita quoque in ecclesiastica militia, emeritorum stipendiis illi frui possint, qui assidue et laudabiliter quadraginta annorum spatio chorale servitium expleverint; Garcías *de Benef, p.* 3 *c.* 2 §. 1 *n.* 134, et S. C. passim*; nominatim autem in causa, *Dubia Iubilationum die* 24 *Sept. et* 17 *Dec.* 1718; Benedictus XIV. *de syn. I.* 13 *c.* 9 §. 15 qui hanc rationem reddit: « Etenim si quotidianum et non interruptum chori servi-
» tium omnium hominum iudicio laboriosum et grave censetur,
» multo sane gravius atque molestius progressu temporis visum

» est, nullum, donec vixeris, serviendi finem videre, quamtumvis » diuturno annorum curriculo cum assiduitatis et diligentiae laude » inserviens. »

Cum autem haec indulta, non ex iustitia, sed ex gratia et aequitate tribuantur, requiri ut servitium *assidue et laudabiliter* praestitum fuerit; quas quidem conditiones S. Congregatio exigit, ita ut si de his non constiterit, ratio non habeatur sive provectae aetatis, sive habitualis infirmitatis prout adnotat Monacen. *Formul, leg. p.* 1 *tit.* 2 *n.* 13; *Firmana Iubilationis* 13 *Septem.* 1862 *per summaria precum.*

Hisce enim in casibus etsi S. Congregatio, habita harum causarum ratione, indulgentiam abessendi a choro identidem concedat, Iubilationis tamen indultum eamdem denegare.

Controversiam aliquando exortam esse, utrum in quadragenario annorum numero computari etiam deberet tempus quo Beneficiati studiorum causa debitaque venia obtenta a choro abfuerint; namque in *Cap.* 5 *De Magistris,* Honorius III. constituit, ut *Studentes in theologica facultate integre per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apost, proventus Praebendarum et Beneficiorum suorum non obstante aliqua alia consuetudine.* Ob hanc Constitutionem nonnullos argumentatos fuisse, ut quemadmodum huiusmodi tempus utile censetur ad percipiendos Beneficii fructus, ita etiam utile censeri deberet in computatione quadraginta annorum pro gratia iubilationis: at vero S. Congregationem in contrariam ivisse sententiam, ut in *Nepesina Iubilationis* diei 28 Nov. 1711 et in cit. *Dubia lubilationum:* proposita enim quaestione: « An indui— » genda sit lubilatio Canonicis et Beneficialis, qui spatio 40 an- » norum ecclesiis inservierunt, licet dicto temporis spatio cum » debitis licentiis et indultis abfuerint . . . causa studiorum : » prodiit Resolutio: *negative.*

Impossibile autem videri, ut Canonicus, de quo agimus, indulto obtento, pluries saltem a choro non abfuerit studiorum causa; cum Canonicatum consecutus fuerit sua aetate novemdecim annorum.

Fortius autem in praesenti themate obstare videbatur temporis spatium , quo praedicationis munere et oeconomi officio Canonicus alibi distinentur: namque absentibus ratione munerum cum indulto Apostolicae Sedis concedi solet Iubilationis gratia,

distinctione tamen facta inter simplex indultum *abessendi a* choro certis *diebus et horis,* et alterum indultum *abessendi a* loco Beneficii (1): namque in cit. causa *Dubia lubilationum* in primo casu rescriptum fuit pro Iubilationis indulto, in altero vero contra; proposito enim dubio: « An indulgenda sit iubilatio Canonicis et » Beneficialis, qui spatio 40 annorum ecclesiis inservierunt, licet » dicto temporis spatio cum debitis licentiis et indultis abfue» rint . . . vel pro suae ecclesiae servitio, vel ratione mune» rum pro quibus obtinuerunt indulta abessendi ab ecclesia du» rante officio : » rescriptum fuit : *affirmative quoad absentes vel pro suae ecclesiae servitio, vel cum indultis abessendi pro diebus et horis; negative autem . . . quoad habentes indulta abessendi absolute durante officio.*

Hac autem Resolutione posita a fortiori videbatur denegandum fuisse Iubilationis indultum illis, qui nullo praeeunte indulto, munus aliquod, secluso ecclesiae suae servitio, suscepsissent, etiamsi laudabiliter illud expleverint.

Quod pertinet ad canonicum ipsum haec animadvertebantur: quamvis denegatum eidem bis fuerit Iubilationis indultum; tamen in praesentia, oratorem illud petiisse, habita ratione compensationis fallentiarum per assiduum chori servitium, quod quadragenarium tempus excedat. Et revera S. Congregationem tempus prorogati servitii ultra annos quadraginta pluries admisisse ob interruptum servitium intra quadragenarium tempus, ut in *Piacentina* diei 18 Martii 1809, et alibi. Idque comprobari ex sequentibus, quibus utitur, formulis: *Recurrat compensatis fallentiis,* vel, *recurrat post annum,* aliisque similibus, ut in *Albinganen.* diei 27 Aug. 1859 *§. Reque vera,* et alibi. Quod si adhuc Canonicus N. absentiam suam non compensaverit, videndum superesse, utrum ob infirmam valetudinem peculiari indulto donari mereretur ; medicus enim testatus fuerat morbum quemdam contraxisse ob toleratos labores, et maiori cautela in posterum indigere.

Hisce animadversis, precibus S. Congregationi propositis die 25 Maii 1867,.rescriptum prodiit: *negative* (2).

(1) Confer causam, quam adduximus in *Fol. I.* **cuius titulus.** *Dubia Indultorum, pag.* **203 §.** *Adnotabatur*

(2) Sacra Congregatio, ut alibi diximus, quando de precibus agitur, quas non iudicet esse exaudiendas, respondere

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Iubilationis indultum in chorali servitio tamquam laboris quadragenarii praemium esse ex aequitate constitutum.

II. Hoc praemio, ex ecclesia chorali percipiendo, dignos eos non censeri, qui ei assidue laudabiliterque non inservierint: quamvis id fortasse non ex incuria aut negligentia fecerint.

III. Quin imo etsi abessendi indulto fuerint donati sive studiorum causa, sive ratione munerum: hoc tempus legitimae absentiae computari non solere in quadragenario servitii spatio , excepta absentia indulta ratione munerum *pro diebus et horis.*

IV. Distinguendum apprime esse indultum Iubilationis, ab aliis quae concedi solent ratione provectae aetatis aut infirmae valetudinis: haec enim non habent rationem praemii.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Die 30 Martii Í867.

Summaria jpreeum. Pius testator anno 1736, instituta haerede uxore sua; ex nonnullis quae designavit bonis mandavit constitui, post obitum dictae uxoris, *Beneficium simplex mere laicale* in cathedrali ecclesia, onere imposito Cappellano, ab haeredibus nominando, celebrandi unam Missam singulis hebdomadis, solvendique quotannis scutata duo cum dimidio Sacristiae dictae cathedralis.

Mortua uxore, eius haeres de eo simplici Beneficio laicali erigendo nullimode fuit sollicitus: deinde mediati haeredes, divisis inter se portionibus hàereditariis, non solum Beneficium non erexerunt, sed ne de erectione quidem cogitare visi sunt, ea ducti ratione,, quod onus iniunctum a primo testatore, uti fere-

solet: *lectum,* quod est raitissimum verbum: io praesentia autem respondit: *negative,* quo verbo solet uti, quando opus est, ad dubia solvenda, non vero ad reiiciendas preces: ad praesentes preces usa videtur hoc verbo, ut orator plenius intelligeret suas preces nou esse exaudiendas atque a petitione tandem cessaret.

batur, ope Beneplaciti Apostolici, salvo onerum adimplemento, redactum esset: quin imo bona haereditaria inter se divisa pro libito alienarum.

Praesentes haeredes, qui de eadem familia sunt, quoniam de asserto Beneplacito Apostolico nihil certi invenire potuerunt, quia fortasse (uti inquiebant) incendio Cancellariae episcopalis et illius urbis in gallica invasione anno 1798 fuerat absumptum, supplicem SSmo porrexerunt libellum, petentes conversionem laicalis cappellaniae in simplex legatum perpetuum, quo tenerentur dumtaxat ad implenda onera a testatore imposita. Hac de causa fundum quemdam suum hipothecae subiicere proposuerunt pro securitate legati: insuper fassi sunt, se prorsus ignorare, utrum tempore praeterito omnes Missae celebratae essent, nec ne; ideoque a SSmo postularunt super huiusmodi omissionibus absolutionem.

Audito Ordinario et Capitulo, omnes precibus suffragati sunt, ac insuper adnotavit Ordinarius, fundos relictos a primo testatore pro Beneficio simplici laicali erigendo aestimatos fuisse scutat. 787; nunc vero Oratores ut consulant propriae conscientiae fundum exhibere valoris scut. 100 pro annuis Missis 33; pro aliis vero 20 Missis soluturos esse congruam summam, quae det annuorum reddituum complementum. Assertum Beneplacitum Apostolicum frustra fuisse perquisitum. Quoad omissiones praeteritas se scire, aliquando quosdam ex haeredibus pro sua conscientia huic legato magna ex parte satisfecisse, quosdam non satisfecisse: monebat tamen, eosdem haeredes ex adversa fortuna fuisse etiam paupertate pressos; modo vero, ex haereditate aliunde quaesita, singulos acquisivisse scutata 1000.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Animadverlebatur scilicet, in praesenti themate non agi de proprie dicto Beneficio; sed de onere dumtaxat ad piam causam; sollicitum nimirum fuisse testatorem de salutari Missarum suffragio sibi procurando: ideo designasse quaedam bona; proindeque eadem bona non esse subiecta legibus illis ecclesiasticis, quibus subiiciuntur Beneficia.

Cum autem haec bona a longissimo temporis spatio fuissent inter haeredes divisa, et quaedam alienata, difficile esse et fortasse impossibile ut redintegrentur: quare congruum esse videri Oratorum precibus satis fieri, ne, adveniente nova pauper-

tate, impares omnino haeredes evaderent ad legatum quavis ratione implendum. Observabatur tamen fundum propositum scutat. 100 non videri sufficientem ad securitatem Missarum 33 celebrandarum singulis annis.

Quoad absolutionem super omissionibus praeteritis, adnotabatur, non omnes haeredes officium neglexisse, eos vero qui dictum officium non impleverant, id non ex fraude et dolo, sed potius ex egestate qua premebantur, aut bona fide, neglexisse.

His aliisque animadversis propositae sunt preces S. Congregationi Concilii die 30 Martii 1867, et rescriptum prodiit: ***Celebratis Missis triginta, ac tradito fundo valoris saltem scutatorum biscentum quinquaginta pro integro implemento onerum iuxta legem fundationis, pro gratia absolutionis, condonationis, ac commutationis voluntatis, facto verbo cum SSmo.***

EX QUIBUS COLLIGI POTEST :

I. Si testator Missarum legatum relinquens fundos pro Cappellano designavit, non esse in potestate haeredum fructus ex iisdem fundis percipere, quamvis oneri Missarum seu legati faciant satis.

II. Multo minus in eorum potestate esse, eosdem fundos alienare, qui si alienati fuerint, vindice Episcopo, eos recuperan ac in tuto ponj debere : sunt enim bona ad divinum cultum relicta.

III. Quod si impossibilis aut difficilis evaserit fundorum recuperata, non ideo cessare in haeredibus obligationem, alios saltem subrogandi fundos, alienatis aequivalentes.

IV. Dari tamen posse adiuncta, in quibus haeredes aliquam indulgentiam a S. Sede mereantur, ut in praesenti casu.

ABSOLUTIONIS ET REDUCTIONIS MISSARUM.

Die 24 Augusti 1867,

Summaria precum. Anno 1817 ecclesiae paroeciali oppidi N. unitum fuit simplex Beneficium quod erectum fuerat in quodam templo s. Petri: idque ea de causa, ut paroecialis ecclesiae redditus, qui impares omnino erant ad honestam Parochi sustentationem, augerentur. Hoc simplex Beneficium secum ferebat onus celebrandi duas Missas singulis hebdomadis in dicto templo, praeter aliam Missam in paroeciali ecclesia singulis pariter hebdomadis celebrandam. Praesenti tempore ratione vectigalium, quae a Gubernio Pedemontano super ecclesiae bonis imposita sunt, Parochi redditus adeo sunt imminuti, ut vix aut ne vix quidem ad onera persolvenda sufficiant. Quare Parochus celebrationem duarum Missarum in templo s. Petri suspendit : tum vero a S. C. C. postulavit, ut haec suspensio celebrationis et quoad praeteritum et quoad futurum, quousque praesentes rerum circumstantiae permanerent, adprobaretur.

De more hae preces ad Episcopum missae fuerunt, ut suam aperiret sententiam , et statum activum et passivum tum simplicis Beneficii, tum Paroeciae describere!; et auditis illis quorum id intersit eorum placitum scriptis mandatum S. Congregationi transmitteret.

Muneri sibi commisso Episcopus satis faciens, inter caetera respondit: Oratoris preces veritati consonas esse: redditus Beneficii aestimari scut. 63; expensas autem scut. circiter 62, unde frustranea modo redderetur dicta Beneficii unio: retulit insuper sodalitatem existentem in dicto templo s. Petri petitioni Parochi omnino refragari. Sodales autem ea praesertim de causa petitioni refragabantur, quia Parocho negligentiae tribuebant grave vectigalium onus super Beneficio a Gubernio impositum, quod tempore utili Parochus Gubernio non dederit dieti Beneficii denunciationem descriptionemque, unde mulctae fuerit subiectus.

Transtulit pariter Episcopus Parochi deductiones circa Paroeciae proventus, iuxta quas, redditus attingebant summam scut. 25; expensae vero, computatis Missis pro populo, ascendebant ad

scut. 38, habita tantum ratione vectigalium, nulla vero manutentionis ecclesiae et aedium paroecialium, nec cerae et olei, aliarumque cultus expensarum.

Episcopus autem suam mentem aperiens, inquit: « de Mis-
» sis non satisfactis. . . . usque in praesens oratori Parocho
» indulgeri posse iudicarem, levi onere imposito celebrandi Mis-
» sas sex pro animabus piorum Institutorum in quavis ecclesia
» infra sex menses. Legitimam causam suspensionis Missarum
» ab expositis clare patet fuisse tantum paupertatem orato-
» ris, et onera imposita Beneficio, iustae autem oratoris que-
» relae a Gubepnii Ministris firmiter reiiciuntur sicut adhuc re-
» iectae fuere. »

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Haec ex officio animadvertebantur: etsi caute procedendum sit in reductione Missarum, quemadmodum tum ratio tum disciplina S. C. clare docent; perpensis tamen expositis dubitari non posse de legitima reductionis causa: non alia enim de causa Tridentini Patres, *Sess.* 21 c. 5 *et sess.* 24 ***c.*** 13, eiusmodi uniones Beneficiorum permiserunt, nisi ut consuleretur exiguitati fructuum, et Rectores ipsi honestam sustentationem obtinerent: in praesenti autem themate vanam redditam fuisse Beneficii unionem, et Parochum ea laborare inopia, ut eidem extraordinariis remediis sit consulendum. Obstare quidem Sodales Missarum reductione attamen iudicandum remanere, utrum eorum dissensus sit nec ne rationabilis, cum, nisi reductio onerum concedatur, in gravamen potius Parochi, quam in emolumentum dicta Beneficii unio cederet.

RESCRIPTUM. — S. Congregatio Concilii, perpensis precibus die 24 Augusti 1867 rescribere censuit: *Pro gratia absolutionis quoad praeteritum iuxta votum Episcopi; quoad futurum vero pro gratia reductionis omnium Missarum, firmo tamen onere unius Missae celebrandae qualibet hebdomada in ecclesia s. Petri... ad quinquennium; facto verbo cum SSmo.*

EX QUIBUS COLLIGES:

Gravia onera super Beneficio violenter imposita suppeditare causam obtinendi ab Apostolica Sede aliquam temporaneam Missarum reductionem.

ERECTIONIS CAPPELLANIAE.

Die 14 Septembris 1867.

Summaria precum. Pius Sacerdos suo testamento duos sibi elegit haeredes fiduciarios quibus mentem suam manifestavit, post suam mortem aperiendam: mortuo Sacerdote, haeredes fiduciarii declararunt eam fuisse testatoris voluntatem, ut post mortem sororis suae quam haeredem usufructuariam nominavit, *erigeretur perpetua Officiatura mere laicalis Missae quotidianae in ecclesia paroeciali N.. . . . . . . .in libertate haeredum fiduciariorum reliquit eligendi alteram ecclesiam, quoties Parochus N. pro tempore praetendat, ut Cappellanus aliquid solvat pro utensilibus, quod hoc aequum non esset, cum haec Missae celebratio fiat ad commodum populi.*

Defuncta haerede usufructuaria locus factus est erectioni *Officiaturae,* **et interpellatus fuit Parochus N. an vellet in acceptis habere Cappellaniam in sua ecclesia iuxta mentem testatoris instituendam.**

Diu anceps haesit Parochus, donec tandem datis litteris ad Vicarium Generalem declaravit, se non posse eamdem admittere, *cum esset potius damni quam emolumenti paroeciali Praebendae ob subministrationem utensilium sine ulla compensatione.*

Tunc alter Parochus M. propriam ecclesiam obtulit ut in ea pium legatum absque ulla utensilium obligatione adimpleretur: publico itaque confecto Instrumento, Vicarii Generalis auctoritate in ecclesia paroeciali M. Officiatura fuit erecta sub expressa renunciatione utensilium.

Spatio novendecim annorum Parochus N. siluit: postea transmisso libello S. Congregationi Concilii, petiit, ut nulla declararetur dicta erectio, et nulla pariter dicta apposita conditio : quod si conditionis ratio habenda esset, Missae reducerentur ita, ut compensari utensilia possent, etc.

Audito Episcopo, nonnullae prout moris est animadversiones *ex officio* **factae sunt.**

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO FACTAE. — **Observabatur itaque, in praesenti themate locum non habere ea quae tradunt Doctores**

in *tit. de his quae fiunt a Praelatis,* quando Rector ecclesiae haereditatem vel legatum ecclesiae eidem relictum repellat, cum in praesentia non agatur de legato pure et simpliciter ecclesiae N. relicto, sed sub conditione: quae quidem conditio, cum impleta non esset ex parte Parochi N. eo ipso locum habuisse translationem legati ex ipsa fundatoris voluntate.

Eo vel magis, quod sero nimis Parochi querelae admotae essent : ecclesia enim adversus aliam ecclesiam nullo privilegii iure pollet, ut extraordinario remedio , quo opus in praesentia esset, sit tutanda.

RESCRIPTUM. — S. Congregatio Concilii die 14 Septembris 1867 propositis precibus rescribere censuit: *lectum, et notificetur Ordinario.*

Ex QUIRUS COLLIGES:

Fundatorum voluntatem , sive per se expressam, sive per haeredes fiduciarios, apprime esse servandam.

EX S, CONGREGATIONE SS, RITUUM.

URBIS ET ORBIS.

Unus et quadraginta Sacrorum Antistites sequentia vota SSmo D. N. patefecerunt.

BEATISSIME PATER.

« Pastoralis memores sollicitudinis , qua erga gregem nobis commissum devincimur, ad Sedem Apostolicam confidenter confugimus solatium simul et adiutorium perituri.

» Agitur nempe de honore ac cultu Sanctorum Beatissimae Virginis Mariae parentum Ioachim et Annae, quem promovere valde desideramus. In praesenti temporum iniquitate passim christianae familiae laxantur vincula; rarior fit coniugum fidelitas et amor; parentum labefit auctoritas; filiorum cessat obedientia;

sacrae matrimonii christiani leges fere oblivioni traduntur: unde saepissime ordo, virtus et pax ex familiis exulant.

» Porro historia et experientia testantur religionem familiarum, fidem et tranquillitatem vigere, ubicumque vigent cultus et veneratio Sanctorum Deiparae parentum. Cum igitur perlibenter videamus in Gallia magis ac magis amplificari hanc fidelium devotionem erga sanctam Annam et ipsius sponsum, sinceros inde orituros pietatis, morum reformationis, inter coniuges potissimum, fructus bene speramus.

» Videtur tandem sanctae Annae exaltatio in ipsammet Virginem Immaculatam redundare, quia scilicet huius almae Genitricis viscera, quasi tabernaculum extitere, in quo Mariam sine labe originali conceptam Angeli salutaverunt.

» Qua* de Causa ad pedes Beatitudinis Vestrae provoluti hanc suppliciter rogamus, ut duplicem gratiam toti orbi christiano, aut saltem Dioecesi nostrae, concedere dignetur.

» 1.° Ut Festa sanctae Annae et sancti Ioachim celebrentur deinceps sub ritu duplicis secundae classis. Quamvis porro nulla alia modificatio facienda occurrat in utroque officio, postulatur tamen ut introitui assignato pro Festo sanctae Annae alius substituatur in missis votivis recitandus.

» 2.° Ut in Litaniis Sanctorum addatur nomen tum sancti Ioachim, tum sanctae Annae.

)> En Beatissime Pater vota nostra! Haec dignetur Sanctitas Vestra pio favore prosequi et ad faustum exitum deducere! Suscipiatur oratio nostra ad gregis nostri salutem, ad totius Ecclesiae utilitatem et ad Salvatoris Nostri maiorem gloriam! »

His votis propositis SSmo D. N. in audientia diei 20 Decembris 1867, rescriptum prodiit: ***proponatur in Congregatione Ordinaria SS. Rituum.***

Hisce itaque propositis in Congreg, ordinaria die 9 Februarii 1867: rescriptum prodiit: ***Dilata: et ponatur in folio, audito Voto duorum Consultorum Theologorum et proponatur in Congregatione ordinaria.***

Vota Consultorum in compendium redacta*

Duo theologi Consultores, qui ad suam opinionem patefaciendam fuerant invitati, multa documentorum eruditione dignitatem

utriusque sancti Ioachim et Annae illustrarunt, et ob causas ab Episcopis adductas aequum esse affirmabant ut cultus eorumdem promoveretur: non tamen conveniebant eorumdem Consultorum opiniones in eo, quod, inspecta S. Sedis praxi, expediret, ut solemni decreto pro universa ecclesia cultus ita augeretur prout laudati Antistites optaverant.

Vota utriusque Consultoris per summa capita referemus.

Unus e Consultoribus sic disseruit: recolebat initio doctrinam s. Thomae ***in Ioan.*** c. 10 ***lect.*** 5. 6. ***med.*** ubi Angelicus Doctor scriptum reliquit: « Notandum est, quod omnia Festa celebrantur in ecclesia in commemorationem divinorum Beneficiorum, Isai. 53. ***Miserationum Domini recordabor etc.*** Et in » Psalm. 117. postquam David commemoravit multa beneficia » Dei dicens: ***Confitemini Domino quoniam bonus;*** subdit : Coït- » ***stituite diem solemnem in condensis etc.*** Recolimus autem Divi- » na beneficia nobis exhibita tripliciter. Quandoque quidem ut » exhibita nobis in capite Domino Iesu Christo. Et sic celebra- » mus Festum Nativitatis et Resurrectionis et huiusmodi. Quan- » doque ut exhibita nobis in membris nostris, scilicet in Sanctis, » qui sunt membra Ecclesiae. Et hoc congruenter, quia ut dixit » Apostolus 1. Cor. 12., ***si gloriatur unum membrum congaudent*** » ***omnia membra.*** Et sic celebramus Festa ss. Petri et Pauli et » aliorum sanctorum. Quandoque autem prout exhibita toti Ec- » clesiae, puta in ministerio Sacramentorum , et in aliis com- » müniter Ecclesiae collatis. Et quia Domus materialis est quasi » signum Ecclesiae fidelium, ut etiam in ea omnia sacramenta » gratiae dispensantur, ideo in memoriam ipsorum beneficiorum » Festum dedicationis Ecclesiae colimus. Quod quidem Festum » maius est alicuius Sancti, sicut et beneficia toti ecclesiae col- » lata, quorum memoriam agimus, excedunt beneficium colla- » tum alicui Sancto, quod in Festo, eius recolitur. »

Ex qua doctrina Consultor eruebat, fundamentum solemnitatis in Festis Sanctorum repositum esse, primo, in sanctitate, quam ipsis Deus contulit; ideoque, quo maior est sanctitas, eo maiorem esse debere solemnitatem: secundo, in beneficiis, quae Ecclesiae per eos obveniunt. Quam doctrinam docet etiam Gavantus, ***Comm. praelim. n.*** 18.

Hac ratione Consultor viam sibi aperuit , ad consideranda merita ss. Ioachim et Annae quoad Deum, et beneficia quoad nos.

Quod attinet ad merita et sanctitatem eorumdem Sanctorum sic disserebat: Patres docent, Deum , cum aliquem ordinat ad aliquod officium, illum exornare omnibus virtutibus et praeeminentiis officio illi consentaneis. Hinc quo sublimius est officium, eo sublimiora bona et virtutes a Deo conferri. Cum autem Deus ab aeterno decreverit Ioachim et Annam progenituros Virginem illam Immaculatam, in qua positurus erat tabernaculum Sanctum Sanctorum, procul dubio tenendum esse, sublimi sanctitate eos exornasse: unde S. Ioan. Damascenus exclamat: « O » beatum par Ioachim et Anna et vere immaculatum! Ex fructu » ventris vestri agnoscimini: quemadmodum Christus alicubi dicit: » *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* » Serm. 1 de Nativ. Deipar.

Cui et alterum Consultor addebat argumentum ex principio desumptum, quod consueta subtilitate tradit Angelicus Doctor his verbis : « Quanto aliquid magis appropinquat principio in » aliquo genere, tanto magis participat effectum illius principii. » Unde Dionysius dicit, *de coelest. hier,* quod Angeli, qui sunt » Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus divinis » quam homines. Christus autem est principium gratiae, secun- **di** dum divinitatem quidem auctoritative , secundum humanita- » tem vero instrumentaliter. Unde Ioan. I. dicitur: *Gratia et ve-* » *ritas per Iesum Christum.* » S. Thom. 3 p. q. 27 art. 5

Ex quo Consultor inferebat: cum Ioachim et Anna secundum humanam naturam post B. V. Mariam propinquiores fuissent Christo auctori gratiae et sanctitatis; prae caeteris Sanctis eos participare debuisse eius gratiae.

Quoad vero beneficia ex ipsis Ecclesiae provenientia, considerabat Consultor, eos factos esse instrumenta excelsi Incarnationis Misterii et Redemptionis nostrae, unde Damascenus, *serm. i in ss. Virg. natali num.* 1 *et* 11. inquit: « Omnis creatura una fe- tt stive delectetur ac sacratissimum s. Annae laudet puerperium. » Illa quippe mundo bonorum peperit thesaurum, quem vis » nulla auferre possit.... O par beatum Ioachim et Anna! Vobis » omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium » donorum praestantissimum Creatori obtulit, nempe castissimam » matrem, quae sola Creatore digna erat. »

Hisce praehabitis, cum, eximiae Sanctitati respondere debeat elevatio ritus, deducebat Consultor congruentiam elevationis eiusdem.

Quam quidem confirmabat ex exposita Angelici mente : si enim Festum dedicationis ecclesiae maius est, quam Festum alicuius Sancti; quia est quasi signum ecclesiae fidelium et in ea omnia Sacramenta gratiae dispensantur, iure merito est dicendum de Ioachim et Anna, qui ediderunt templum animatum Dei viventis, illius, qui est caput totius Ecclesiae et auctor Sacramentorum, iuxta praeclarum S. Epiphanii testimonium, *Delaud. vir g. Mar.*

Eamque -praeterea ritus elevationem suaderi, prosequebatur Consultor, etiam relatione, quam iidem habent ad alios Sanctos, nempe ad B. V. Mariam : namque *Gloria filiorum Patres eorum*, Proverb. 17 : item ad S. Iosephum, cuius Festum ad ritum duplicis secundae classis ideo elevavit Clemens X., quia sponsus illius B. V. Mariae fuit et pater putativus D. N. I. C. ideoque congruere, ut pari solemnitate Festum parentum eiusdem V. Mariae celebretur.

Denique id congruere ratione Patrocinii, quod iuxta specialem eorumdem dignitatem, natura veluti sua, de universa suscipiunt Ecclesia.

Eo vel magis, quod non nova esset haec concessio, sed tantum extensio iam factae concessionis. Namque S. Rit. Congregatio die U Septem. 1841 concessit Regularibus Tertii Ordinis s. Francisci, ut in toto Ordine Festum ss. Ioachim et Annae celebraretur cum ritu duplicis secundae classis.

Haec quidem quoad primam Antistitum petitionem.

Quoad alteram petitionem ; describendi scilicet nomina eorumdem Sanctorum in Litaniis maioribus, animadverterat, idem iudicium videri sibi ferendum, ac latum est in simili causa de s. Iosepho, cum sub eodem fere respectu s. Ioachim et Anna se habeant ad Christum Dominum et B. V. Mariam. Benedictus XIV. cum in minoribus esset et munere fungeretur Promotoris fidei, eruditum votum edens pro nomine s. iosephi in Litaniis maioribus inserendo, explosis nonnullis difficultatibus de eius morte ante legem Evangelii, suum affirmativum suffragium fundavit in cultu s. Iosephi in ecclesia ab antiquo tempore praestito.

Quare Consultor eadem vestigia sequens ostendebat antiquum esse cultum ss. Ioachim et Annae exhibitum ab universa ecclesia, sive in Oriente sive in Occidente; cuius rei abunde documenta suppeditant Bullandistae *ad diem* 20 *Martii* §. 1 *n.* 2 *et* 3 *ad* 26 *Iulii* §. 5 n. 16 *et* 45 *et ad* 20 *Martii* §. 1 *n.* 6 *et* §. 7 ra. 68.

Aliud argumentum, quod Lambertinius adduxerat pro insertione nominis s. Iosephi in Litaniis maioribus, deductum ex Festo de praecepto, militare etiam, observabat Consultor, pro nomine inserendo s. Ioachim, quamvis Festum s. Ioachim modo celebretur die dominica infra Octavam Assumptionis ad imminuenda Festa de praecepto , iuxta ea quae tradit Gavantus *de festis sanet. sect.* 12 c. 10.

Ad s. Annam quod spectat compertum esse , eius Festum celebrari saltem aliquibus in locis sub praecepto audiendi Sacrum.

Item, argumentum aliud Lambertinius, in causa quam pertractabat, petebat ex eo quod nomen s. Iosephi insertum reperietur in antiquioribus Ecclesiae universalis Litaniis, et adhuc legeretur in Litaniis PP. Praedicatorum, nec non Carmelitarum; animadvertebat autem Consultor, nomen s. Annae legi in Litaniis eorumdem Patrum, ut constat ex eorumdem Breviario.

Postea Lambertinius ita subiungebat : « Litaniae nihil aliud » sunt, quam catalogus Sanctorum, qui rite et licite coli et in- » vocari possunt . . . .seclusa ergo prohibitione Ecclesiae, omnis » Sanctus, cuius Sanctitas iudicio Ecclesiae certa est iuxta varios » huius certitudinis modos; (alius enim fuit ante tempora, alius » post tempora Alexandri III.) invocari posset in Litaniis....» Benedictus XIV. *de Can. I.* 4 *p.* 2 *c.* 19 *n.* 25 *et* 26.

Quamvis autem post Decretum Clementis VIII. quo prohibita expresse est additio alicuius Sancti in Litaniis citra approbationem S. Congr. RR. additionem tamen nominis alicuius Sancti , in Litaniis'saltem particularibus, non fuisse existimatam rem prorsus insuetam quae obtineri a S. Sede non posset, prout ostendit quoddam factum a Benedicto XIV. enarratum *loc. cit. n.* 27; et in Litaniis PP. Praedicatorum, Carmelitarum et Franciscanorum descripta inveniri nomina Sanctorum ad proprium Ordinem pertinentium, quae non leguntur in Litaniis Breviarii Romani.

His animadversis, opinabatur Consultor utrique Episcoporum petitioni esse annuendum.

VOTUM ALTERIUS CONSULTORIS. — Hic alter Consultor sapiens esse ostendebat tot clarissimorum Praesulum consilium invocandi a Deo opem per ss. Ioachim et Annam ob tot tantaque mala quae matrimonii vincula praesenti aetate deturpant : consonum esse praxi Ecclesiae, ut illi Coelites tamquam exemplum proponantur ac invocentur, qui eam virtutem, quam obtinendam curamus, prae caeteris coluerint. Hinc pluribus Sanctorum et Patrum testimoniis ostendebat, eosdem Sanctos coniuges singularibus virtutibus adeo praefulsisse, ut gratiam meriti sint procreandi Matrem Dei: quamobrem quam maxime conveniens ac perutile esse concludebat Consultor cultum eorumdem augere.

Nihilominus quoad elevationem ritus in universa ecclesia sibi non videbantur adesse sufficientia motiva , quibus S. Sedes ad eam universaliter decernendam deveniret, quamvis motiva sufficientissima adesse existimaret ad elevationem ritus in illis dioecesibus , quibus laudati sacrorum Antistites praeerant : eo vel magis, quod S. Sedes in hisce generalibus Decretis edendis prae oculis habere soleat factum aliquod praeclarum quod in utilitatem cesserit universae Ecclesiae: de qua re exemplum afferebat Consultor diei festi ss. Rosarii, et ss. Nominis Mariae: vel cum id utilitas totius Dominici gregis iudicio S. Sedis postulasset.

Quoad insertionem nominum, rem pariter pulchram optandamque esse affirmabat, in qua dubio procul nihil est, quod fidelium pietati non congruat: nihilominus eiusmodi insertioni veneratissimorum nominum obstare sibi videbatur rei liturgicae disciplina, quae plurium intervallo saeculorum firmata, non facile a S. Sede mutatur nisi gravissimae rationes postulent : re quidem vera post Bullam s. Pii V. nihil in Litaniis Sanctorum additum fuisse praeter nomen s. Ioseph: et ad rem facere simile exemplum, quod confirmat hanc S. Sedis praxim: inquiebat scilicet nihil convenientius apparere quam in canone Missae nomina s. Lucae et s. Marci insererentur, cum in eo canone legantur nomina Sanctorum minoris certe dignitatis; tamen nunquam ad hoc faciendum S. Sedem devenisse , quamvis convenientes rationes id consulere viderentur; praesertim vero quoad insertionem nominis s. Marci, cum Venetiarum respublica pluries id postulaverit : idque tamen negatum semper fuisse non alia de causa, quam ad novitates declinandas: quam quidem disciplinam

ss. rituum integritatem servantem efficere eosdem veneratione dignissimus: in praesentia autem agi de venerandis apprime nominibus, inserendis tamen in Litaniis, quae saeculorum intervallo per universum catholicum orbem uniformi et immutabili ritu servantur.

Hisce Consultorum opinionibus S. Congregationi exhibitis, re mature discussa die 29 Februarii 1868, prodiit responsio: *Quoad elevationem ritus providebitur in casibus particularibus ; quoad vero Litanias nihil innovandum.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quamvis S. Sedes ad coadiuvandam fidelium pietatem erga Coelites eorumque opportuna obtinenda auxilia pro locorum adiunctis ritum Sanctorum identidem elevet aut extendat (1): nihilominus ad universalem ritus elevationem decernendam devenire non solere, nisi aliqua realis universaeque ratio id apprime suadeat.

II. Eiusmodi universalem rationem non reponi dumtaxat in Sanctorum dignitate quamvis ea praeclara sit, nisi extet extrinseca, realis universaeque causa, quae universalem extensionem et elevationem suadeat (2).

(1) Ad estensionem quod attinet se* quens Rescriptum memoria est dignum. « Eminentissimus et Reverendissimus D. Cardinalis Paulus Cullen Archiepiscopus Dublinensis aliique Archiepiscopi et Episcopi Hiberniae Romae praesentes ad solemñia'canonizationis peractae in Vaticano Templo, XVIII. Centenario recurrente, quo gloriosi Apostolorum Principes Petrus et Paulus sanguinem suum pro Christo fuderunt, humillimis precibus a SSmo D. N. Pio Papa IX. postulaverunt, ut Festa Sanctorum Hiberniae, qui de Apostolicae Sedis venia modo in una vel altera dioecesi recoluntur, amodo in singulis kalendariis dioecesium illius regionis inscribí valeant; verum sub ritu duplici minori tantum. Sanctitas vero Sua haec vota ab infrascripto Substituto Secretario ss. Rituum Congregationis relata, clementer excipiens benigne pro gratia annuere dignata est iuxta preces;dummodo tamen in assignandis diebus pro illorum celebratione in singulis Kalendariis Rubricae et Decreta adamussim serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. »

C. Epis. Port, et S. Ruf Card. PATBIZI
S. C. Praefectus.

Loco i$< sigilli

Pro R. P. D. Dominico Bar Mini Secr.
Iosephus Ciccolini Substitutus.

(2) Dixi extrinsecam realem universalemque causam requiri, quae quidem potest esse aliquod peculiare factum , quod tamen cedat in bonum universae Ecclesiae uti son* exempla a secundo Consultore indicata; vel etiam fidelium pietas quae ubivis excitetur: de secunda hac causa habemus praeclarum et recens exemplum in Decreto Urbis et Orbis die 23 Augusti anni 1850, quod in nova Ap-

III. In praesenti casu hanc extrinsecam causam a Sacrorum Antistitibus expositam, visam non fuisse (hactenus saltem) sufficientem ad universalem ritus elevationem.

IV. Colliges insuper, S. Sedem admodum difficile tenues etiam innovationes admittere in re liturgica, quae constanti consuetudine fuerit in Ecclesia universim firmata.

V. Quare non expedire iudicasse , ut praeclara ss. Ioachim et Annae nomina in Sanctorum Litaniis in universa Ecclesia celebratis intersererentur (Î).

pendiceli!, ad Gardellinianam Collectionem his verbis legitur: « Urbis et Orbis. » « Ex quo Clemens Papa X MI. Festum in honorem Sanctissimi Cordis Iesu cum Officio et Missa nonnullis Ecclesiis celebrare permisit, ad immensam Divini huius Cordis cliaritatem recolendam tanto ubivisardore fideles populi seexcitatos senserunt, ut nulla iam pene extet dioecesis, quae privilegium eiusdem Festi peragendi ab Apost*. Sede se non impetravisse laetetur.

»IdRmi Galliarum Episcopi attendentes, ut Festum fidelium animis adeo iucundum et in omni Catholico Orbe tam concordi pietate frequentatus) ab universa prorsus Ecclesia amodo celebretur, humillima ea de re vota sua SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Constantinum Patrizi cum nuper in Gallus Legati a Latere munere fungeretur, subiici curarunt. Occasionem namque sibi datam Iubenti animo arripientes publicum ac solemne in persona Cardinalis Legati testimonium exhibendi suae erga Sedem Apostolicam venerationis, ipsum Parisiis commorantem ingenti numero convenerunt, intimamque ac plenissimam adhaesionem suam Romano Pontifici veluti Catholicae unitatis Centro et Iesu Christi iiivterris Vicario professi, ut Festum Sacratissimi Cordis Iesu ad universam extendere dignaretur Ecclesiam enixis precibus postulavere.

«Has autem preces florentissimi ei Sedi Apostolicae obsequentissimi Galliarum Episcopatus cum in Urbem regressus SSmo Domino Nostro idem subscriptus Cardinalis S. R. C. Praefectus retulisset, placuit Sanctitati Suae illas clementer excipere, novaque cupiens praebere incitamenta fidelibus ad amandum, redamandum, amplectendum vulneratum Cor eius, qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, Officium Sanctissimi Cordis Iesu pro Regno Poloniae et Clero Urbis a S. R. C. probatum die il Maii anni 1765 cum respondente Missa *Miserebitur,* in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit sub ritu duplici maiore VI. feria post Octavam SSmi Corporis Christi, servatis tamen rubricis, et firmis remanenlibus, quoad ecclesias privilegium habentes vel ampliore ritu, vel alia die, vel diverso Officio Festum istud celebrandi, singularibus Indultis ab Apostolica Sede hucusque concessis. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 23 Augusti 1856.»

(t) Sacra Congregatio SS. Rituum nec usum admisit invocandi nomina Titularium in Litaniis, ut in sequenti dubio in *Parmen.* die 6 Maii 1857 his verbis exposito: « an tolerari queat, ut in ec» clesiis, ingressa Processione (in Festo » s. Marci et in Rogationibus), interru» piis Litaniis Sanctorum , invocentur » nomina Titularium, licet haec in iis» dem non adsint Litaniis: » cui S. C respondit: *negative.*

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS SERVI DEI

FR. AEGIDII MARIAE A S. IOSEPHO

LAICI PROFESSI ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM

STRICTIORIS OBSERVANTIAE SANCTI PETRI DE ALCANTARA

PROVINCIAE LYCIENSIS

Super Dubio

An constet de Virtutibus theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et Proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur ?

DECRETUM. « Vir simplex et rectus ac timens Deum fuit Venerabilis Aegidius Maria a sancto Iosepho. Hic humili genere natus in clarissima civitate Tarentina a primis annis Dei gratia praeventus puram duxit sine labe adulescentiam. Inde mundi lucra contemnens seraphici Patriarchae Institutum inter austeriores Alcantarenses sodales amplexus est. Ibi Christi Cruci confixus vivens in simplicitate et innocentia cordis ita assidue ambulavit, ut harum praestantia virtutum, prodigiorum ac mirabilium parandorum praerogativa a Deo Omnipotente condecoran meruerit. Et quoniam iste Dei famulus in frequentissima commorabatur urbe Neapolitana, ubi tunc temporis ob rerum publicarum subversionem abundaverat iniquitas, multique homines falsis philosophorum doctrinis imbuti a fide catholica defecerant, ideo contemptibilem et infirmum hunc servum elegit Deus ut confunderet sapientes, et fortia quaeque destrueret. Ad ultimam usque senectutem pervenit Aegidius, donec extremo morbo laborans, Sacramentis refectus, et ad supernam Patriam anhelans in Dei osculo placidissime conquievit septimo Idus Februarii Anni MDXcccu. At eius Sanctitatis fama quae, dum in terris ageret, virtutum splendore et signorum multitudine latissime diffusa erat, crevit in dies, et ad aevum usque nostrum a parentibus filiis nepotibusque enarratum Quamobrem Processibus auctoritate Ordinaria construens in urbibus Neapolitana et Ta-

rentina, iisque probatis Summus Pontifex Gregorius XVI. sa. me. anno MDCCCXLIV. Commissionem Introductionis Causae propria manu signavit. Deinde Litterae Bemissoriales a Sacrorum Rituum Congregatione datae sunt, ut Tabulae Processuales Apostolica auctoritate in utraque urbe Neapolitana scilicet et Tarentina conficerentur. Quibus ad exitum perductis, servatisque omnibus quae in hac suprema Iudicii Sede servanda sunt, triplex huius servi Dei virtutes subiere examen. Primum in Congregatione Antepraeparatoria, quae obtinuit septimo Idus Maii Anni MDCCCLXV. in aedibus Reverendissimi Cardinalis Alexandri Barnabò causae Relatoris. Alterum in Congregatione Praeparatoria in Palatio Apostolico Vaticano habita quinto Kalendas Decembris Anni MDCCCLXV!. Tertium denique in generalibus Comitiis, quae collecta fuere in eodem Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPA IX. decimotertio Kalendas Decembris anni MDCCCLXVII. In hisce amplissimis Comitiis ab eodem Reverendissimo Cardinali Alexandro Barnabò propositum fuit Dubium « *An constet de Virtutibus theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum et Proximum , nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, et Temperantia earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* » et omnes Reverendissimi Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi et Patres Consultores suam ex ordine exposuere sententiam. Quibus auditis Sanctissimus Dominus Noster distulit illico suam pandere mentem , monuitque adstantes ut secum interim preces funderent ad impetrandam divini Spiritus illustrationem.

» Denique hac die, Feria scilicet II. post Dominicam Quinquagesimae suum deliberavit proferre iudicium. Proindeque Sacra operatus in privato Sacello Pontificalis Vaticanae Domus, ad Ecclesiam se contulit Sanctissimo Nomini Iesu sacram, ibique adorata prius augusta sanclissimaque Eucharistia fidelium venerationi cultu solemni exposita proximum adiens sacrarium, solium conscendit; et accitis Reverendissimo Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, ac Reverendissimo Cardinali Alexandro Barnabò causae Relatore, simulque R. P. Petro Minetti sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus rite decrevit : *Constare de Virtutibus theologalibus Fide* ,

Spe, et Charitate in Deum, et Proximum, ac de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia, earumque adnexis Ven Servi Dei Aegidii Mariae a S. Iosepho in gradu heroico in casu, et ad effectum de quo agitur.

» Decretum hoc in vulgus edi, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit VI. Kalendas Martias Anni **MDCCCLXVIII.** »

C. Episcopus Portuen. et s. Rufinae
Card. PATRIZI S. R. C. Praefectus.

Loco Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius.

EX s, **common** EPISCOPORUM ET REGULARIUM,

SUPER PIA SOCIETATE A MUTUO SUCCURSU NUNCUPATA.

Die 6 Martii 1868.

Compendium facti. In Itala dioecesi N. pia quaedam ecclesiasticorum societas constituta est, quae a *mutuo succursu* nuncupata finem sibi praestituit auxilia temporalia et spiritualia conferendi ecclesiasticis infirmis.

Haec societas componitur sociis triplicis ordinis, nempe sociis tantum contribuentibus, Praefectis, et Praeside.

Quisque socius praeter quamdam contributionem solvendam in societatis ingressu, singulis mensibus contribuii obolos 20.

Praefecti ii sunt qui in singulis dioecesis urbibus aut oppidis constituti contributiones colligunt. Praeses et societatis Protector est Ordinarius.

Integra societas consuetum generalem conventum habet singulis annis secunda Augusti hebdomada statuta die in dioecesano Kalendario: conventus insuper extraordinarios habet, quoties opus

sit iuxta Episcopi iudicium. Quidquid autem hisce generalibus comitiis statuitur vim legis non habet, nisi Praesidis adprobatio accedat.

Sed in hac societate adest insuper quaedam sic dicta ***Commissio directiva et administrativa,*** quae componitur Directore, sub-Directore, Secretario et Praefecto et visitatoribus infirmorum, qui omnes in generalibus comitiis eliguntur. Hi peculiarem conventum habent singulis mensibus, et petitiones subsidiorum examinant administrationemque habent.

Iuxta societatis statuta ab Episcopo adprobata in art. 15 dicta Commissio hac potestate fuit donata, scilicet ***interpretandi prudenter Statjita in eventibus non praevisis et tantum provisorie, ut inde certior reddatur generalis conventus et adprobationem habeat, qua obtenta, interpretatio vim legis habebit.***

Haec pia societas anno 1864 aliquam subiit perturbationem: namque coadunato generali conventu Vicario Capitulari Praeside, die 12 Octobris, nonnulli socii postularunt, ut nova crearetur Commissio ad quosdam reformandus articulos, ac illum praesertim, quo statutum fuerat: ***in casu solutionis societatis Ordinarius pro tempore, Cathedralis Praepositus et Parochorum Prior, possessionem omnium proventuum accipient, Administratorem nominabunt, diribendo omnes proventus Sacerdotibus senioribus et infirmis pauperioribus.*** Ad has regularum informationes ea ratione moti dicebantur, ne rapax civile gubernium manus apponeret proventibus societatis: et reapse civilis magistratus ter petiit ut certior redderetur de natura et statu eiusdem societatis.

Hac itaque perturbatione orta, socii minus accurate contributiones persolvebat: Commissio autem die 20 Martii 1866 constituit, ut contributiones non amplius fierent in manibus cuiusque Praefecti, sed deferrentur omnes generali Thesaurario; constituit etiam spatium unius anni, ut contributiones suspensas solverent, ita ut, hoc tempore statuto praeterlapso, socii, sine alia admonitione, ex albo societatis delerentur. Haec dispositio causa fuit dissentionis; ea tamen exsecutioni mandata, altera successit dispositio, qua scilicet socii illi, qui permanserunt, cum peterent novam instaurationem societatis praesentibus adiunctis magis accomodatami, ac interim collati redditus sibi restituerentur; huic petitioni Commissio annuit, restituens his sociis suas ratas portiones.

Admotis querimoniis a sociis, qui ex albo fuerant expuncti penes Vicarium Capitularem, hic Commissioni intimavit, ut rationem redderet eorum omnium quae gesserat : Commissio tamen preces ad S. C. Epis, et Reg. convertit, contendens id omne iure fecisse, praesertim vi articuli 15 superius ex posi ti. Quare servatis servandis, sequens propositum fuit

Dubium.

c An et quomodo providendum sit in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Epis, et Reg. cognita quaestione die 6 Martii 1868, respondere censuit : ***Affirmative et declarandum esse non sustineri dispositiones factas a'Commissione; et Ordinarius hac vice procedat provisorio modo ad nominationem ad annum novae Commissionis ; et scribatur Vicario Capitulari ad mentem.***

Ex **QuiRus** COLLIGES:

I. Pias societates dirigendas esse iuxta propria cuiusque statuta.

II. Si dissensiones in his piis societatibus exurgant eas esse ab Ordinario componendas (1).

III. In praesenti casu Commissionem excessisse facultatis limites eidem a statutis praefinitas.

SUPER EPISCOPI DECRETO.

Die 7 Februarii 1868.

Compendium facti. In urbe N. in Gallia duae reperiuntur paroeciae titulares, paroecia A. et paroecia B. quarum prior paroecianos enumerat 4500; altera vero 1500. Haec secunda, quae in medio civitatis extat, pervetustam possidet imaginem B. V. M. quam fideles ab antiquo speciali ratione veneramur: habet etiam

(1) In praesenti pia societate per accidens idem Ordinarius erat praeses: at vero etsi talis non fuisset, iure proprio od res componendas interesse debuisset, De qua re confer Appendicem , quam scripsimus in *Fol. II. pag.* **369.**

piam puellarum congregationem. Pariter in paroecia A. extat pia congregatio mulierum, et alia adolescentium.

Harum trium congregationum sodales ad unam vel alteram paroeciam sine ulla distinctione pertinebant; cum autem dissentiones exortae essent inter paroecianos utriusque paroeciae, Episcopus, consilio prudentis viri, ut eas sedaret, die 15 Iulii 1855 sequens emisit decretum: « Utraque paroecia suam habeat ad-
» ministrationem et ordinem distinctum et divisum : congrega-
» tiones supprimantur : eaedem congregationes , quas possunt
» Parochi iterum instituere, non componantur, nisi illis perso-
» nis, quae in unaquaque cuiusque paroecia domicilium habent. »

Parochus A. statim obedit; non ita Parochus B., unde dissentiones magis exarserunt. Mortuo interea eodem Parocho B. alter, qui eidem successit non diversimode se gessit: et pedetentim prior scintilla in incendium excrevit.

Novus hic Parochus B. ad S. Congregationem Epis, et Reg. preces admovit contra Episcopi decretum: quare servatis servandis, propositum fuit dubium quod infra ponimus.

Constabat in facto usum in Gallia, saltem in pluribus dioecesibus, invaluisse, ut huiusmodi congregationes, quae in quavis paroecia erigi solent, non componantur nisi ex propriis cuiusque paroecianis: et eiusmodi pias congregationes eius indolis esse, quae comparari non possint cum ecclesiasticis sodalitiis quae sine distinctione paroeciarum sodales libere cooptant: sed esse quasdam pias congregationes, quae ideo constituuntur, ut Parochus tamquam earum superior eas dirigat, ut opportunius consulat suorum paroecianorum pietati virtutumque exercitio.

Dubium*

« An et quomodo providendum sit in casu. »

RESPONSIO. — S. Congregatio die 7 Februarii 1868 respondere censuit: *Servetur Decretum diei* 15 *Iulii* 1855; *et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES:

Pias congregationes, quae ad fovendam fidelium pietatem per quam utiliter instituuntur, prudentibus Episcopi dispositionibus subesse debere.

Die 2 Augusti 1867.

Compendium facti. Familia N. vineam quamdam possidet, quae onere gravatur solvendi singulis annis canonem scut. 4: 80 favore laicalis Cappellaniae B. iurispatronatus laicalis cuiusdam nobilissimae familiae. Cum autem ignoraretur .quam partem **vir** neae eiusmodi canon gravaret, cumque alii iam essent canones, quibus pariter antea eadem vinea gravabatur, et quibus, debitis conditionibus servatis, liberata est; accedente insuper transitu viae ferreae, quae eamdem vineam intersecuit, ut quaevis quaestio submoveatur, petiit ut, exhibita summa pro unica viae scut. 160, ab hoc canone liberaretur:

Exhibitae preces S. Congregationi Episc, et Reg. pro venia obtinenda, remissae de more fuerunt Ordinario pro informatione et voto iis auditis quorum id interesset.

Interpellatus est itaque ab Ordinario Patronus, qui petitioni refragatus omnino est: et inter caeteras rationes hic inquiebat, Familiam N. affrancationem non posse exigere, quae fortasse exigere tantum potuisset ut determinaretur quam vineae partem canon gravaret: eamdem teneri solvere laudemia quaedam non soluta ob dominii utilis transitus iuxta naturam emphyteutici contractus: meliorem esse conditionem Cappellaniae hoc canone servato, qui si fuisset antea redemptus fortasse redditus iam deperditi essent : quod si nihilominus, se refragante, canonis redemptio decernatur , eum redimi non posse, nisi solutis plus quam scut. 200, habita scilicet ratione scut. 2 pro singulis centenis.

Regerebat e contra familia N., se id non petere ex iustitia, sed ex aequitate, et principium invocabat : *quod tibi non nocet et alteri prodest, hoc faciendum est.* Eo vel magis quod dicta canonis affranca ti o Cappellaniae non solum non noceret, sed quammaxime prodesset: et quaestiones evitarentur in determinanda dicta vineae parte.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Animadvertebatur ex officio, quamvis Concilium Tridentinum prohibuerit Patronis, ne sese

immiscèrent in administratione rerum beneficialem, nihilominus Auctores docere eos se posse apponere in contractibus, qui sibi laesivi videantur; ita tamen lit eorum oppositio tanti facienda sit, quanti rationes quae adducantur.

Affrancationem non aliud esse quam venditionem directi dominii si de fundo emphyteutico agatur, vel iuris in re si de simplici onere fundo imposito : ad eam perficiendam , si de bonis ecclesiasticis agatur , necessarium esse Apostolicum Beneplacitum, quod non conceditur nisi utilitas evidens aut necessitas pateat : quod si praesens Cappellania sit laicalis, ita ut bona eiusdem laicalia appellanda sint, necessariam pariter esse S. Congregationis faeultatem ut affrançatio seu proposita alienatio legitime fiat; namque etiam quoad bona laicalis Cappellaniae, cum eorumdem dominium non resideat nec in Cappellano, qui est potius usufructuario, nec in Patrono, qui nec administrator est, necessariam esse facultatem S. Congregationis, quae tutrix universalis est piorum legatorum: proindeque totam quaestionem in praesentia reduci, an in dicta aifrancatione facienda adsit necessitas vel evidens Cappellaniae utilitas. Cum autem non agatur de *necessaria* aifrancatione, sed de *voluntaria,* iudicio Emorum Patrum esse remissum , qua proportione ea sit facienda.

Quoad laudemia vero solvenda recolebatur principium: *sine emphyteusi laudemium non debetur: et* ideo in Cappellanum incumbere onus ostendendi titulum emphyteuticum, quem tamen titulum incertum in facto fuisse ab anno 1591.

Dubiam.

« An et quomodo annuendum sit petitae aifrancationi in casu. »

RESPONSIO. — S . Congregatio Episc, et Reg. re cognita die 2 Augusti 1867 respondere censuit : *Affirmative, aucto pretio ad scutata biscentum ad effectum èa investiendi; et ad mentem.* Mens S. Congregationis fuit, ut Ordinarius rationem haberet augmenti reddituum ut Cappellanus in onera Cappellaniae inhaerentia implenda diligentius incumberet, adiecta clausula, *et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

L Quamvis Patroni sese immiscere non possint in administratione rerum Beneficii: tamen convenire, ut in earumdem alienatione audiantur.

II. Neque interesse, an agatur de bonis ecclesiasticis, vel potius laicalibus, quae relicta semel ecclesiae fuerint ad causam piam.

III. Eorumdem Patronorum dissensus habendam non esse rationem , si causae canonicae pro alienatione facienda militare videantur.

IV. Denique colliges expedire ecclesiae, ut canones illi congrue redimantur, quorum iuridica natura ignoretur, neque partes fundi cognoscantur quae favore ecclesiae canone graventur.

U AUDIENTIA SANCTISSIMI.

GENERALIS INDULGENTIARUM CONCESSIO AD INFRASCRIPTAM 1ACULATOR1AM.

Die 29 Februarii 1868.

SUPPLICES PRECES.

BEATISSIME PATER — « Cum multae piae animae sibi proposuerint speciali cultu venerari Sacratissimum Cor Domini Nostri Iesu Christi in Eucharistia delitescentis, eique impensiora tribuere obsequia ibi praesertim, ubi non eo, quo par est, amore ac studio colitur aut etiam derelinquitur et negligitur, idque perficere consueverint per iaculatoriam precem - *Loué, adoré, aimé et. remercié soit à tous les moments le Cœur Eucharistique de Jésus dans tous les tabernacles du monde, jusqu'à la consommation des siècles. Ainsi soit-il* (1); vehementer optant, orationem

(l) Gallica ea verba sic latine sonant: «Laudatum, adoratum, amatum cum grati animi affectu sit Eucharisticum Cor Iesu singulis temporis momentis in omnibus Orbis tabernaculis usque ad consummationem saeculorum. Amen. »

istam aliqua indulgentia ditari a Sanctitate Vestra, qua facilius vulgata, et frequentius usurpata a fidelibus incuriam aliorum aliquo modo reparari valeat. Isti autem desiderio cum suffragentur ex animo Franciscus Alexander Boullet de la Bouillerie Episcopus Garcasioneusis, Gaspar Mermillód Episcopus Hebronensis auxiliaris Genevensis, et Henricus Amanton Archiepiscopus Theodosiopolitanus; Sanctitatem Vestram obsequenter exorant, ut piis hisce votis obsecundare velit. »

Die 29 *Februarii* 1868.

a Postulationi benigne annuentes, concedimus Christifidelibus qui suprascriptam iaculatoriam precem, corde saltem contrito, et pie recitaverint, indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam; quae per modum etiam suffragii animabus purgatorio carcere detentis applicari possit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.»

PIUS PP. IX.

« Huius Rescripti exemplar authenticum exhibitum fuit in Secretaria S. C. Indulgentiarum in eadem asservandum iuxta Decretum diei 14 Aprilis 1868. »

Ph. Can. Cossa Substit.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

EMINENTISSIMORUM S. R.E. CARDINALIUM CREATIO.

Die 3 et 16 Martii 1S68.

Sanctissimus Dominus noster Pius IX. Papa die XIII. Martii in Aedibus Vaticanis habuit mane Consistorium secretum, in quo Emus et Rmus D. Cardinalis De Reisach, uti Camerarius Sacri Collegii, tradidit «Sanctissimo Patri *Bursam,* quam idem Pontifex Emo et Rmo D. Cardinali Barnabò, qui illi in hoc fungendo munere succedit, remisit.

Dein Emus et Rmus D. Cardinalis AntoneUi optavit Diaconiam S. Mariae in Via Lata, retenta *Commendae* loco Diaconia S. Agathae ad Suburram.

Demum idem Sanctissimus Pater post brevem allocutionem creavit Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales

Ordinis Presbyterorum

Praesulem Lucianum Principem Bonaparte, Protonotarium Apostolicum, natum Romae die xv. Novembris anno MDCCCXXVIII.

Praesulem Innocentium Ferrieri Archiepiscopum Siden. Nuntium Apostolicum apud Fidelissimum Regem, natum Fani die xiv. Septembris anno M.DCCC.X.

Praesulem Eustachium Gonella Archiepiscopum Viterbien. et Tuscanen. natum Augustae Taurinorum die xx. Septembris anno M.DCCCXI.

Praesulem Laurentium Barili Archiepiscopum Tyanen. Nuntium Apostolicum apud Hispaniarum Reginam, natum Anconae die i. Decembris anno M.DCCC.I.

Praesulem Iosephum Berardi Archiepiscopum Nicen. Substitutum Secretariae Status et Secretariae Cyphrae, natum Ceccani, in Dioecesi Ferentin. die XXVIII. Septembris anno M.DCCC.X.

Praesulem Ioannem Ignatium Moreno, Archiepiscopum Vallisoletan. natum Guatimalae die XXIV. Novembris anno M.DCCC.XVH.

Praesulem Raphaelem Monaco La valletta, Adsessorem S. Rom. et Universalis Inquisitionis Teatin. natum Aquilae die XXIII. Februarii anno M.ucee.XXVII.

Ordinis Diacononm.

Praesulem Eduardum Borromeo *Maiorem Domus* Romani Pontificis natum Mediolani die III. Augusti M.nece.XXII.

Praesulem Hannibalem Capalti, a Secretis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide; natum Romae die xi. Ianuarii anno M.DCCCXI.

Die autem xvi. Martii habuit in Aedibus Vaticanis publicum consistorium ut Petaso, quod est Cardinalitiae dignitatis insigne, donaret Emos ac Rmos DD. Cardinales Lucianum Bonaparte, Eustachium Gonella, iosephum Berardi, Raphaelem Monaco Lavalletta, Eduardum Borromaeum et Hannibalem Capalti, creatos et publicatus in Consistorio secreto habito die xiii. eiusdem mensis.

Ergo cum Beatissimus Pater una cum nobili suo comitatu in aulam a Paramentis nuncupatam descendisset, quo iam convenerant Emi et Rmi DD. Cardinales, Illmi et Rmi Praesules Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, tum etiam Collegia An-

tistitum, Excmus Romanus Senatus, tum denique ii omnes qui publico Consistorio solent interesse, sacris vestibus indutus est, ac dein sella gestatoria inter flabella vectus, iisdemque stipatus viris, in Aulam Regiam delatus est, ubi sacro ritui initium fecit.

Postquam Sanctissimus Pater ab Emis et Rmis DD. Cardinalibus obedientiae significationem excepit, novi Purpurati Patres coram Emis et Rmis DD. Cardinalibus ordinum principibus, Pro-Cancellario S. R. E. et Sacri Collegii Camerario, iuramento iuxta Apostolicas Constitutiones nuncupato, ab DD. Cardinalibus Diaconis in aulam consistorialem deducti sunt, et ante Pontificis thronum constituti pedem ac manum sunt osculati; ac demum amplexu ab Eodem et a collegis suscepto ad locum sibi debitum occupañdum sunt deducti. Postremo ad pontificium thronum reversi, petasum, Cardinalitiae dignitatis insigne, a Beatissimo Patre susceperunt.

In eodem Consistorio I). Philippus Halli, causidicus consistorialis, tertio atque ultimo causam Beatificationis perora vit Ven. Mariae Rivier Fundatricis Sororum a Praesentatione. Post perorationem Praesul Promotoris[1] Fidei consuetam Protestationem emisit, cui Sanctissimus Pater respondit: ***Ad Sacram Rituum Congregationem ut videat et referat.***

Tum Sacrum Collegium una cum Cardinalibus recens creatis ac caeteris viris quorum nuper mentionem fecimus aulam Paramentorum adiere, ibique constiterunt donec Sanctissimus Pater sacris vestibus depositis, in suas Aedes una cum nobili suo comitatu est reversus. Interim soli Emi DD. Cardinales in Sistinam Aedem bini rite se contulerunt hymni Ambrosiani cantum pergentes; quem Cappellae pontificiae cantores vix Sanctus Pater e Sella gestatoria descenderat voce praeeuntes canere incoeperant: eoque absoluto Emus et Rmus Cardinalis Decanus preces ibidem ***super creatos Cardinales*** pronunciavit: egressuri denique e Sistina Aede novi Purpurati Patres amplexum ab suis collegis iterum suscipere.

Huic solemni ritui interfuerunt praeter reliquos Franciscus II. utriusque Siciliae Rex, ac pleraque membra corporis, quod aiunt, diplomatici, ad agenda cum S. Sede externorum Principum negotia Romae constituti, multique alii viri nobilitate praestantes.

In utroque Consistorio multae vacantes Ecclesiae donatae sunt Pastore, de quibus in alio fasciculo notitiam dabimus.

APPENDIX IX.

S. R. ET U. INQUISITIONIS INSTRUCTIO AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS CIRCA OBSERVANTIAM CONSTITUTIONIS s. M. BENEDICTI xiv. QUAE INCIPIT: *Sacramentum Poenitentiae.*

Nota. **Quamvis rationes nobis non suppetant dubitandi de authenticitate sequentis documenti, admonemus tamen Lectorem, hoc nos non desumpsisse ex authentico fonte iuxta ea, quae alias adnotavimus i»** *Vol.* **II.** *pag.* **657.**

« Quae Supremus Pontifex gì. mem. Benedictus XIV. in Constitutione die 1 Iunii anno 1741 edita, cuius initium est *Sacramentum poenitentiae,* confirmavit ac decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita reducuntur, in primis, quemadmodum iam antea sancitum fuerat praesertim a Gregorio XV. Constitutione quae sub die 30 Augusti anno 1622 data incipit *Universi,* omnes locorum Ordinarii aeque ac Inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in Confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes Sacerdotes ad audiendas sacras Confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi quamprimum poterunt Inquisitores aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea tertio loco Apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis arliculo, eorum casus qui iunoxios Sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique Sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio ad sacramentales Confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter Sacerdos desit, qui Confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat (1). Et Apostolicae Sedi reservatur eorum Confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

«Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV. et Benedicti XIV. Constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio,

(1) Const. eiusdem S. P. Bened. XIX. *Apostolici muneris* die 8 Februarii 1745.

ad haue usque diem confirmatum est. Et re quidem vera Vicario Apostolico Cocincinae sciscitanti. *I. An Constitutio Benedicti XIV. adversus sollicitantes obliget eliam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina?* 2. *An eadem Constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam Confessariorum penuriam, in eodem regno Cocincinae?* iussu Pii VI. anno 1775 opportuna Instructione responsum fuit: *ad* 1. *qßrmalive: ad* 2. *negative.* Et proxime SSmus D. N. Pius Papa IX. decreto huius supremae Inquisitiouis suh feria IV. die 27 Iunii anno 1866 edixit, *in facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV. quae incipit: Sacramentum poenitentiae.* Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit.

» Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum summopere est, ne eorum vigor, quae in praedicta Constitutione salubriter pro videntur, paulatim uspiam elangueat. At Emi PP. Cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverunt, eamdem Constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque iu aliquibus locis nonnullos tum in denunciationis onere adimplendo tum in, iudicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse abusus, qui sine iustitiae ac providae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore iudicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem instructionem edi mandarunt.

» 1. Personae sive mares sive foeminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in Confessione vel occasione aut praetextu Confessionis, quemadmodum enucleate in memorata Constitutione praecipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

» 2. Denunciare oportet quemcumque Sacerdotem etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in Confessione vel etiam poenitentis sollicitatio™ consentientem quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non praebentem absolutionem poenitenti (1)

» 3. Huiusmodi denunciationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent, admoneri, neque ab iis ad-

ii) Ex declar. diei il Februarii 1661 confirmata in Constitut. *Sacrosanctum poenitentiae.*

monendis instriiendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas Confessiones constituti, qui de bac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri (i),

» 5. Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi: qui vera ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent áerioque promittunt, possunt absolvi.

» 6. Denunciationes auonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denunciationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento et cum expressione et subscriptione sui nominis, nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris (2). Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denunciationibus praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata Episcopi deputatione munitum , testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu quantumvis sponte manifestato nihil notetur in tabulis (3).

»7. Denunciationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium vel Sanctam Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc supremam inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta Instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui Confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis laudandus est Confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel 'Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providendis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli *t.* 1 *consult.* 104, Carena, Albitius etc.

» 8. Non infrequenter occurrit casus, ut Confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique haec potestas est) deputetur ad denunciationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante absque interventu notarii. Huic Instructioni folium adiicitur circa mo-

jí) Ex declar. sub diebus 20 Martii 1624 , l Octobris 1626 penes Albit. *De inconstantia in fide cap.* **35** *n.* 17.

(2) Albit. *loc. cit. n.* **21:**

(3) Ex declar. Urbani VIII. sub fer. V. die **17** Aprilis **1624.**

dum, quo bisce in casibus confici denunciatio debet. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denunciationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad ipsum Episcopum a quo fuerunt deputati caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud ififficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat quod pro missionibus Pernambuci in America die 22 Ianuarii an. 1627 declaratum fuit: *Mulieres* videlicet *sollieitatas non teneri ad denunciationem si ministri Inquisitionis et vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant.*

» 9. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim iudiciaria forma superius enunciata examinandae sunt: et primo per *generalia*, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad *particularia* devenieodo interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

» 10. Accepta denunciatione non illico proceditur, sed a Superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuncians sit fide digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secreto perpendatur; hinc privilegium est, ut in causis, quae contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis summorum Pontificum Constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumptiones, iudicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et antequam contra denunciatum procedatur perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel vini denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim, ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit (1).

» 11. Ea est huius supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus *observetur,* ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi

(i) Ex instruct, iussu Pii VI. anno 1775 ad Vicar. Apost. Cocincinae data.

a tertia denuntiatione procedi solet. Ad formale examen vocantur Parochi vel probatae fidei spectataeque virtutis viri praesertim ecclesiastici, qui cum iuramento de veritate dicenda et de secreto servando super qu ali tatib us denuncianti um et denunciati, et super mutuis eorum odiis et-inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis, reus in iudicium adducitur, et coram iudice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat super singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis, iuramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur.

» 12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad' defensionem , prout iura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdiceudum in perpetuum ne Confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa Sancta Sede impertitas. Huiusmodi sententiam Episcopus ipse et non alius ab eo delegatus proferat; et pro modo culpae, atque omnibus attentis circumstantiis caeteras quoque poenas reo irroget quae in supradictis pontificiis constitutionibus decernuntur. Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, haeresis suspicione : et hac quoque poena in ipsa sententia mulcetur. Notandum est, poenas huiusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV. die 5 Augusti ann. 1745 praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae*. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV. statutum fuit : ceterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur (1).

» 13. Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientia victi, Ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus , adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris Confessionibus se abstineant: nec ceteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denunciationibus, afficiantur. Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; et ii pariter, quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denun-

(l) **Albit.** *op. cit. cap.* **15** *n.* **13, et Benedict. XIV. in privata epistola die 11 Novembr, anno 1718 data ad Emmanuelem de Azevedo S. 1. Presbyterum.**

ciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

» 14. Quod in hisce causis vel ex commissione Apostolica vel ex iure Episcoporum proprio tractandis maiorem in modum curari et observari debet, illud est, ut eaedem causae utpote ad fidem attinentes secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est cap. *Statuta* fin. de haeret, in 6, et in Clementina *multorum §. Porro* de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et, actu expleto, de secreto servando, lactis, sacrosanctis Dei evangeliis, etiamsi sint Sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute, sancteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

» 15. Indultum fuit a Pio VI. in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775 ad "Vicarium Apostolicum Cocincinae data, ut cum difficillimum sit in illis tamdissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt; et cum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine iudiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra «iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii Apostolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicae Sedis auctoritate iure posse ubivis induci.

» 16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam , confecto processu , in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in Confessione gravioribus involvatur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quae peculiares instructiones singulis casibus accomodatas , ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam , si expediens fuerit, ipsa proferet.

» Haec sunt quae ad praedictam pontificiam Constitutionem caute recteque exequendam conducunt,quae-

que, utpote ubique locorum observatu facilia, Sacra haec Congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastorali Ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

» Datum Romae die 20 Februarii an. 1867. »

MODUS

QUO RECIPI DEBENT DENUNCIATIONES IN RE AD SOLLICITATIONEM SPECTANTE AB IIS, QUI AD DENUNCIATIONEM ALIQUAM ABSQUE INTERVENTU NOTARII RECIPIENDAM DELEGANTUR.

Die Mensis Anni

Sponte personaliter comparuit coram me infrascripto sistente in *(notabit locum, ubi reperitur ad actum recipiendum)* ad hunc actum tantum ab Illmo et Rmo N. specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii uteris mihi directis et datis sub, die *(exprimet quo die ipsi scriptae fuerint liierae)* praesenti positioni alligandis, N. N. *(scribet nomen, cognomen, patrem, patriam, aetatem, conditionem et habitationem personae denunciantis ; et si haec religiosa fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur)* cui delato iurameuto veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis *(quae manu tangere faciei)* exposuit prout infra, videlicet:

Hic persona denu ncianer nac ulo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu notarii , quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem Rmo Antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices et singula adiuncta, nec non utrum in actu Confessionis an prius vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet Confessionalem sedem et ipsum Confessarium sollicitantem, et quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret, aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandum personam denunciantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit mi recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce exscriptis prout narrantur, delegatus, quae sequuntur, neque aliud praeterea quidpiam requiret.

Interrogata: An sciat, vel dici audierit, dictum N. N. *(nominando personam)* Confessarium sollicitasse

alias poenitentes ad turpia? et quatenus etc.

Respondit: *{Notabitresponsionem, et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiae.)*

Interrogata: De fama supradicti Confessarii N. N. tam apud se, quam apud alios? et quatenus etc.

Respondit: *(Responsionem exscribet).*

Interrogata: An odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia , aliisque generalibus etc. et quatenus etc.

Respondit: Recte *(si ad propriam conscientiam exonerandam denunciasse se dicet). Si a sollicitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda:*

Interrogata: Cur tamdiu distulerit praefata denunciare proprio Ordinario , et conscientiam suam exonerare?

Respondit : *(Notabit responsionem].*

Actus claudatur hac ratione.

Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (vel dimissa) fuit iuratus (vel iurata) de silentio servaudo ad novum tactumSS.Dei Evangeliorum: *(super Evangelium iterum iurabit)* et in confirmationem praemissorum se subscripsit *(et si scribere nesciat)* et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis *(Crucis signum calamo faciendum ab ea exiget).*

Postquam denuncians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:

Acta sunt haec per me N.N. ab Illmo et Rmo Antistite N . N . ut supra specialiter delegatum.

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittet una cum Instructione et Uteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo.

APPENDIX X.

CIRCA AMOVIRILITATEM CLERICORUM AB OFFICIIS IN ECCLESIA CONSTITUTIS, QUIBUS SINT PRAEPOSITI.

Capta occasione Causae quae in fronte huius fasciculi prostat , nonnulla disquirimus circa amovibilitatem eorum Clericorum qui statutis in ecclesia officiis deputati sunt et *amovibiles* dicuntur sive simpliciter sive *ad nutum vel beneplacitum.*

Variae sunt Auctorum sententiae circa indolem huius amovibilitatis; quae quidem sententiae ad duas supremas classes facile possunt referri : nempe ad sententiam eorum , qui docent eiusmodi Clericos amovibiles amoveri non posse sine rationabili causa , etsi

non requiratur causa canonice praefinita et canonica forma: et ad sententiam eorum, qui docent causam non esse necessariam.

Quamvis autem eiusmodi quaestiones in abstracto consideratae non possint resolvi pro omnibus qui contingant casibus; nihilominus sub generali aliquo respectu ita considerari possunt, ut inde eruantur generalia criteria quibus dictae quaestiones in praxi facilius resolvatur.

Amovibilitas Clericorum a determinatis in ecclesia officiis duplici sensu accipi potest; *absolute* videlicet vel *relative*. Absolute intelligitur, quando subiectum quod amovibile dicitur amoveri possit pro libito et arbitrio ita, ut stet pro ratione voluntas; relative, quando subiectum ideo dicitur amovibile, quia non est certis statutisque legibus alligatum ob quas amoveri non possit nisi sub aliqua conditione et forma a legibus praescripta.

Contendimus autem, inspecta generatim canonica Ecclesiae disciplina, aoiovibilitatem intelligendam esse non absolute, sed relative: ex qua determinatione generalis solutio quaestionis pendet.

In comperto est a primis Ecclesiae saeculis, aucto christiano populo, varia fuisse constituta determinataque officia a Clericis obeunda ariosque dignitatis gradus, quos ipsi consequerentur: haec officia seu ecclesiastica ministeria arctissime colligata erant cum sacra Clericorum Ordinatione ita, ut non raro, diceretur etiam Sacerdotio privati, qui meriti essent a ministerio ecclesiastico removeri: aut etiam irrita eorum Ordinatio diceretur, quae cum officio in Ecclesia obeundo non esset coniuncta: expedit hac in re referre verba Concilii Chalcedonensis *can.* 6. « *Nullum absolute ordinari debere Presbyterum aut Diaconum nec quemlibet in gradu ecclesiastico nisi specialiter ecclesiae civitatis, aut possessionis, aut martyrii, aut monasterii qui ordinandus est pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur decrevit Sancta Synodus irritam haberi eiusmodi manus impositionem et nunquam posse ministrare ad Ordinantis iniuriam.* Et hac in re pulchra fuit sententia Cyrilli Alexandrini in *epistola ad Damnum.* Exturbatus fuerat quidem senex Episcopus e sua episcopali Sede: nihilominus illi qui eum iudiciali sententia deposuerant, eumdem vocabant ex quadam commiseratione *Episcopum* apprime pium et religiosum: Cyrillus ad Domnum rescribens, haec ait: « *erat autem consentaneum, ut vel Sacerdotii, nomen cum re haberet, vel si non erat dignus ut altari praeesset, nec ipsa quidem Episcopatus vocatione dignus haberetur.* »

Per sacram Ordinationem Clerici mancipabantur ita ecclesiae, ut facultas sibi non esset a statu militiae ecclesiasticae recedendi: de qua re sic sanxit Conc. Chalcedonense *can.* 7. « *Qui semel in Clero deputati sunt, aut Monachorum vitam*

expetiverat, statuimus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes et non agentes poenitentiam, quominus redeant ad hòc quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari (1). »

Et eiusmodi mancipatio, non erat quidem quaedam abstracta coniunctio Clerici cum ecclesia universim spectata; sed cum ecclesia in qua Clericus fuisset ordinatus, cui ratione sacri Ordinis inservire perpetuo obligabatur: in qua re recolendae sunt epistolae s. Leonis Magni: nominatim vero *epist. 1.* ad Aquileiensem Episcopum ita scripsit: « *Illam quoque partem ecclesiasticae disciplinae, qua olim a sanctis Patribus et a nobis saepe decretum est, ut nec in Presbyteratus gradu nec in Diaconatus ordine, nec in subsequenti officio Clericorum ab ecclesia ad ecclesiam cuique transire sit liberum, ut in integrum revoces admonemus: ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est, perseveret; ita ut si quis sua quaerens, nec quae lesti Christi, ad plebem et ecclesiam suant redire neglexerit et ab honoris privilegio et a communionis vinculo habeatur extraneus.* »

Item in *epist. VIII.* ad Episcopos Illyrici idem Pontifex scripsit: « *Illud quoque pari observantia ad sacerdotalis concordiae vinculum ab omnibus volumus custodiri, ut nullus Episcopus alterius Episcopi Clericum sibi audeat vindicare sine illius ad quem pertinet cessione, quam tamen evidentia scripta contineant: quoniam hoc et canonum definivit auctoritas, et ipsa servandae unitatis ratio docet, ne omnis ordo ecclesiasticus per hanc licentiam efficiatur instabilis.* »

Sed fortasse aliquis dicet, in adductis testimoniis agi de disciplinae ecclesiasticae cardine, qui si id praesertim temporis non fuisset apprime servatus, tota corruisset firmitas disciplinae: cui respondemus: firmitatem cardinis totam informare disciplinam, ita ut, proportione servata, eadem firmitas ad minima quoque protendatur: et vicissim, iis quae minima videantur pro libito neglectis, etiam disciplinae cardines tandem infirmari (2).

(1) **Iu hisce et sequentibus referendis documentis utimur accuratissimis et recentissimis editionibus tum Emi Card. I.** *B.* **Pitra** *t. i Iuris ecclesiastici Graecorum Historia et monumenta iussu Pii IX. P. M. etc.* **tum Bullario Romano Augustae Taurinorum edito** *Appendix prima Fol. I.*

(2) **Hac in re expedit referre epistolam** VIII. **eiusdem Pontificis ad Episcopum Dorum, quem acriter redarguit, quod Epicarium caeteris consecrandis anteposuerit et duobus consentientibus Presbyteris in ordine Presbyterii praeposuerit. Sequentia sunt verba sancti Leonis in re, quae prima fronte videri posset minoris momenti.**

« Dilectissimo Fratri Doro.» « Iudicium quod de te sperabamus, dolemus esse frustratum, quando ea te commisisse perspicimus, quae omnem ecclesiasticae sanctionis regulam culpabili novitate foedarent: cum plenissime noveris quanta solii-

Quamvis autem Clerici per s. Ordinationem devinciantur perpetuo alicui ecclesiae : nihilominus , cum ecclesia ordinalissima sit societas, plures causae constitutae sunt ob quas iidem Clerici tamquam ordine clericali indigni amoveri deponique possent. Eae tamen causae, non quidem ex arbitrio, sed pro temporis locorumque adiunctis determinatae ab Ecclesia fuerunt, partim ex apostolica consuetudine , partim ex determinatione facta in synodis sive oecumenicis, sive provincialibus : quae quidem causae rite discuti probarique debuissent, ut Clerici tanta plecterentur poena.

Haec quidem eo tempore vigebant, quo nota perspectaqüe erant Clericorum *Officia;* non tamen nota erant *Beneficia.* Namque primis Ecclesiae saeculis, administrante Episcopo oblationes fidelium et res ecclesiasticas,pro ventus singulis Clericis per Presbyteros aut Diaconos diribebantur pro officiorum dignita-

citudine per omnes Domini ecclesias patemorum velimus canonum praecepta servari, et hanc maxime curam ad Sacerdotes *(scilicet Episcopos gui sacerdotii obtinent plenitudinem, quibus proprie iuxta vetera .documenta hoc Sacerdotis nomen simpliciter competit)* **universarum plebium pertinere, ut sanctarum constitutionum regulae nullis corrumpantur excessivus. Uude miramur, te, quem auctoritatum Apostolicae Sedis observantissimum esse convenerat, tam negligenter ac potius in. solente? egisse, ut traditarum legum non custos, sed transgressor existeres. Libello enim Paulli Presbyteri t»i,.qui in subditis habetur, cognovimus, apud te novo ambitu foedoque colludio Presbyterii ordinem fuisse turbatum ita, ut unius festina et immatura provectio, quaedam eorum deiectio facta sit, quorum honorem aetas commendabat, et nulla culpa minuebat. Quod si ambientis intentio aut imperita faventium studia, id quod nunquam habuit consuetudo poseebant, ut incipiens emeritis, et novellus praeferatur antiquis, tuae fuerat industriae atqu« doctrinae, ut iniusta petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes.... .**

» Si vero, ut asseritur, primi secundique Presbyteri circa Epicarium sibimet praeponendum tanta huic assentano fuit, ut illum cum sui dedecore poscerent bonorari, ne hoc quidem illis proprio se iudicio deiicientibus, tribui debuit quod volebant; quia tam misere voluntati dignius te inerat obviare quam cedere...

» Praedicti igitur Presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet privari etiam Sacerdotio mererentur; tamen, ut eis pro Apostolicae Sedis pietate pareatur, ultimi inter omnes ecclesiae Presbyteros habeantur: et ut iudicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet praetulere: caeteris omnibus Presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suae tempus adscripsit... Paulius vero Presbyter ordinem suum de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat, ne alterius aliquid in cuiusquam praesumatur iniuriam ; ita ut dilectio tua... hoc saltem remedio curare se properet, ut sine dilatione haec quae decernimus, tradantur effectui, ne si iterato ad nos imploratio iusta confugerit, necesse sit severius commoveri; cum his quae male sunt facta correctos, malimus redintegrare disciplinam, quam augere vindictam. Exsecutionem vero praeceptionuin nostrarum fratri et Coepiscopo nostro Iulio commisisse nos noveris, ut omnia illico, quemadmodum constituimus roborentur.»

te et sedulitate: clara hac io re est Constitutio Gelasii I. quae tradi solebat Episcopis in eorum promotione , quae refertur etiam a G-ratiano in *caus.* 12 *q.* 2: in ea haec constituta sunt ad normam veterum canonum: « *Ministeria atque ornatura ecclesiae , vel quidquid illud est in patrimonio eiusdem non minuere studeat* (Episcopus), *sed augere. De redditu vero ecclesiae vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones ; quarum unam-sibi ipse retineat alteram Clericis pro officiorum sedulitate distribuat; tertiam pauperibus et peregrinis; quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam. De quibus divino erit reddilurus iudicio rationem.* »

At sequiori aetate, facta *Beneficiorum* institutione, quamvis disciplina modos formasque mutaverit, tamen Ecclesiae spiritus quae disciplinam informat non est mutatus. Namque officiis ecclesiasticis manentibus, non aliud factum est quam eadem officia connectere cum ecclesiasticis rebus, ita ut illi, qui determinatis officiis praeficerentur, ius haberent administrandi bona iisdem connexa redditusque seu proventus percipiendi: haec autem bona vel proventus cum determinatis officiis ecclesiasticis coniuncta, Beneficia sunt appellata.

Quoniam autem per sacram Ordinationem Clerici alicui ecclesiae perpetuo addicebantur in cuius ministerium incumbere deberent, ab eaque alimenta reciperent, ita etiam, Beneficiis constitutis, perpetuo iisdem sunt addicti, ita ut nonnisi canonica causa rite probata e Beneficio deiici possent.

Sed cum ecclesiasticae disciplinae firmitas postularet, ut non sine canonica causa et canonica forma, illi, qui Beneficiis praeficerentur amoveri possent, ideo quaedam officia deinceps in ecclesia sunt constituta, vel fundationes ecclesiasticae, quae ut a generali indole disciplinae distinguerentur dictae sunt amovibiles.

Haec autem officia seu fundationes ecclesiasticae, quae in posterum sunt institutae, imaginem quidem Beneficiorum plus vel minus habent; sed vera Beneficia non sunt, quorum praecipua proprietas est, ut sint perpetua.

Ex qua generali consideratione apparet, Clericorum amovibilitatem, quae in recentioribus fundationibus frequenter auditur , suam veluti originem agnoscere ex Beneficiorum firmitate , quae quidem firmitas repetenda est a veteri disciplina, qua Clerici per adscriptionem alicui ecclesiae perpetuo in eiusdem ecclesiae servitium mancipabantur.

Quare Clericorum amovibilitatem a propriis constitutis officiis generatim consideratam, accipi non posse sensu absoluto, sed dumtaxat sensu relativo; ex quo consequitur, quamvis eos amoveri possint sine causa et forma canonice praescripta, propter indolem fundationum ab

Ecclesia admissam; tamen non posse amoveri sine honesta rationabilique causa ; quae etsi canonice, non sit praescripta, sit tamen iuxta aequitatem et indolem ss. canonum : nihil enim est a spiritu Ecclesiae tam alienum , quae ordinalissima societas est, quam arbitrium quo neque in domesticos servos uti solemus; vel levissima aliqua causa , quae cum nullitate causae facile confunditur.

Et hic videtur esse sensus S. Congregationis Concilii, ut eruitur ex nonnullis causis in ea pertractatis, quas heic satis sit indicare. In causa, *Nullius seu FarfenàieQ* Augusti 1791, agebatur de quadam Cappellata , quam, auctoritate Ordinarii interveniente, erexerunt sodales Confraternitatis, s. Sisinnii: iidem sodales nominarunt primum Cappellanum ea tantum vice inamovibilem , voluerunt autem, ut, salva praedicta prima nominatione, reliqui Cappellani essent *amovibiles ad nutum* , tam ipsorum Confratrum quam suorum in dicta sodalitate successorum pro tempore in perpetuum.

Quidam Canonicus postea rite Cappellaniam obtinuit: quem deinde Confratres removerunt ob sequentes rationes: videlicet, ob duplicem compositionem Missarum quam obtinuerat a R. Fabrica; ob duplicem reductionem earumdem a S. C. Concilii obtentam ; ob investimelitum factum quorumdam censuum sine sodalium scientia et consensu.

Deveniente causa ad S. C. C. cum appareret compositionem esse factam ad conscientiae quietem Cappellani a legitima auctoritate ; reductionem pariter rite esse factam; neque constaret dé aliquo investimento non recto gesto, proposito dubio: « an sit locus redintegralioni Oratoris in casu: » S. Congregatio respondit: *affirmative.*

Item in *Romana Suspensionis onerum.* Archihospitalis ss. Salvatoris ex pluribus legatis multa habet onera inter quae acto Cappellanias *amovibiles:* cum valde misera reddita esset eiusdem oeconomica conditio, suspensionem onerum Administratores postulabant et Cappellaniam!».

Inter caetera adnotabatur ex officio in causae folio §. *Quatenus.,* esse Auctores , qui arbitrantur libere dimitti posse Cappellanos ad nutum amovibiles, aequiori tamen sententia S. Congregationem requirere iustam et rationabilem dimissionis causam : qua deficiente non raro redintegrasse dimissos : iudicandum autem superesse, utrum subsistentia nosocomii idoneam causam suppeditaret ad removendus Cappellanos. Proposito autem dubio:

» An et quomodo sit locus suspensioni onerum in casu. « S. Congregatio respondit: *Affirmative, *'«-xta votum EMorurn Card. Urbis Vicarii et Card. Visitatoris, demptis duabus Cappellanus Bergama el SSrñi Sacramenti in oppido Fabricae, ad triennium.*

Item in *Messanen,* diei 18 Martii 1854. Ad vacantem paroecialem

ecclesiam s. Nicolai in oppido Gazzi, praevio ut ferebatur concursu, electus fuit Sacerdos Philippus titulo Cappellani-Curati ad nutum amovibilis, ut dicebat Archiepiscopus, quamvis id negaret Philippus et contenderet illud esse Beneficium paroeciale inamovibile, quod etiam nonnullas filiales ecclesias sub se contineret: post 30 annos fuit ille remotus ab Archiepiscopo, qui rogatus ut remotionis causas coram S. C. deduceret, nonnullas adduxit generica quadam ratione, quin ullum documentum exhiberet quod ostenderet culpas quibus Parochus insimulabatur: e contrario Parochus documenta deducebat, quibus se ab impactis culpis defenderet.

Archiepiscopus ad illum removendum Parochum dëvenisse visus est praesertim ob facultatem, quam sibi esse existimabat removeudi Parochum ad nutum amovibilem. Proposito itaque dubio: « An sustineatur privatio Beneficii parochialis, seu potius sit locus reintegrationi in casu: S. Congregatio respondit: » ***Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.***

Quibus adiungi potest causa ***Vicarii-curati*** superius exposita, in qua S. Congregatio respondit quidem sustineri Vicarii Capitularis decretum remotionis, sed non nisi ob expositam causam; et ex eo deducitur , quod in secunda causae propositione data fuit vice-curato optio unum vel alterum retinendi officium ; unde unice obstabat retentio duorum simul officiorum : quod fuit existimata causa idonea ad decretum sustinendum.

Haec quidem generatim : non enim negamus dari casus, in quibus sine imagine causae canonicae remotio in foro externo substineatur. Hoc enim frequentius accidit in illis officiis , quae ***aptitudine sua*** non sunt perpetua: sed consistunt in mera temporali deputatione, uti censeri solent Vicariae temporales, in quibus scilicet Clerici deputati nihil agunt nomine proprio et solent amoveri ab illis a quibus deputantur, cuius nomine agunt, quamvis etiam hoc in casu illi ipsi qui docent, eos absolute sine ulla causa amoveri posse, limitationem addant: ***dummodo absit dolus vel odium.*** At eiusmodi peculiarium quaestionum resolutio videtur potius pendere ab indole et natura cuiusque officii vel consuetudinis aliorumque adiunctorum, quam a consuetis'formulis ***amovibilitatis ad nutum, vel ad beneplacitum vel sine causa.***

EX S, COMIMUTIOI CONCILII.

ERECTIONIS FONTIS BAPTISMALIS.

Die 21 Martii 1868. *Sess. 21* **c.** *4 die Refor.*

COMPENDIUM FACTI. — In pago S. extat paroecia fonte baptismali carens, et infantes omnes eiusdem paroeciae, Baptismi suscipiendi causa, deferebatur ab immemorabili tempore ad ecclesiam cathedralem.

Patresfamilias eiusdem paroeciae postularunt a SSmo Domino Nostro gratiam erectionis sacri fontis; exposuerunt scilicet, centrum paroeciae, in qua ecclesia paroecialis condita est, tribus et amplius passuum millibus distare a dicta Cathedrali, et ob ventorum et pluviarum impetum sine gravi difficultate et periculo se non posse ad eam accedere; praesertim vero hyemali tempore, quo, ex abundantia nivium, via, quae ad illam ecclesiam duceret, impervia per multos dies non raro maneret. Praeterea cum ad ultimos paroeciae oppidanae fines plures reperirentur familiae per loca alpestria et praerupta degentes, et quatuor vel quinque passuum millia remotae, non semel accidisse affirmabant, ut infantes, qui ad Cathedralem ferebantur, mortis periculo fuerint expositi: nec adnotare omittebant, antiquitus septem tantum vel octo ad summum familiis paroeciam constitisse; nunc vero quatuor et sexaginta constare.

Denique quoad emolumenta, quae ratione Baptismatis Parochus Cathedralis perciperet, ea minima esse fatebantur, neque ex obligatione rependenda, cum unice illa penderent a baptizandorum parentum liberalitate.

Eiusmodi precibus de more ad Episcopum remissis, hic rescripsit, expositas preces veritati respondere, si excipiantur ea quae Parochi Cathedralis iura respiciant: ac praeterea ex variis rationibus supplicandum votis suffragabatur.

Capitulum pariter Cathedralis iisdem supplicantium votis adhaesit.

Verum tum Episcopus tum Capitulum animadvertebam, salvam tutamque manere debere quamdam frumenti mensuram, quam *Quartesium* appellant, tum favore mensae episcopalis, tum Capituli; quod Quartesium singulae familiae conferre quotannis eisdem debebant ratione, uti ferebatur, administrationis Baptismatis.

Denique neque Parochus Cathedralis abnuebat precibus: attamen cum incerta emolumenta ex administratione Baptismatis perciperet ab illis paroecianis, quaerebat, ut summam libellarum 500 illi conferrent, ut fructus dein paroecia Cathedralis perciperet libell, ann. 30, qui fructus, uti inquiebat, responderent incertis emolumentis, quae hactenus Parochi Cathedralis perceperunt.

Disceptatio synoptic».

Animadvertebatur *ex officio,* ecclesias paroeciales, quatenus tales, non posse iure exigere fontem baptismalem si eo careant; cum iuxta SS. Canones non omnes paroeciales ecclesiae sacro baptismali fonte sint donatae: et Trid. Concilium distinctionem inter ecclesias paroeciales et baptismales servasse, quod innuitur in *sess.* 24 cap. 13 *de Refor.* et S. C. C. in ***Urbinaten.*** die 15 Iunii 1624 censuisse: « *In omnibus ecclesiis parochialibus debere esse fontem baptismalem, nisi essent in aliquibus specialiter ecclesiis deputati fontes baptismales, qui matrices vel baptismales ecclesiae vocantur, ita ut fiat distinctio matricum ecclesiarum ab aliis curatis* » uti referunt Fagnanus in *cap. Cum contingat de Decimis n.* 59, et Nicol. *Lucubr. can. tom.* 2 *lib.* 3 *tit.* 42 *sub n.* 6.

At vero, adnotabatur, S. C. C. concurrentibus iustis legitimisque causis, quae reduci possunt ad gravem difficultatem vel magnum incommodum paroecianorum adeundi ecclesiam baptismalem, pluries censuisse locum esse erectioni fontis; nominatim autem in *Leodien. Erectionis fontis* die 7 Iunii 1692, in qua cum Capitulum cathedralis ecclesiae contenderet, fontem baptismalem haud erigi posse in parochiali ecclesia S. Nicolai *ultra Mozam,* sed omnes infantes in ea natos baptizandos esse a Parocho ecclesiae matricis eidem Capitulo unitae, Parochus S. Nicolai exposuit, suam paroeciam sub se habere octo incolarum millia, et distare ab ecclesia matrice unum circiter, milliarium, Fonta-

litium tum recens constructum impedimento esse quominus facilis haberetur aditus ad matricem ecclesiam; proposito dubio: « An sit locus erectioni fontis baptismalis in ecclesia S. Nicolai ultra Mozam: » S. G. respondit: *affirmative,* ut in lib. Decr. 42 pag. 327.

Item in *Piacentina,* die 26 Aprilis 1698, in qua cum Episcopus Sacram Visitationem agens rogatus esset a populo Loci *Planellaram,* ut parochialem ecclesiam eiusdem loci eximeret ab omnimoda subiectione erga plebanam ecclesiam loci *Trivotii:* eamque in Archipresbyteratum non tamen insignem erexisset, tributa facultate eidem Archipresbytero benedicendi fonti baptismali Sabato Sancto ; impugnante subinde hoc decreto Plebano loci *Trivotii,* S. C. ad propositum dubium: « An Decretum sustineatur in casu: » respondit: *affirmative,* ut in lib. 48 Decret, pag. 184.

Pariter in *Fulginaten.* die 22 Iunii 1720, proposito dubio: « An sustineatur erectio fontis baptismalis in ecclesia parochiali » S. Mariae Novae castri Seronis in casu: » S. C. respondit: *affirmative, et amplius.* In ea causa agebatur de erigendo fonte baptismali in ecclesia paroeciali castri Seronis, cum antea deferrentur recens nati baptizandi ad finítimas paroecias, cui ere^ ctioni faciendae in pretio habita non fuit oppositio cuiusdam Parochi S. Antonini, tum quia ab eo paroecia non penderet, tum quia ad hunc Parochum deferri infantes non possent propter nives, quae imperviam reddebant viam.

Item in *Guardien,* die 21 Maii 1735, in *Verulana* 24 Martii 1736, in *Urbevetana* die 3 Augusti 1744, in qua erectio fontis baptismalis in paroeciali ecclesia Ss. Georgii et Christinae loci Vulsinii, quamvis in comitiis diei 2 Decembris 1747 fuisset denegata , in nova tamen causae propositione concessa fuit per rescriptum : *Praevio recessu a decisis, affirmative, et Episcopus incumbat omnino, ne ecclesia SSmi Salvatoris* (quae ab antiquo fontem retinebat) *debitis fraudelur obsequiis.*

Adnotabatur autem in praesentia, tales concurrere causas, quae sufficientes viderentur ad novam etiam erigendam paroeciam, si haec non extitisset, multoque magis ad erectionem fontis baptismalis.

Attamen, cum eiusmodi erectio concedi non soleat nisi *salvis iuribus eorum quorum id intersit,* expendendum supererat, an

per eiusmodi erectionem aliorum iura laederentur. Cum itaque certum esset, eos paroecianos quamdam frumenti mensuram, quam *Quartesium* dicunt, solvere consuevisse Mensae episcopali et Capitulo, animadvertebatur eiusmodi Quartesium naturam decimarum personalium habere, et ecclesiam baptismalem iure posse exigere a paroecianis alterius paroeciae decimas personales, quamvis caetera sacramenta in propria ecclesia suscipiant, ceu cum aliis docet Card. Petra *ad Const.* 2 *Greg. XL tom.* 4 *n.* 21 *et* 22, in quo ita scripsit : « Ad haec cum decimae perso-)) nales parochialibus ecclesiis debeantur ob administrationem » sacramentorum, quae idcirco sacramentales nuncupantur.... » ecclesia baptismalis has decimas iure praetendere potest a pa- » rochianis ecclesiarum filialium, qui ab ipsa baptismum susce- » permit, quamvis in propria parochia reliqua sacramenta su- » sceperint, ac divina audierint; decimae enim personales non » tantum debentur ecclesiae in qua divina audiuntur, ut voluit » Glossa in *can. Statuimus, verb. baptismalem* 16 *quaest.* 1. Re- » buffus *de Decimis q. Q n.* 21, sed etiam illi a qua sacramenta » suscipiuntur, ut diserte in *can. Questi,* 16 *quaest.* 1, ibi; *Fa- ri miliae dent decimas, ubi eorum infantes baptizantur, et ubi per » totum anni circulum audiunt Missas.* Unde verius est, decimas » personales deberi tum ecclesiae baptismali, tum parochiali, ut » ex pluribus firmat Fagnanus in *cap. Cum contingat de decimis » n.* 55 *et* 56... et resolvit S. Congregatio Concilii in *Eugubina » Quartesii,* in qua supponebatur, Rectores ecclesiarum baptisma- » lium consuevisse exigere certam partem unius eminae fru- » menti, vulgariter nuncupatae Quartesium, pro quolibet foco- » lari seu familia existente in illis parochiis, quae carent fonte » baptismali, et quorum habitatores in eisdem matricibus et ba- » ptismalibus ecclesiis baptismum recipiunt. At cum parochiani » putarent se ad id non teneri, eo praesertim, quia praefata exa- » ctio esset correspectiva administrationi baptismatis, pro quo, » quemadmodum pro aliis sacramentis, quodcumque emolumen- » tum exigi, aut recipi prohibetur a SS. Canonibus, et praecipue » in taxa Innocentiana; proponi ideo curarunt dubium: an dicta » portio frumentaria praestanda esset ecclesiarum baptismalem » Rectoribus, et ex superius adductis rationibus responsum fuit, » *deberi* sub die 18 Augusti 1684. Nec ulla habenda erat ratio

» de prohibita exactione temporalium pro administratione sacra» mentorum; nam dicta quarta solvebatur sub titulo decimarum » personalium.... »

At vero quaerendum in praesenti themate supererat, utrum per novam erectionem fontis in pago S. huius paroeciani liberarentur a Quartesio solvendo Mensae episcopali et Capitulo, cum non amplius in cathedrali ecclesia baptismum essent suscepturi. Quoad hanc rem observabatur, quamvis Auctores doceant personales decimas ipso iure transire ad novam paroeciam si nova paroecia erigatur, Fagnanus *loc. cit. n.* 52, quia scilicet parochiani tenentur ibidem divina audire et Sacramenta suscipere, contrarium tamen eumdem Fagnanum innuere *n.* 57 de decimis rependendis ratione baptismi; ibi enim docet: « Cum Archiepi- >x scopus Urbini assignasset quamdam portionem decimarum ad » matricem pertinentem, quam vocant *Quartesium,* alteri paro» chiali, eo quod Baptisma, quod in matrici tantum ministra» batur, posuisset etiam in dicta parochiali; S. Congregatio cen» suit, Caput 4 sess. 21 ad hunc casum non pertinere.» Quare affirmabatur, videri in praesenti themate dictum Quartesium esse conservandum Mensae episcopali et Capitulo; eo vel magis, quod Canonici exposuerant « *multum interesse Capituli conservare hanc iuris parochialis partem, cum sibi Quartesium remansisset tamquam documentum iuris parochialis habitualis, quod antea possideret.))*

In examen deinde revocabantur etiam incerta emolumenta Parochi Cathedralis, quae erat amissurus: observabatur tamen illos paroecianos nihil solvere teneri illi Parocho ratione Baptismi, cum iam solverent Quartesium Capitulo : nec Parochum, statim amittere ea emolumenta quae ipsi ob veniebant ex testimoniis dandis ad genealogias ostendendas et nativitates etc., cum post aliquas generationes eiusmodi iura cessatura essent.

His aliisque animadversis proponebatur derimendum

Dubium

« An et quomodo sit locus erectioni novi fontis baptismalis » in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii die 21 Martii 1868 respondere censuit: *affirmative, salva tamen praestatione, vulgo Quartesio, favore Mensae episcopalis et Capituli.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Ecclesias paroeciales non baptismales, non posse exigere iure baptismalem fontem, nisi adsint causae legitimae, quae fontis erectionem suadeant.

II. Eiusmodi causas reduci ad grave incommodum, quod paroeciani subire debeant in deferendis recens natis ad baptismalem ecclesiam ut sacro abluantur lavacro (1).

III. Concessa fontis erectione ob legitimas causas, sarta tectaque servanda esse reliqua iura ecclesiae matricis.

IV. Quin imo solvendas esse etiam eas praestationes, quae tamquam decimae personales persolventur; eo vel magis si hae in signum matricitatis etiam collatae fuerint (2).

(1) **Ob causarum defectum S. Congregatio identidem denegavit eiusmodi fontis erectionem, ut in** *Camerinen. Erectionis fontis baptismalis et iuris baptizandi* **die 10 Februarii** 1748. **Non enim expedit ordinem in ecclesiis statutum, qui a veteribus canonibus originem ducat, conturbare, quando non adsint causae legitimae, quae perturbationem faciendam esse suadeant. Ea causa sic breviter describitur in** *Thesauro Resolution. S. C. C.* **« Ex tribus ecclesiis parochialibus, quae Camerini sunt, una Cathedralis, caeterarum mater, fontem baptismalem a tempore, cuius nulla est hominum memoria, retinuit; et ad fontem infantes omnes deferuntur, ut lustralibus aquis purgentur. Fontem in parochiali ecclesia s. Venantii erigere cupientes eiusdem ecclesiae Canonici Sacro huic Tribunali preces obtulerunt, iis propositis rationibus, quod parochiali ecclesiae erectio fontis conveniat, quod hyemali praesertim tempore plurimis incommodis infantes afficiantur, cum ad cathedralis ecclesiae fontem deferuntur. Episcopus auditus ab Emis Patribus censuit, id** *esse innegabile* **Canonicis Collegiatae et parochialis ecclesiae s. Venantii. Verum id omnino esse negandum contendunt Canonici cathedralis ecclesiae, qui sibi asserunt** *ius privativum* **retinendi fontem et infantes baptizandi: disputant incommoda nova non esse, et ius Baptizandi non esse necessario parochiale. Proposito itaque dubio: « An sit locus erectioni fontis bapti- » malis et iuri baptizandi respective in » ecclesia Collegiata et parochiali s. Ve- » nantii Camerini in casu: » S. C. respondit:** *negative, et amplius.*

(2) **Confer similem causam quam retulimus** *pag.* 413.

Die 5 Maii, 22 Febr. 1866 et 21 Martii 1868. *Sess. 24 c. 12 de Ref.*

Compendium facti, Angelus N. in minoribus ordinibus constitutus anno 1823 obtinuit Canonicatum in quadam insigni Collegiata ecclesia : ineunte anno 1834, dicto Canonicatu dimisso, alterum est consequutus in altera Collegiata eiusdem urbis.

Assiduitate et exemplari diligentia Angelus chorali munere perfunctus dicebatur usque ad annum 1850, quo sub insalubri aere, qui totam eam regionem pervasit, pertinacibus febribus et viscerum doloribus affectus a choro vel a loco residentiae duos vel tres menses annis 18.50 1851-52-53 interveniente Episcopi venia abesse coactus est.

Annis 1854-55 morbo magis magisque ingravescente Angelus ex medicorum praescriptionibus ad recuperandam sanitatem ex sua urbe discedere compulsus est: admotis precibus ad S. C. C. indultum ad quinquennium obtinuit, cuius vi per quatuor cuiusque anni menses alibi degere posset: eo indulto cessante anno 1861 preces renovavit et per annum indultum absentiae obtinuit, quod prorogatum fuit, perdurante causa absentiae ex infirma valetudine.

Anno 1863 expleto 40 annorum chorali servitio a S. C. C. indultum Iubilationis postulavit: at remissis precibus ad Ordinarium, hic votis Angeli non est suffragatus, habita praesertim ratione dissensus Capituli : et in ea opinione versabatur Ordinarius, ut Angelo facultas daretur abessendi a choro et a residentia aliquot anni menses.

Angelus, annuentibus etiam Capitularibus, eiusmodi facultatem Romae obtinuit, quae etiam prorogata fuit : at vero nova prorogatione obtenta anno 1865, cum ab Ordinario peteret executoriale decretum habiti Rescripti, cuius exsecutio de more eius arbitrio et conscientiae remissa est, ille renuit, ea de causa, quod nolebat id sibi culpae imputari sive a Deo, sive a Capitulo, sive a populo qui exigeret Angeli assistentiam.

Capitulum, hac occasione, formali libello, poenam caducitatis a Canonicatu Angelo indicunt, sibique invicem pro rata

portione fructus canonicalis illius Praebendae dividunt. Hoc autem haud ferens Angelus, emissa contra Capitulares protestatione, ad S. C. C. confugit, postulans Iubilationis indultum, et fructuum restitutionem quam Capitulares sibi diribuerant.

Disceptatio gynoptica*

EA QUAE OGGERERET CAPITULUM. —Praemisso principio, indultum Iubilationis non concedi, nisi constet de *continuo et laudabili* servitio per 40 annos, contendebat Capitulum, Angelum neque continuum neque laudabile servitium praestitisse; namque, aiebat, per undecim annos pluribus mensibus a residentia abfuisse ut febres expelleret: plures annos in seminario degisse ut literas scientiasque addisceret cum primo Canonicatu frueretur: immo e seminario egressum in pago N. ad pueros edocendos aliquot annos incubuisse: quam quidem absentiam, quamvis laudabilem habuerit causam nihilominus ecclesiae chorali nocuisse: nec ad absentiam honestandam satis esse Episcopi veniam, cum generalis sit residentiae lex a qua potest eximere tantum R. Pontifex : eo vel magis, quod, libris fallentiârum animadversis, plus quam quingentas Conventuales Missas ab eo celebrandas, non ipse celebraverit.

Quoad fructuum privationem dicebatur Capitulum protestationem emisisse ut, denegata ab Episcopo Rescripti executione, quam celeriter rediret ad oppidum, secus a iure percipiendi fructus esset casurus : ipso autem non redeunte Capitulum sibi fructus eius Praebendae divisisse in poenam absentiae, et fallentiârum compensationem.

EA QUAE REGERERET ANGELUS. — Contra Angelus respondebat, se continuo et laudabiliter choro inserviisse, referens Abbatis testimonium, quo ostendebat in priori Collegiata accuratissime choro inserviisse ab anno 1823 ad annum 1833: diligentiam posteriorem alii Canonici secundae Collegiatae testari sunt, nec non Episcopus antecessor a quo habuit testimonium his verbis conceptum: «toto » tempore, quo praefatae dioecesi praefuimus, nempe per decem » novem annos Rmum Angelum talem optimae et ecclesiasticae » vitae rationem tenuisse ut omnibus exemplo esset . . . .Eius » in suae ecclesiae servitio assiduitas, adversa licet valetudine, » in pauperum infirmorum patrimonio administrando solertia,

» aliaeque virtutes sociales animos devinciebant;» et alibi: «ad » chorale servitium fuit semper assiduus. »

Quod si post annum 1850 aliquando abfuerit, id infirmitati esse tribuendum Angelus iurato testimonio medicorum ostendebat.

Esse autem somnium iactatam e contrario absentiam per undecim annos; cum quatuor tantum annis a 1850 ad 1853 per duos vel tres menses defuerit causa infirmitatis, consentiente etiam Capitulo quod nec fallentias signavit nec detraxit; seque abfuisse obtenta ab Episcopo venia: adnotabat autem hanc veniam ratione infirmitatis posse Episcopum concedere iuxta dispositionem *Cap. unie, ole Cleric. non resid. in* 6°, teste Garzia, qui *de Benef. p.* 3 c. 2 §. 2 *num.* 406 tradit « nec Episcopus » potest dare talem Iicentiam *f abessendi scilicet a choro ex ratio- » nobili causa)* nisi in casibus a iure expressis.... et apparet ex » sequentibus declarationibus S. Congregationis Concilii: *nec Epi- » scopus potest aliquem excusare a residentia in choro, nisi iuxta » dispositionem c.* 1 *de Clericis non resid. in* 6°. Secunda utrum » Ordinarius possit aliquem a residentia in choro Canonicum seu » Cappellanum ex causa legitima excusare iuxta c. *unie, de Cleric. » non resid. in* 6° sine consensu aliorum Canonicorum seu Cap- » pellanorum quorum interesse videtur propter ius accrescendi - » S. Congregatio respondit; *posse si est ex causa comprehensa in » dicto cap. unico, quia illud Concilium non sustulit nec requirit)) Capituli consensum ut alias decisum fuit* (1).» item Fagnanus in *cap. Licet, de Praebendis in* 6° *n.* 75 et 135.

Animadvertebat autem, indultum obtentum pro absentia a chorali servitio, in praesenti themate comprehendere debuisse etiam indultum a residentia ; cum hoc sibi esset concessum, ut sanitatem recuperaret ex malefico regionis aere amissam; et reapse pluries se tum ab Episcopo tum postea a S. Sede talem obtinuisse veniam.

Quoad tempus quod studiorum causa in Seminario impendit, testimonio comprobaba t tres tantum annos in eo degisse: atque animadvertebat posse Clericum a sua ecclesia abesse ut sacris scientiis imbuatur iuxta dispositionem Tridentinam *sess.* 5 c. 1 *de Ref. et cap.* 5 *de Magistris,* docente Fagnano *loc. cit. n.* 6 his verbis; « Nota, obtinentes dignitates licite posse studiorum causa

(1) Confer causam quam adduximus in *Vol. L pag.* 65.

» ab ecclesia abesse... item intellige de Ordinarii licentia, quam » tenetur ipse Ordinarius impertiri... sed et S. Congregatio Con- » cilii declaravit, eiusmodi licentiam ab Episcopo ad quinquen- » nium concedi posse, quod si renuerit, eius superiorem adeun- » dum esse, qui eum compellat (1).»

At vero etsi hi studiorum anni detraherentur-a 40 annorum servitio, iam tamen expletum manere idem temporis spatium.

Quod autem e contrario asserebatur de absentia per aliquot annos causa docendi pueros in pago N. animadvertebat, id a veritate esse alienum, et non impediisse quominus choro fecerit satis, cum primus Canonicatus servitium exigeret tantum diebus festis, de cuius assiduitate supra testimonium exhibuisset.

Quoad Missas autem Conventuales, quae amissae ab eo dicebantur, ostendebat, Missas a se non celebratas, per alios eas celebrasse.

Propositis autem S. C. dubiis die 5 Maii 1868: I. « an sit con- » cedendum Indultum Iubilationis in casu:» II. «an, et in qua » summa sint a Capitulo restituendi Canonico.... fructus Praebendae in casu. » S. Congregatio respondit: ad I. *Coadiuventur probationes:* ad II. *Dilata, et audiatur Episcopus.*

Episcopus auditus nihil retulit de divisione fructuum a Capitularibus facta; sed commemorans pluries prorogatum fuisse indultum, subiungebat: « ego autem continue apud ipsum Ange- » lum instabam, ut aliquoties, saltem in hyeme, in quo palustres » influxus sunt minus noxii, urbem remearet; sicque (cum in » illa Collegiata pauci numero et ex istis quidam Clerici, quidam » aegrae valetudinis sint Canonici) pro viribus et choro assiste- » ret, ac fidelibus opem spiritualem praeberet; praesertim in ad- » ministratione Sacramenti Poenitentiae, cui assidue et magno » zelo incubuisse, dum in patria morabatur, mihi fuerat asser- » tum. Ipse vero obtemperare non putavit. Quare mense Au-

(1) Addit tamen idem Fagnanus *loc. cit. n.* **73, eiusmodi Canonicos absentes studiorum causa, ut indulto fruantur percipiendi fructus (non quidem distributiones) suae Praebendae, ea aetate esse debere constitutos ut «annum aetatis » vicesimum quintum non excedant, ut »alias censuit S. Congregatio Concilii, »et concurrat Superioris licentia.» Item ut addiscant in publica universitate non vero in parvis gimnasiis, de qua re consuli potest Giraldi** *Ius Pont. p.* **1** *ad cap. super specula, de Masect.* **787** *in g. fin.* **Card. Petra** *ad Const. X. Bonifacii^IIL n.* **6** *tom.* **3, item recens opus cl. Angeli Lucidi** *de Visitat. SS. LL. Fol. II. p.* **367**

• » gusti anni elapsi cum Angelus mihi exhibuisset novum pro-
)) rogationis Rescriptum a S. Congregatione obtentum pro indulto
» absentiae ad annum, meae tamen conscientiae remissum, huius-
» modi rescriptum reddidi absque decreto executoriali, sed cum
» declaratione, me omnino subiiciendi EE. PP. dispositionibus,
» si absolutum indultum ipsi elargiri credidissent. »

Interea Capitulares, frustra petente et protestante Angelo, fructus illius Praebendae sibi dividere prosequuti sunt, quin tamen aliquid amplius coram S. C. deducerent.

Angelus autem plura repetiit quae antea in sui defensionem exposueratï et ad ea quae eidem obiecta fuerant, scilicet quod *aliquot annos impendisset in pago N.* ut pueros edoceret, respondebat, attestatione Municipii pagi illius, tempus illud coercendum esse ad decem tantum menses.

Calculo autem facto, ostendere curabat Angelus, etsi detrahi vellent omnes menses et anni, quibus ex causa legitima e choro aut residentia abfuit, impletum in praesens iam esse 40 annorum tempus , cum mense ianuario anni 1823 choro inservire incoepisset.

Quoad fructuum vero subtractionem animadvertebatur, absentes qui legitimam obtinuerint veniam neque de negligentia neque de culpa posse insimulan , ideoque neque Beneficii fructus eidem denegari posse.

Propositis itaque denuo dictis dubitandi formulis die 22 Decembris 1866 S. Congregatio respondit; ad I. *Dilata; et suppleatur negligentia:* ad fi. Dilata; *et scribatur Episcopo ad mentem.*

Cum autem nulla canonica causa ex parte Episcopi deducta fuisset, quae exsecutionem Rescripti impediret; cum nihil amplius ex parte Capituli fuisset deductum; et e contra exhibita ab Angelo fuissent nova medicorum testimonia de sua gravi infirmitate, quae omnino impediebat quominus ad locum Canonicatus rediret, definitivam Resolutionem habuit causa.

Dubia.

1. « An et quomodo exequutioni mandanda sint S. Congre-
» gationis Rescripta ad effectum concedendi Indultum Iubilatio-
» nis in casu.

» Et quatenus affirmative

II.» An et in qua summa sint a Capitulo restituendi Cano-» nico... fructus Praebendae in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii die 21 Martii 1868 respondere censuit: ad I. *Affirmative in omnibus:* ad II. *Affirmative in summa liquidanda ex bono et aequo coram R. P. D. Secretario.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Iubilationis Indultum non concedi nisi constiterit eum qui illud petit iugiter et laudabiliter choro inserviisse annos quadraginta.

II. Neque interesse, an hoc tempus expleverit duabus inserviens successive ecclesiis.

III. Rescripta S. Sedis, quae pro gratia exeunt, quorum exsecutio committatur *arbitrio et conscientiae* Ordinarii, debere exsecutioni mandari, nisi nova canonica causa existat, quae executionem impediat (1).

IV. Fructus Beneficii aegroto Canonico indebite subtractos et consumptos restituendos esse (2).

(1) **Frequentissime in SS. Congregationum Rescriptis inseritur clausula:** *Arbitrio et conscehtiae Episcopi:* **vel etiam,** *arbitrio et prudentiae Emi Cardinalis:* **et frequentissime penes ss. Canones reperiuntur dictiones :** *prudentiae tuae, iudicio tuo, discretioni tuae,* **uti notat etiam Fagnanus in** *cap. Ne innitaris, de Const. n.* 239. **Valor harum clausularan) potest considerari in genere et in specie. In genere consideratus tribuit rationabile arbitrium, non quidem plenum, sed ad normam iuris dirigendum: in specie autem consideratus vel maiorem vel minorem vel etiam nullam tribuit facultatem pro ratione negotii et Rescripti tenore. Sic ex. gr. in Rescriptis in quibus dicitur :** *SSmus annuit pro gratia, arbitrio et conscientiae Episcopi,* **in quibus nihil determinandum reperiatur, gratia censetur facta, cui deest tantum Rescripti exsecutio ut plenum habeat effectum : hoc in casu delegatus non potest denegare exsecutionem; nec illa verba,** *arbitrio et conscientiae,* **facultatem denegandi exsecutionem tribuunt, nisi forsan alia canonica causa occurrat, quae apud S. Sedem non exposita, iure exsecutionem impediat. Namque quando litterae supplicantis Romae cognitae sunt seu ut dici solet** *iustificatae* **non potest retardari parata exsecutio per clausulam appositam** *arbitrio,* **ut dixit S. Rota in** *Lauden. Vicariae* 29 **Martii** 1694, **coram Caprara, et in** *Recent, decis.* 667 *n. i. part.* 18 *tom.* 2, *et decis.* 82 *n. i p.* **i**9.

(2) **Et hic est animadvertendum, non esse in arbitrio Canonicorum subtrahere fructus Praebendae alicui collegae nisi Ordinarii auctoritas interveniat: neque omnibus fructibus absentem esse statim privandum, cum primo anno absens amittat dimidiam fructuum partem, secundo omnes fructus, tertio privetur Beneficio iuxta Tridentinam dispositionem.**

APPLICATIONIS MISSARUM.

Die 21 Martii 1868.

Summaria precum. Municipes oppidi N. anno 1535 simplex Beneficium seu Cappellaniam fundarunt in sua ecclesia paroeciali, sibi iuspatronatus reservantes iusserunt Cappellanum *« deservire in divinis in dicta ecclesia aut per se aut per alium idoneum eius nomine et quotidie in dicta ecclesia celebrare unam Missam, videlicet diebus festivis in cantu et aliis diebus sine cantu.»* Dotem autem huius Cappellaniae constituerunt in tot bonis stabilibus, quorum redditus nunc, detractis publicis vectigalibus, attingit 430 libellas italicas.

Hi redditus cum impares existimati fuissent iam antea oneribus adimplendis, anno 1581 Curia episcopalis mandavit Municipio ut augeret dotem altera tertia parte, quod si non fecisset comminata est poenam amissionis ipso facto iurispatronatus. At vero id temporis res videtur composita fuisse per reductionem Missae quotidianae ad duas Missas singulis hebdomadis.

Verum anno 1864 dicti Patroni in iudicium vocarunt Cappellanum coram incompetenti iudice, idest civili Magistratu, ea de causa, ut Cappellanus singulis diebus Missam celebraret iuxta legem fundationis.

Reapse tribunal civile iura ecclesiastica invadens non omisit cognoscere causam, eamque definire prout optaverant oppidani Patroni, atque edixit: Cappellanum teneri ad faciendum satis omnibus oneribus in lege fundationis iniunctis, quibus neglectis, eo ipso Cappellaniam amitteret.

Sacerdos Cappellanus, ne per vim Cappellania privaretur, Missam quotidie in ecclesia paroeciali celebrare coactus, preces convertit ad S. C. C. exponens, «habita ratione tenuitatis red-
» ditus, celebrationis quotidianae aliorumque munerum, dubium
» esse, utrum ipse teneretur Missam applicare; et hac de causa
» se pluries Missae applicationem omisisse: attamen ad suam
» tranquillandam conscientiam se supplicare, ut absolveretur
» si opus esset ab omissis applicationibus et dispensatio indui-

» geretur ab applicatione in futurum, » Missae autem quae applicatae non fuerunt attingebant numerum octingentarum.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Tria in quaestionem ex officio revocabantur: 1° utrum Missarum reductio antiquitus habuerit locum cum authenticum Rescriptum deesset: 2° utrum iuxta tabulas fundationis Cappellanus teneretur ad solam celebrationem, non vero applicationem: 3° quid iudicandum esset de praeteritis omissionibus.

Quoad primum; quamvis non proferretur reductionis Rescriptum, tamen non deesse animadvertebatur suppletorias Rescripti **obtenta** probationes ; praesertim ex actis ss. Visitationum , in quibus legebatur Cappellanum teneri *onere celebrationis duarum Missarum qualibet hebdomada.*

Quoad secundum: observabatur praxim esse S. C; C, ut onus applicationis intelligendum sit connexum cum onere celebrationis, nisi contrarium demonstretur; cuius praxis exempla adducebantur, idest *Tinnen. Applicationis Sacrificii* die 18 Augusti 1668, *Lib.* 26 *Decr. fol.* 61 ubi legitur: «Ex dispositione te-
» stamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata
» quaedam Cappellania cum onere Cappellano pro tempore Sa-
» crum faciendi singulis Dominicis, aliisque festivis diebus, nulla
» adiecta declaratione, ad cuius suffragium applicandum esset
» Sacrificium; ideo Episcopus *Tinnen,* supplicat per S. Congrega-
» tionem declarari, an huiusmodi Sacrificium applicandum sit
» pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum Cappellani, uti
» hactenus factum esse comperiit. » Cui S. Congregatio respondit: *applicandum esse Sacrificium pro anima testatoris.* Item in *Corneiana* die 23 Iunii 1725.

Quin imo in praesenti themate observabatur, suppetere argumenta dictae connexionis : namque licet in lege fundationis deesset verbum *applicandi:* haberi tamen consuetudinem applicationis , et huius consuetudinis indicia in ipsa praeceptione facta Patronis augendi Cappellaniae dotem, et in obtenta probabili Missarum reductione contineri; eamdem consuetudinem antea ipsum Cappellanum oratorem sequutum esse.

Quoad tertium , animadversione facta, in praesenti themate bonam fidem desiderari, adducebantur tamen causae, quas Epi-

scopus exposuerat, quibus aliqua condonatione dignus senescens ac diligens Cappellanus videretur.

RESCRIPTUM.—S. Congregatio Concilii perpensis precibus die 21 Martii 1868 respondere censuit: *celebratis Missis* 80, *et iniuncta per Episcopum aliqua salutari poenitentia pro gratia absolutionis: de caetero Cappellanum teneri celebrare et applicare duas Missas qualibet hebdomada in ecclesia designata, facto verbo cum SSmo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Instituta ecclesiastica Cappellania cum onere celebrationis subintelligi etiam debere onus applicationis, nisi contrarium constet.

II. Sententias latas a laico Iudice in re ecclesiastica nullo pretio esse habendas.

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE.

Die 11 Ianuarii 1868.

Summaria precum. Archiepiscopus N. S. Congregationi exposuit, Sacerdotem C. cuiusdam oppidi, rurali ecclesiae inservientem, apoplético sanguineo morbo fuisse correptum ; ita ut sinistra corporis pars viribus manserit destituta; adhibitis tamen artis medicae remediis magna ex parte vires recuperasse, excepta manu sinistra, quae omnibus viribus destituta manserit: eumdem tamen Sacerdotem, cum se magna ex parte sanum experiretur, conatum fuisse Missam celebrare omnibus liturgicis actionibus peractis dextera tantum manu, non exclusa sacrae Hostiae fractione in tres partes facta super Patena; cum autem ipse Archiepiscopus haec cognovisset, illum redarguisse ac suspendisse tamquam irregulärem a Missae celebratione: nunc vero eumdem Sacerdotem rei male gestae conscium pro sua pietate et populi oppidani commodo, qui non multos habet Presbyteros, cupere Missam celebrare sicut antea cum dextera manu.

Adolebat idem Archiepiscopus se subiecisse Sacerdotem examini Magistri Caeremoniarum, qui testimonium dedit, eumdem dextera manu omnes sacras coeremonias accurate peragere posse.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Mirum esse, animadvertebatur, Sacerdotem C. solius dexterae usu posse omnes ritus accurate perficere, cum ab elevatione S. Hostiae usque ad completam purificationem plura occurrant, quae ut rite impleri possint ambas manus requirunt: id tamen indulgendum videri oculis Magistri Coeremoniarum et infelici conditioni Sacerdotis, si acquisita dexteritas confundatur cum exacta executione.

Adnotabatur autem heic agi non de promovendo, sed de iam promoto ad presbiteratus ordinem, qui versaretur in aetate 47 annorum, quique, dispensatione destitutus, careret peculiaribus auxiliis, quae ex Missae Sacrificio Sacerdotibus obveniunt, et absque ulla sua culpa irregularis evaserit: nec videri pertimescendum scandalum in populo, cum illius regionis fideles iam inspexerint eum celebrantem absque ulla admiratione; nec periculum in Sacris peragendis, cum Orator aptitudinem usu solius dexterae manus adeptus fuerit.

His autem in adiunctis, concurrente scilicet utilitate ecclesiae , habitaque ratione exigui Presbyterorum numeri in eo oppido, et praesertim in rurali ecclesia cui Orator inserviebat, quique suis sumptibus alium Presbyterum ex alio oppido in auxilium vocare sibi opus esset, S. Congregationem pluries pro gratia dispensationis rescripsisse adnotabatur.

Commemorata autem ad rem sunt exempla: in *Aesina* diei 23 Nov. 1864, in qua favore Sacerdotis, qui ob paralysim usu sinistri brachii penitus fuerat destitutus, rescriptum prodiit: *Dtimmodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi, pro gratia dispensationis et habilitationis, facto verbo cum SSmo.* Item in *Litomericen.* 17 Decemb. eiusdem anni in qua favore Sacerdotis, qui sinistrum brachium fortuito amiserat, rescriptum fuit: *Dummodo adsit populi necessitas et celebret cum assistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi, pro gratia, remittenda arbitrio Episcopi, dispensationis et rehabilitationis, facto verbo cum SSmo.* Item in *De-Linares* 8 Iulii 1865 in qua favore Sacerdotis, cui sinistrum brachium fuerat amputatum,

rescriptum fuit: ***Dummodo celebret in Oratorio privato cum assistentia alterius Sacerdotis vel Diaconi, pro gratia dispensationis et rehabilitationis ad tempus arbitrio Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo.***

Adnotabatur autem in praesenti themate, cum rurali ecclesiae Sacerdos C. addictus esset, eum fortasse neque privatum Oratorium posse habere.

RESCRIPTUM. — **S. Congregatio Concilii perpensis precibus die 11 Ianuarii 1868 rescribere censuit:** ***Arbitrio et conscientiae Archiepiscopi, non ingravescente actuali valetudinis statu, facto verbo cum SSmo.***

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Legitimis concurrentibus causis, non raro concedi super irregularitate dispensationem Sacerdoti, qui usum sinistrae manus amiserit, servatis tamen nonnullis conditionibus.

II. Easdem conditiones determinari solere pro adiunctorum ratione; inspecta praesertim qualitate defectus, et indole loci ubi Sacrum peragit Sacerdos.

EX *I* CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

SUPER CONCORDIA.

Die 27 Martii 1868.

Compendium facti. Titius suo testamento anno 1679 **haereditatis usumfructum suae uxori reliquit; proprietatem autem illi, qui, ex descendentibus fratris sui Caroli, esset Presbyter vel saltem Subdiaconus: hunc gravavit onere celebrandi vel celebrare faciendi quatuor Missas singulis hebdomadis. Quod si Caroli descendentes deessent, sub iisdem conditionibus vocavit familiam aliam cuiusdam Francisci: hac autem familia deficiente vocavit haeredem quamdam Sodalitatem a SSmo Sacramento**

nuncupatam: edixit etiam idem testator per codicillares tabulas, ut temporis intervallo, quo in vocatis lineis nullus extaret idoneus, tunc haereditatis usumfructum perciperet eadem Sodalitas cum dicto onere quatuor Missarum, ita tamen, ut quoties in vocatis lineis superveniret Presbyter vel saltem Subdiaconus, eadem sodalitas restituere illi teneretur haereditatem.

Haereditas autem nunc attingit scutata 3721 seu libellas italicas 20,000.

Cum autem prima familia a testatore vocata statim cessasset, illico subintravit secunda familia cuius descendentes usque adhuc haereditatem possederunt: quin imo etsi nonnullis temporis intervallis non extarent *actu* descendentes idonei ad haereditatem possidendam, tamen possederunt, ita ut nunquam dicta Sodalitas SSmi Sacramenti haereditatis usumfructum perceperit.

Mortuo anno 1859 ultimo Sacerdote eiusdem familiae, qui haereditatem habebat, cum alius idoneus deesset ad eam possidendam iuxta legem testatoris, Sodalitas petiit haereditatem, quam tamen denegarunt descendentes Francisci, et quaestione mota, eaque delata in tribunal civile, Sodalitas succubuit ex quodam praetextu legis civilis Ecclesiam gravantis.

Verum partes contendentes, tractatu interposito, tandem ad quamdam transactionem faciendam convenerunt, quae in eo erat posita, ut descendentes Francisci darent partem dictae haereditatis, idest scut, 1256 ecclesiae paroeciali in qua Sodalitas SS. Sacramenti erecta erat cum onere celebrandi singulis annis Missas 108, et quidquid ex haereditate superesset in liberam proprietatem dictorum descendentium transiret.

Hac transactione S. Congregationi proposita, servatisque de more servandis, sequentia ex officio sunt animadversa.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. — Praemittebatur, scilicet potestatem civilem abrogasse fìdeicomissa et substitutiones haereditarias, ideoque possidentes haereditatem ex titulo fideicommissario posse libere haereditatem alienare; quod si cum haereditate connexa sint pia legata, haec salva manere debere.

Animadvertebatur autem iuxta praxim SS. Congregationum duplicem quaestionem esse distinguendam : nimirum maxime interesse dignoscere, utrum proprietas haereditatis resideat penes

ecclesiam, vel potius penes extraneos: priori enim casu, cum locum non habeat transitus proprietatis ad ecclesiam, cum eam proprietatem iam ipsa habeat, locum non habere fideicommissum, neque substitutionem; ideoque sibi pertinere haereditatem: non ita tamen dici posse si proprietas apud alios resideat, quae tandem possit devenire in proprietatem ecclesiae: hoc enim casu cum fideicommissum potius esse videatur, posse illud subiici legibus civilibus abolitionis: firmo tamen semper manente pio legato, quod forte cum haereditate fuerit connexum.

Ad haec confirmanda adducebantur quaedam exempla, idest causa ***Verulana Substitutionis*** penes S. C. Episc, et Reg. agitata die 8 Martii 1861; in ea agebatur de haereditate relicta anno 1770 cuidam Antonio cum onere celebrare faciendi tot Missas, quot Ordinarius determinaret: cessante autem linea dicti Antonii substituit testator haeredem cum eodem Missarum onere ecclesiam N., quae a Capitulo Cathedralis administrabatur.

Cum autem eidem Antonio multi extiterint filii, et bona haereditaria divisa, neglecto magna ex parte Missarum legato, Capitulum hypothecae subiecit eadem bona. Quaestio deinde orta est, an eadem bona ligata manerent vinculo fideicommissario, cum post notas Neapoleonicas leges partim deinde adprobatas, fideicommissa bona ab hoc vinculo soluta fuerint: facta autem supra indicata distinctione, propositoque dubio: « An et » quomodo constet de solutione a vinculo substitutionis in casu.» S. C. respondit: ***affirmative, firmis oneribus Missarum per inscriptionem hypothecariam in tuto ponendis.***

Item alterum indicabatur exemplum in causa ***Verulana Cappellae*** pluries agitata coram S. C. Concilii: in hac causa testator vocaverat haeredem quamdam **Cappellani**; voluit autem ut usufructuara et administratores essent eius frater et huius descendentes, tenuissimo onere imposito quinque Missarum singulis, annis, et manutentionis sacrarum suppellectilium: multum fuit disputatum utrum ex eo quod testator nominaverit haeredem Cappellani, omnia bona ligata manerent favore Cappellae, vel potius esset paliatum fideicommissum: tandem S. C. C. die 20 Martii 1862 quaestionem resolvit favore descendentium usufructuariorum, qui invocabant leges fideicommissa solventes: addita tamen clausula, ut ***Episcopus curet inscribi super omni-***

bus bonis haereditariis hypolhecam pro adimplemento onerum favore Cappellae. Item in *Ariminen.* die 14 Decembris 1860.

Animadvertebatur autem in praesenti themate quamvis descendentes e linea vocata *in facto* haereditatem possiderent, tamen verus possessor *iure* esse habendam Sodalitatem iuxta testatoris voluntatem ab anno 1859, ideoque in eius potestate esse bona fideicommissaria alienare iuxta civiles illius loci leges, quae hanc facultatem tribuunt legitimo actualique possessori.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo adprobanda sit proposita transactio in » casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Episc, et Reg. re cognita die 27 Martii 1868 respondere censuit : *esse locum adprobationi transactionis facto verbo cum SSmo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Existente civili lege, quae solvat substitutiones fideicommissarias, plures quaestiones posse exoriri si fideicommissum commixtum sit cum causa pia.

II. Ad solvendas quaestiones haec prae oculis habenda esse tamquam generalia criteria: quoties locus pius seu ecclesia haeres a testatore vocetur, et descendentes ex aliqua familia usufructuarii dicantur, tum haereditaria bona colligata manere loco pio seu ecclesiae, nisi forsan appareat fere vanum esse haeredis nomen ecclesiae tributum, quasi vero datum fuerit ad paliandum fideicommissum.

III. Quoties vero fideicommissum fuerit constitutum, quod tandem in ultima sede, deficiente linea vocata, in loco pio seu ecclesia consistere debeat, ob hoc remotum ius ecclesiae tributum non impediri haeredes quominus bona haereditaria distrahant permittente civili lege bonorum huiusmodi distractione, quamvis ea in destructionem honestarum nobiliumque familiarum vergat.

IV. In quovis tamen casu sarta tectaque manere debere legata pia, quae cum fideicommisso sint connexa.

SUPER PENSIONE.

Die 20 Martii 1868.

Compendium facti. Monachus S. professus et Sacerdotio initiatus cum degeret in Monasterio N., stomachi morbo correptus postulavit a S. C. Episc, et Reg. veniam extra Monasterium aliquo tempore degendi: perseverante morbo, deinde postulavit perpetuae *saecularizationis* **indultum et a suo Ordine pensionem quae loco sacri patrimonii inserviret.**

S. Congregatio anno 1850 indultum petitum concessit, cuius executio commissa fuit Ordinario loci cui subiectus ille erat antequam Monachus fieret, cum clausula *dummodo provisus sit de sufficienti patrimonio,* **quod quidem Rescriptum exsecutioni mandari deberet intra sex menses, secus ipso facto irritum esset. Cum autem dictus Monachus patrimonium sufficiens reperire non potuerit intra illud temporis spatium, novas prorogationes obtinuit, donec tandem ipse Ordo pensionem 60 scutatorum cum clausula** *donec provideatur* **suo Monacho promisit, quae sufficiens erat ad constituendum s. Ordinationis titulum : pensione obtenta ac confirmata per Rescriptum S. C. die 1 Augusti 1851 hisce verbis:** *assignata loco patrimonii summa scut.* **60** *ex redditibus Monasterii persolvenda, donec Orator provideatur,* **eam percipere coepit a Monasterio N.**

Ob politicas vicissitudines cum nonnulla Monasteria eiusdem Ordinis essent inique suppressa, et bona directa, Monasterium N. denegavit integrae pensionis solutionem , duplici ex causa: 1° quod Monasterium N. licet ad solvendam pensionem semet obligaverit, tamen eiusmodi obligatio gravaret caetera Monasteria: 2° quod pensio concessa esset cum conditione *donec provideatur;* **cum autem Monachus alteram obtinuisset ecclesiasticam pensionem anno 1853 scut: 30 ratione studiorum in Archigymnasio, quorum curriculum cum laude expleverat, non amplius Monasterium ad integram solvendam pensionem teneri dicebatur.**

Omittimus primum quaestionis caput, quod totum in peculiaribus factis consistit, ac de secundo quaestionis capite solliciti, haec quae ad rem ex officio perpendebantur adducimus.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO.—Animadvertebatur scilicet constitutionem sacri patrimonii cum clausula *donec provideatur* generatim secumferre subrogationem etiam partialem, quoties Ecclesiasticus aliquod deinde obtineat Beneficium, quod patrimonio sacro constituto non aequivaleat ; id etiam conforme esse cuidam Resolutioni S. C. C. in *Senogallien.* die 27 Iunii 1705, quam refert Zamboni *tom.* 5 *pag.* 57 n. 18.

Admissa autem hac subrogatione, in praesenti themate etiam cum pensione quae tamquam studiorum praemium Monachus extra Monasterium degens obtinuerat, supererat videndum, an eiusmodi partialis commutatio seu subrogato locum haberet ipso facto, vel potius ope auctoritatis ecclesiasticae, quae a vinculo solveret partem respondentem primae pensionis.

Et ad hanc rem inter caetera adducebatur doctrina, quam tradit Honorante in *Praxi Trib. Vicar.pag.* 46, ubi scripsit: « Infi super, qui habet titulum patrimonii constitutum sub hac con-
» ditione, *donec et quousque provisus fuerit de Beneficio ecclesia-*
» *stico, aut aliunde habuerit, unde commode sustentari valeat,*
» *quo casu eveniente, patrimonium redeat ad constituentem absque*
» *ulla declaratione,* non dicitur spoliatus, neque privatus titulo,
» quamvis Beneficium vel bona acquirat, sed viget patrimonium
» ut prius, non obstante conditione praedicta, donec ab Ordi-
» nario non fiat subrogatio, sic declaravit S. Congregatio die 12
» Iulii 1687 etc. »

His aliisque praenotatis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo locus sit solutioni pensionis scut. 60 in
» casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Episc, et Reg., causa cognita die 20 Martii 1868 respondere censuit: *Affirmative, et pensionem solvendam esse a Monasterio (N.) in summa scutatorum sexaginta quoad praeteritum: quo vero ad futurum esse locum deductioni pensionis ecclesiasticae subrogatae vigore praesentis Rescripti in partem patrimonii, salvis clausulis in Rescripto diei* 1 *Augusti appositis: et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Religiosos Sacerdotes etsi legitime ex proprio ordine exeant, suspensionis poena obstrictos manere si congruum sacrum patrimonium non habeant (1).

II. Loco sacri patrimonii esse posse congruam pensionem, quae a Monasterio solvatur, etsi adiectam habeat clausulam, *donec provideatur.*

III. Nova eveniente provisione ecclesiastica, non cessare obligationem in monasterio solvendi pensionem, nisi auctoritas ecclesiastica interveniat, quae subroget novam provisionem loco prioris sive in parte sive in toto.

REDUCTIONIS CANONIS.

Die t Februarii et 13 Sept. 1867.

Compendium facti. Inter bona quae possidebat pium dotale institutum recensebatur rustica quaedam domus quam pii instituti administratores in perpetuam emphyteusim dare statuerunt. Eadem rustica domus aestimata fuerat scut. 120.

Edictis publice affixis iuxtam morem quibus invitabantur ii, qui eam affectarent, Titius obtulit canonem annuum scut. 12, et inde imploravit Beneplacitum Apostolicum cum gratia omittendi reliquas licitationes , quae appellantur *experimenta vigesimae et sextae* **(2). Quod quidem ex venia Apostolicae Sedis obtinuit.**

Cum autem Ordinarius Rescriptum exsecutioni mandaret, et Titius insisteret pro Instrumenti stipulatione gravis orta est difficultas; namque unus ex Administratoribus pii instituti denuntiavit, preces S. Congregationi oblatas ad illud obtinendum Rescriptum fuisse obreptitias, cum eadem rustica domus aestimanda esset non quidem scut. 120, sed scut. 192.

(1) Recoli potest causa quam adduxi in *Vol. L pag.* 358 *et seq.*

(2) Recolenda est Constitutio Benedicti XIV. quae normam statuit hisce contractibus rerum ecclesiasticarum, nec non Decreta S. C Episc, et Reg. Vid. *Vol. L pag.* 25 *et Vol. H. pag.* 439. Item recoli potest causa ibidem relata *p.* 418.

Quae cum ita essent, Ordinarius novam ex officio fieri iussit aestimationem, quae pretium eidem domui tribuit scut. 184; ideoque novis edictis publice affixis domus novae licitationi fuit proposita, et septem invenit licitatores quorum maior obtulit scut. 18: Titius interea agebat ut eam domum habere posset non titulo emphyteusis sed titulo emptionis oblato pretio sc. 300: cum haec cognosceret ille qui maior inter licitatores extiterat, hisce tractationibus refragratus est, semet paratum demonstrans hoc in casu emendi eam domum scut. 350.

Cum haec omnia S. Congregatio rescivisset, die 4 Iulii 1864 rescripsit: *Attenta nullitate omnium actorum huc usque gestorum pro contractu emphyteusis, ac praevia reportatione praecedentis Rescripti. ..iterum affigantur Edicta pro emphyteusi... super canone non minori scut.* 18, *et Emus Episcopus de resultantem certior et hanc S. C. pro Beneplacito favore maioris ac melioris oblatoris.*

Itaque ex integro licitationi domo exposita, eam duo affectarunt, quorum unus obtulit canonem scut. 20; alter autem, qui est Titius, obtulit scut. 20: 20. Re S. C. delata Rescriptum prodiit: *SSmus annuit arbitrio Emi Ordinarii... pro petita emphyteusi., favore* (Titii) *pro annuo canone scut.* 20: 20 *in omnibus iuxta preces, salvo iure vigesimae ac sextae: hypothecato etc.*

Obtento hoc Rescripto (quod non constat an fuerit exsecutioni mandatum) Titius ad **Stipulationen!** Instrumenti non devenit, sed novas S. C. admovit preces pro oblati canonis reductione : conquerebatur enim de enormissima laesione ; eo vel magis quod aliam pecuniae vim impendere deberet in eiusdem domus instaurationem: seque pauperem esse patrem numerosae prolis affirmabat.

His receptis precibus denuo rogatus fuit Ordinarius *pro informatione et voto, auditis omnibus interesse habentibus super noviter deductis ac praevia peritorum aestimatione referat de asserta laesione.*

Hisce aliisque notitiis habitis res in consultationem de more coram plena S. C. posita est.

Disceptatio syiioptica.

EA QUAE EX OFFICIO ANIMADVERTEBANTUR. --Recolebatur initio doctrina, quam cl. Aloisius Trombetta exponit in recenti opusculo

Praxeos Regulae circa contractus etc. c. 3 *p.* 83 *n.* 33 *et seqq.* qua scilicet traditur, delatas oblationes a licitatoribus obligatorias esse, ita ut, post traditam oblationis schedulam non possit licitalorem poenitere, quamvis e contra, *re integra,* ecclesia seu locus pius possit resilire: ideoque etsi Beneplacitum Apostolicum non fuerit exsecutioni mandatum neque confectum instrumentum, non tamen ab obligatione contrahendi Titium liberum esse.

Vigente autem hac obligatione, ea principia subintrare circa canonis reductionem vel contractus rescissionem dicebantur, quae solent invocari, quando, perfecto emphyteusis contractu, Emphyteuta conqueritur de magna canonis quantitate, ut penes S. Rotam in *Camerinen. Reductionis Canonis* 15 *Mart.* 1837 *coram De Cursiis,* et in *Praenestina Reduci. Canonis* agitata penes S. C. Concilii die 28 Ianuarii 1865 (1).

In praesentia autem, habita ratione omnium aestimationum, laesionem saltem aliquam adesse videri: ac multa concurrere etiam adiuncta, ob quae, saltem ex aequitate, reductionem canonis suadere dicebantur.

EA QUAE CONTRA TITIUM SUNT ANIMADVERSA — Favore tamen pii instituti observabatur cum s. Rota in *cit. Camerinen. n.* 12: «Re-» vera quamvis aequum sit subvenire venditori laeso vel decepto;)) ipsamet tamen aequitas haud suadet, quod suppetiae ferri de-)) beant iis, qui postquam sibi, uti maiori oblatori, licitatorum j) bonorum adiudicationem obtinuerunt, deinde, sub fuco, quod se » deceperint in hastae calore, reductionem canonis urgeant cum » manifestissimo venditorum damno, qui tali modo amittunt » utilitatem, quam eisdem hastae aestus portare potuisset (2).» Eo vel magis in praesenti casu haec locum videbantur habere, quod dici non possit Titius aestu licitationis abreptus, cum

(1) **Hanc causam adduximusin** *Vol.ll. pag.* **81.**

(2) **Idem animadvertit Mastrofini in italico opusculo** *Della maniera di misurare la lesione enorme nei contratti, c.* **16** *n.* **273** *et* **274; hic enim Auctor, quamvis doceat locum dari posse laesioni in contractu rerum Imitationi expositarum, tamen adnotat: probationes erroris pretii debere esse evideutissimas; cum praesumatur, pretium in aestimatione indicatum eiusdemque quantitatem in Imitatione propositam proxime respondere vero pretio tempore contractus, ac subiungit: «quando plures imitatores certant, saepe pretium quam maxime augetur: sed id evenit ad obiectum consequendum; ideoque locus non datur querimoniis ex laesione.»**

id negotii a longo tempore ageretur, ac in ultima licitatone decem habuerit dies ad deliberandum iuxta generalia S. C. decreta.

In iisdem autem fere adiunctis, adnotabatur, S. Congregationem Concilii non concessisse reductionem canonis in *Tusculana* 8 Angusti 1863, quamvis fundus licitationi expositus fuerit .aestimatus scut. 113 et canon pervenerit ad scut. 18; neque in *Praenestina cit.* in qua fundus aestimatus fuerat scut. 102, et canon ascenderat ad scut. circiter 10.

In praesenti autem casu tantam contentionem inter licitatores non esse causa destitutam; cum rustica domus reperiretur in quadam via, quae in praesens ad negotia gerenda valde utilis reputari posset.

Hisce aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo annuendum sit reductioni canonis in » casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Episc, et Reg. re cognita die 1 Februarii 1867, respondere censuit: *negative in omnibus; et attentis peculiaribus circumstantiis, facta facultate* (Titio) *intra viginti dies recedendi ab obligatione ineundi praefatum emphyteusis contractum.*

Post hanc Resolutionem Titius petiit ac obtinuit novam audientiam: atque proposuit, ut omissa quaestione super laesione, ipsamet domus sibi venderetur pretio scut. 300: eo vel magis, quo.d de hac re tractationes antea cum Ordinario coeptae essent: idque in maiorem etiam operae piae utilitatem posse redundare.

Servatis itaque de more servandis, dubiis propositis: I. « An)> et quomodo recedendum sit a Resolutione diei 1 Februarii 1867:» et quatenus affirmative : II. **a** An et quomodo annuendum sit » venditioni pretio scut. 300 in casu:» S. Congregatio, die 13 Septembris eiusdem anni respondere censuit: Ad I. et II. *praevio recessu a decisis ex noviter deductis, affirmative pro venditione pretio scut.* 300, *stipulato Instrumento infra duos menses, supportatis omnibus expensis per emptorem et cum facultate administratoribus operae piae venditricis investiendi pretium iuxta votum Ordinarii.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. In licitatione rerum ecclesiasticarum rite facta, licitatorem, qui caeteros oblato pretio vicerit, obligatione teneri ad contractum perficiendum.

IL Neque eumdem posse conqueri de laesione post licitationem rite gestam; quamvis pretium exhibuerit, quod iusto valde maius videatur.

III. Licitatores enim libere certantes, ob rei sibi utilis consecutionem potius certare, quam ob realem eiusdem rei valorem.

EX S, CONGREGATIONE SS. RITUUM.

SERVITII DIACONALIS IN PONTIFICALIBUS FERIA V. IN COENA DOMINI

Die 13 Februarii 1868.

Compendium facti. In Metropolitana ecclesia N. Feria V. in Coena Domini, Rmo Archiepiscopo pontificante, pro SSmi Sacramenti processione ab immemorabili ea obtinet observantia, qua eidem Archiepiscopo assistentes Diaconus et Subdiaconus qui in Missa ministrant etiam in prosecutione remaneant ministraturi, recedentibus illis, qui ad sedem Archiepiscopi servitium praestiterunt.

Tribus tantum abhinc annis Archidiaconus, cui ex Caeremonialis localisque consuetudinis dispositione prima competit assistentia diaconalis ad dictam sedem, sibi persuasit deberi et sibi prosecutionem officii eiusdem ad altare in ministratione Calicis cum SSmo Sacramento et in Processione.

Cum autem hac de causa non levis exorta esset controversia in Capitulo, haec contigisse narrabantur : anno 1865 idem Archidiaconus, qui ad solium assistebat, stolam clam sub dalmatica induerat in sacrario; nullaque praevia suae intentionis significatione, excluso sub processionis initium Diacono Missae,

officium ministrationis calicis cum SSmo Sacramento peregit, caeterasque assistentias.

Insequenti anno 1866, salvis iuribus, res ita composita est, ut ipse Archidiaconus cum socio Assistentiae competentes vestes sumerent, stolaque ipse muniretur hac ratione: ipsi scilicet e proprio loco recesserunt una cum Diacono atque Subdiacono Missae ut in Sacrario unusquisque se habitu exueret, eumque mutaret, hi proprii ordinis, illi diaconalem competentem : at vero neque haec ratio agendi congrua visa est : namque longa mora non sine populi admiratione intercessit, cum sacrarium nimis distet ab altari, et quatuor exuendi et iterum vestiendi essent.

Anno denique 1867, incongruam moram vitare Archidiaconus studens, sibique suadens se stola hoc in casu non indigere, indutus ut erat amictu, rochetto, et dalmatica sine stola officium omne est exsecutus.

Cum autem controversiam enunciatam facile haud posset ex Caeremoniali Episcoporum dirimi, dictum Capitulum sacrae Rituum Congregationi statuit quaestionem exponere; et cum expressa Revmi Archiepiscopi venia et de ipsius Capituli mandato Archipresbyter Ioannes Baptista Daneri, Massarii munere fungens, octo quae sequuntur dubia S. Congregationi proposuit:

I. « Utrum sustineatur observantia qua Feria V. in coena Do- » mini, qui Diaconi et Subdiaconi in Missa Pontificali munere » functi sunt, recedentibus qui erant Assistentes ad Sedem, re- » maneant Archiepiscopo in processione Ministri et Assistentes » ex saltem probabili perantiqua Caeremonialis Episc, interpre- » tatione, aut ex immemorabili consuetudine.

II. » Sin autem dicta observantia minime sustineatur, soline » remanere debent ad latera Praesulis Diaconi Assistentes ad » Sedem, Diacono ac Subdiacono Missae recedentibus?

III. » Si soli maneant Assistentes ad Sedem, ex eis dignior » satisne paratus est sola dalmatica super rochetto, sine stola, » indutus, ut SSmum Sacramentum Archiepiscopo porrigat ab » eoque recipiat?

IV. » Sin minus, sufficitne stola super amictu et rochetto sub » dalmatica?

V. »Quo casu, quandonam ab illo stola sumenda est, anne » cum primum se parat pro Missa, an vero, immediate ante pro- » cessionem?

VI.» Si stola dumtaxat haud sufficiat, requiraturque (ut in » Portugallen. 17 Septem. 1785 decretum fuit) integer habitus » diaconalis, quo tempore dignior Diaconus amictum, albam, » cingulum, stolam et dalmaticam sumere debet, an cum pri- » mum se parat pro Missa, an immediate ante processionem ?

VII. »Si opus est primo ex eis Diaconis integer habitus » diaconalis, debetne alter coassistens eodem tempore albam » sumere?

VIII. »Quod si omnes Canonici, excepto Presbytero Assi- » stente, ad altare Sedemque servientes prope Celebrantem de- » beant remanere, utri Diacono SSmum Sacramentum porrigere » et recipere competit, anne Diacono Evangelii vel Diacono qui » fuit Assistens a dextris ad Sedem ? »

ANIMADVERSIONES.

Ab ipso Metropolitano Capitulo nonnullae eruditae animadversiones typis traditae S. Congregationi propositae sunt, quarum synopsim heic damus, inferius aducientes alias animadversiones, quas SS. Caeremoniarum Magister in voto ex officio conscripto cum sua opinione expressit.

CAPITULI ANIMADVERSIONES. — Ad haec revocari possunt ea quae Capitulum deducebat: initium sumens a generali quaestione de stolae usu in tractatione SSmi Sacramenti, animadvertebat, seclusa accidentali necessitate, seclusoque privilegio R.Pontificis cuius etiam Subdiaconus ex antiquissimo more ab altari SSmum Sacramentum ad solium Pontificium defert, libros omnes coeremoniales generatim in gestatione SSmi Sacramenti aut expresse stolam innuere aut ex generali regula supponere; in cuius rei confirmationem adducebatur Decretum in *Portugallen.* die 17 Septem. 1785: proposita enim fuerunt S. R. C. duo dubia sequentis tenoris: « I . An recipienda sit in praxi doctrina.cuiusdam » anonymi Auctoris asserentis, quod, ad deponendum SSmum Sa- » cramentum e suo eminentiori throno, parentur in Sacristia » Sacerdotes tres, unus scilicet amictu, alba, stola et pluviali; alii » vero duo assistentes pluvialibus tantum super cottas, quorum

» dignior assistens deponat Ostensorium (notetur) quin utatur » stola, quia (ait ipse Auctor) est pluviali indutus.

H. » Utrum retineri debeat, ut duo Diaconi assistentes a la- » teribus Episcopi in solemnissima Processione Corporis Christi, » et Feria V. in Coena Domini parentur amictu, alba et dalma- » tica ? Ratio est dubitandi, quia Caeremoniale Episcoporum *» cap.* 23 *et* 33 *lib.* 2, non meminit stolarum: » quibus S. C. respondit :

Ad I. *negative; et ad mentem iuxta votum Magistri Caeremoniarum; nempe vel duo assistentes sumere debere dalmaticam et tunicellam, vel alium Sacerdotem cum cotta et stola ponere et deponere debere Ostensorium cum SSMo Sacramento.*

Ad II. *Affirmative, saltem quoad primum Diaconum assistentem in omnibus functionibus in quibus ponendum sit vel deponendum SSmum Sacramentum.*

Ex huius Decreti tenore eruebat, eam esse S. C. mentem, qua exposita regula de stolae necessitate confirmetur (1).

Hisce praeiactis disquirebat idem Capitulum, quis ex tribus Diaconis, qui Episcopo pontificalia exercenti assistunt iuxta Caeremonialis Episcoporum praescriptum in Coenae Domini, Festi Corporis Christi vel alterius cuiuscumque diei processionibus cum SSmo Sacramento regulariter illud porrigere ac vicissim recipere debet tamquam minister? Facta autem distinctione inter caeremonias statutas ad *honoris obsequium* et ad *sacri ordinis*

(i) **Adducebatur etiam Decretum quod refertur iu novo opere quod scripsit Mueblbauer** *Decr. S. B. C.* **sub verbo** *stola,* **quod quidem Decretum in Gardelliniana Collectione non reperitur, quod ita se habet:**

« Emis Patribus exposui a pontificatu » Clementis VIII. abusum in Cappella » Pontificia inductum, ut scilicet primus » Cardinalis Diaconus assistens dominica » Adventus in Cappella Paulina e mani- » bus Papae custodiam SSmi Sacramenti » accipiat sine orario (idest stola diaco- » nali). Sacra igitur Congregatio iussit, » ut in posterum caeremoniarum Magi- » stri statim ac Pontifex pervenerit ad » locum, in quo Sacramentum dimittit » in manibus Cardinalis Diaconi, eius- » dem humeris aptent stolam violaceam » diaconali more ; et ita huiusmodi ab- » usum ex Apostolicarum caeremoniarum praxi omnino revocari mandavit. » Die l Decembris 1657. »

Reapse in Pontificia Cappella iuxta hoc decretum praxis servatur: animadvertendum tamen est, Cardinalem Diaconum , qi recipit SSmum Sacramentum post eam Processionem e manibus Romani Pontificis, non esse Sacro habitu indutum, et stolam more diaconali a Caeremoniario eidem imponi super Cappam.

servitium; idest inter caeremonias Episcopo praestandas ratione iurisdictionis seu ob *praesulatum,* et ratione magni sacerdotii, animadvertebat, primum caeremoniarum genus praestare eos Canonicos debere, qui extrinseca dignitate potiores censeantur; secundum autem minores Sacerdotes seu Canonicos: altaris enim ministerium per se elevat ministrorum dignitatem, quin opus habeat ut extrinseca illi fulgeant dignitate. Quare duos assistentes ad Episcopi sedem dalmatica diaconali indutos ratione praesulatus Episcopo inservire: neque eos in altaris servitio sese immiscere debere.

Quod quidem ostendere curabat ope Caeremonialis Episcoporum; maxime vero ex Romano Caeremoniali, quod fons est illius, in quo claris hisce verbis dicitur: *Prior Diaconorum, idest qui dixit Evangelium (nam ad eum spectat Pontifici ministrare) dicit etc.* Hinc concludebat, eiusmodi Diaconum in actu sacri ministerii potiorem esse habendum: et reapse ipsum diaconalem habitum integre habere, ipsum, adiuvante Subdiacono, Episcopum celebraturum parare, mitraque ornare, ante Episcopum immediate cum Presbytero Assistente Canonicorum processionem claudere, aliis duobus assistentibus Diaconis *honoris obsequium* relinquentem: quin imo eumdem Diaconum et Assistentem Presbyterum utrinque Episcopum Missam incipientem medium habere, retrocedentibus solii Diaconis, et si Cleri communio fiat primum eumdem esse communicandum sequente eius socio Subdiacóno.

Huic Evangelii Diacono, prosequebatur, passim *in Caerem. Rom.* tribui praecedentiae honorisque significationes prae caeteris, ut in *lib.* 3 c. 4 *et c.* 14 *I. % c.* 14 *et* 54: exinde autem derivare ea quae, in *Caer. Episc. L* 1 *c.* 8 *n. S,* statuuntur, videlicet: « *Regulariter cum Episcopus est apud altare, serviet ei Diaconus Evangelii; cum vero est apud Sedem, serviunt ipsi Assistentes, nisi ubi necessitas aliud suadeat, ut post Purificationem altaris, quia tunc primus Diaconus assistens imponet ei biretum et mitram, cum Diaconus Evangelii tunc sit impeditus cum thuribulo.* »

Nec ex alia causa repetendum videri S. Congregationis responsum datum in *Cesenaten.* 19 Aprilis 1868 *ad dubium V.* cuius haec fuit dubitandi formula : « In Ordinatione solemni fa-
» cienda Pontificale Romanum non explicat, quinam debeant

» esse ministri parati Episcopo servientes; sed indistincte loqui-
» tur de ministris. Quaeritur: an, accedente Episcopo a Sede
» ad Altare pro Ordinibus conferendis, duo Diaconi assistentes
» debeant illi inservire, cum haec actio non sit pars Missae; an
» vero Diaconus Evangelii et Subdiaconus , quia Episcopus in
» Altari habet Ordinationes; cui S. Congregatio respondit: *convenientius ministrari per Diaconum Evangelii, et Subdiaconum; quia ipsi sunt, qui ministrant, alii vero Diaconi solummodo dicuntur assistentes.*

His generatim animadversis ad peculiarem quaestionem ille, qui Capituli nomine haec scripsit, gradiebatur circa interpretationem textus^Caeremonialis Episc. /. 2 c. 23 *n.* 12, ubi Caeremoniale designans quis inter Diaconos debeat, Fer. V. in Coen. Dom. pro incipienda processione, afferre Episcopo celebranti SSmum Sacramentum his utitur verbis : *Diaconus assistens et non alius.*

Apprime autem animadvertebam nomen *Assistens* idoneum esse ad designandum non solum specialem *titulum,* sed etiam *actum:* in praesentia autem *Diaconi assistentis* nomine designari contendebat Diaconum Evangelii; tum quia hic est unicus, cum duo sint Diaconi solio assistentes; tum etiam quia hic est *qui assistit* dum Episcopus facta thurificatione surgit, ut ascendat, eodem fere modo quo initio Missae pontificalis Episcopo assistit ascendenti ad altare; tum quia inferius *cit. loc.* subiungit: *Ministri assistentes hinc inde elevant fibrias anteriores pluvialis:* ministrorum autem nomen proprium esse Diaconi et Subdiaconi; tum quia alibi ita intelligi debeat Caeremoniale per eadem verba, ut cum ait de processione in festo Corporis Domini, *Diaconus assistens a dextris accedet ad altare:* item in Parasceve *n.* 32, *Diaconus Evangelii.., accipit SSmum Sacramentum de manu Episcopi.* Hoc autem posito facile etiam intelligi quinam sint qui excludantur per supra citata verba : *et non alius:* excludi nimirum alios Diaconos, aut Sacerdotem cotta stolaque munitum, qui admittitur in consuetis Benedictionibus ut in citata *Portugallen.;* excludi quemvis Cappellanum aut Sacristam, ut responsum fuit in *Mexicana* 16 Decemb. 1828 pro Feria VI. in Parasceve, ubi S. C edixit; *Excluso Cappellano, calix extrahatur et deponatur a Diacono iuxta Rubricas;* ***et*** *ia Angelopolitana* 11 Septem. 1847 *esse officium Diaconi et non Sacristae.*

Haec autem confirmabat Auctorum quorumdam sententiis : ita enim visum fuisse adnotabat Paridi de Crassis, qui communem praxim repraesentat ex Caer. Rom. priusquam Caèr. Episc. Pontificia auctoritate publicantur; ita visum esse Rubricarum expositori Michaeli Bauldry, qui supra dicta verba sic est interpretatus: *Diaconus Evangelii et non alius:* et post pauca: *Ministri assistentes hinc inde elevant fibrias anteriores Pluvialis, scilicet Diaconus et Subdiaconus, duobus aliis suo ordine procedentibus.*

Hisce autem perpensis adnotabat, cum non omnes de hac sacra functione ritus Caeremoniale singillatim designet, varias quidem exortas esse observantias, easque commemorabat, nimirum : primam, quae conformior est Caeremoniali Romano Ritibusque in Parasceve praescriptis, rem sic ordinare, ut inter omnes Capitulares paratos et Episcopum celebrantem Diaconus et Subdiaconus, ministri scilicet Missae, in processione locentur, hinc inde praestantibus Episcopo *honoris obsequium* duobus Diaconis, qui solo *Assistentium* nomine appellantur; Missae Diaconus Episcopo in altari *assistens* ministret et *non alius.* Alteram consuetudinem aliis in locis esse, ut recedant Diaconus et Subdiaconus, praesertim quando Missam alius ab Episcopo celebraverit, suo ordine ituri in processione, facta simplici substitutione , et Diaconus primus, qui administraturus subintrat, munitus sit stola: alibi vero, ut in praesenti Capitulo, usuvenire, ut Diaconi assistentes proprie dicti recedant suum ordinem in processione servaturi, manentibus ad latera Episcopi Canonicis, qui Diaconi et Subdiaconi ministerio in Missa functi sunt.

Post haec Capitulum, seu ille qui has eruditas animadversiones conscripsit, ad reiiciendas difficultates gradiebatur: praesertim eam, quae prima fronte oritur ex S. Congregationis responso in *Nullius Altemarae* die 1 Martii 1681, ubi proposito dubio: « Celebrante Praesule in solemnitate Corporis Christi, quisnam » debeat recipere de manu celebrantis SSmum Sacramentum , » et deponere super altare, an scilicet Canonicus cantans Evan- » gelium indutus alba, stola, et dalmatica, et solitus ministrare » in altari; an vero Diaconus assistens in throno, indutus tan- » tum dalmatica? » cui S. C. respondit: *Diaconus assistens a dexteris tradere debet SSmum Sacramentum Praesuli celebranti et ab illo illud recipere.*

Observabat autem Capitulum, fortasse in praesenti casu de ecclesia agi in qua consuetudo viguerit faciendi Ministrorum substitutionem, quo casu, stola suscepta, Diaconum throno assistentem rite potuisse SSmum Sacramentum Praesuli celebranti tradere, et ab illo recipere.

Minus etiam negotium facessere tres alias declarationes, quae fortasse obiici possent, in *Alexandrina* 6 Maii 1826, *in Pisana* 12 Nov. 1831 et in *Viglevanen.* 6 Sept. 1834, in quibus casibus S. C. se referens ad Caeremoniale Episcoporum, mandavit, ut illud servaretur; et errare visos esse Gardellinium, seu auctorem adnotationis factae decreto in *Alexandrina,* nec non Catalanum in Com. *ad Caer,* ubi de Feria V. in coena Domini agitur, non admodum fortasse advertentes ad ea quae idem Caeremoniale statuerit in Parasceve, ubi clare indigitatur *Diaconus Evangelii.*

VOTUM MAGISTRI CAEREMONIARUM EX OFFICIO CONSCRIPTI. — Caeremoniarius breviter describens quaestionis statum in eamdem Capituli sententiam concedebat ob unicam consuetudinis rationem, quae cum in praesenti casu rationabilis esset, non multum expendere curavit, quid esset sentiendum, praecisione facta a consuetudine.

Animadvërtebat autem circa stolae necessitatem, generalem traditam regulam veram esse, non ita tamen, ut ea exceptionem admittere non possit: eamque exceptionem dari posse in processione Feriae V. in coena Domini, ubi Canonici omnes sunt sacris amicti, et primus solii Diaconus Dalmatica, quae loco stolae retinetur, indutus est: tradere ideoque sine stola posse Calicem cum SSmo Sacramento sicut fit in Pontificia Cappella, non solum ex proprii Caeremonialis ritu, sed etiam ex nonnullarum Cathedralium observantia; concordante simul tam Caeremoniali ecclesiae Romanae ordinato ab Augustino Patritio et edito a Marcello Episcopo Corcyrensi, quam Caeremoniali Episcoporum, utroque praescribente, ut per *Diaconum assistentem* tradatur SSmum Sacramentum, nullo verbo facto de stola gestanda.

Adnotabat insuper processionem esse actum a praecedenti Missa omnino diversum, ideoque invocari non posse utiliter distinctionem inter *honoris obsequium,* et *sacri ordinis servitium:* in unaquaque siquidem sententia, Missa solemni completa, vel

Diaconos solii, qui dicuntur exhibere obsequium honoris, recedere et in processionis actu iuxta suam praecedentiam cum caeteris incedere ac locum praebere Diacono et Subdiacono qui ordinis ministerium exercuerunt et exequi prosequuntur; vel istis in Sacrarium ad sacras vestes exueïîdas recedentibus, illos succedere, qui honoris obsequio ordinis officium superaddunt.

Quoad illa autem Decreta S. Congregationis, quae superius tanquam difficultates sunt indicata, quamvis ea localia fuerint, et subobscurae Caeremonialis Rubricae innixa, tamen ex integro contextu alteri potius opinioni deductionibus Capituli adversae favere censebat.

Sed vigente consuetudine immemoriali, quae non procedat contra apertam Caeremonialis legem, eam servandam et rationabilem esse habendam idem Caeremoniarum Magister opinabatur: eaque servata iam esse provisum caeteris dubiis.

His aliisque animadversis et S. C. R. propositis re discussa in comitiis ordinariis habitis die 29 Februarii 1868 S. Congregatio rescribere censuit: Ad I. *in casu de quo agitur nihil esse innovandum:* ad reliqua dubia: *provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quamvis generatim in gestatione Sanguinis et Corporis Dominici ministri sacra stola superindui esse debeanti quae sacrum propriumque signum est sive Sacerdotii, sive ordinis diaconalis: nihilominus dari sacras functiones, iii quibus satis esse videatur diaconalis Dalmaticae habitusi ut Diaconus eadem gestare possit sacramenta.

II. Quamvis autem Feria V. in Coena Domini convenientius videatur, ut Diaconus Evangelii, Episcopo celebranti tradat ipse SSmum Sacramentum in processione gestandum : nihilominus, Coeremoniali Episcoporum non omnes functionis actus singillatim describente, et deficiente generali decreto S. R. G. quod eos accurate determinet, utramque auctorum diversam sententiam posse sustineri.

III. Eam autem in facto sententiam esse sequendam cui, singulis in ecclesiis, faveat observantia.

In eadem Congregatione, praeter caetera, definita sunt dubia causas Servorum Dei respicientia, eaque sunt quae sequuntur.

STRIGONIEN, SEU CASSIOVIEN. Beatificationis seu Declarationis Martyrii VV. Servorum Dei Marci Crisim Canonici Strigoniensis, Stephani Porgraz et Melchioris Crodeczii Sacerdotum e Societate Iesu Cassoviae in odium Fidei ab haereticis interfectorum. Instante Revmo P. Iosepho Boero Causae Postulatore.

Super dubio : « An constet de validitate Processuum tam » Apostolica, quam ordinaria auctoritate constructorum; an testes » sint rite ac recte examinati ac iura producta legitime com» pulsata in-casu et ad effectum de quo agitur: » cui S. Congregatio re de more discussa die 29 Februarii 1868 respondit: *affirmative.*

TOLETANA SEU CORDÜBEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis de Avila Presbyteri Saecularis, Magistri nuncupati. Instante Revmo P. Andrea a s. Agnete Vicario Generali Ordinis Excalceatorum SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum Causae Postulatore.

Super dubio : « An constet de validitate Processuum tam » Apostolica quam ordinaria auctoritate constructorum super » miraculis praedicti Ven. Servi Dei; an testes sint rite ac recte » examinati ac iura producta legitime compulsata in casu et ad » effectum de quo agitur:» cui dicta die Emi Patres rescribendum censuerunt: *affirmative.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

Post Emorum Patrum creationem cuius notitiam dedimus in praecedenti fasciculo plures vacantes Ecclesias SSmus D. N. in Consistorio eodem secreto diei 13 Martii proposuit quae donatae sunt proprio Pastore; proposuit scilicet:

CATHEDBALEM ECCLESIAM SALAMANTIN. cui ex Apostolicis Literis « *Ad vicariam* » datis nonis Septembris 1851 altera Civitatensis Ecclesia est unienda, vacantem per translationem R. P. D. Anastasii Rodrigo Yusto ad metropolitanam Sedem Burgensem; ad illam translatus est R. P. D. Ioachim Lluch hactenus Canarienses Antistes, ex benignitate SSmi D. N. ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae.

Salmantia caput eiusdem nominis provinciae et Castellae veteris urbs amoeno fertilique in loco ad fluvium *Tormes* aedificata, a sexdecim incolarum millibus inhabitatur sub temporali dominio dictae Serenissimae Reginae Catholicae.

Cathedralis Ecclesia peramplae, magnilicaeque structurae, Bmae Virginis Mariae in coelum assumptae titulo, iuxta praecitatas Literas Apostolicas, Vallisoletano Archiepiscopo suffragari debet.

Eius Capitulum ex memoratis Literis Apostolicis quinque adnumerare debet dignitates (quarum post pontificalem prima sit Decanatus), quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de officio,* novem *de gracia* et quatuordecim Beneficiatus.

Per Parochum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc.

Praeter Cathedralem aliae viginti duae recensentur Salmantiae paroeciales Eclesiae baptismali fonte munitae, plures mulierum religiosae domus, nonnullae laicorum sodalitates, duplex nosocomium, hospitium, atque seminarium; alterum insuper seminarium est in Civitate Regia, cuius Ecclesia Cathedralis ad Collegiatam redacta est ex recensitis Literis Apostolicis; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad ducentas nonaginta leucas quadratas protenditur, totidem sub se complectitur paroeciales Ecclesias, ac centum quadraginta filiales.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CASSOVIEN. vacantem per obitum bo. me. Ignatii Fabry ultimi illius Episcopi " extra Romanam Curiam defuncti, ad quam promotus est R. D. Ioannis Perger Presbyter dioeceseos Cassoviensis ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem S.Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici: idem Praesbyter in albo cleri ecclesiae Agriensis adscriptus, in ecclesiasticis obeundis officiis apprime emicuit, in animarum curae ministerio olim tamquam cooperator versatus, studiorum Praefectus, ac iuris canonici Professor in Seminario adlectus est; Parochus dein Nyiregyhàzensis, Archidiaconus Szabolesensis ac insuper Canonicus metropolitanae ecclesiae Agriensis ad praesens usque renunciatus est.

Cassovia una ex praecipuis Hungariae superioris urbibus in Comitatu Abaujvar amoena in planitie collibus vitiferis cincta aedificata, mille et quingentas continet domos, septemdecim mille numerat cives, qui fere omnes catholicam religionem profitentur sub temporali dominio dicti Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia recens reconstructa S. Elisabeth Andreae Regis filiae titulo, amplam, gothicamque praeseferens structuram Agriensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum septem enumerat Canonicos, et hos inter quatuor dignitates (quarum post pontificalem prima est Praepositum maior), duos item Cappellanos, novem Presbyteros et ultra quadraginta Clericos sacris inservientes; praebendae autem theologalis ac poenitentiaria desiderantur.

Per unum ex Canonicis a quinque Presbyteris adiutum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis unicus in urbe, etc.

Nulla alia reperitur Gassoviae paroecialis aut Collegiata Ecclesia, nullum laicorum sodalitium, nec mons pietatis, sed duplex pro viris et unum pro mulieribus monasterium, bina item nosocomia atque seminarium cum alumnis.

Dioeceseos ambitus satis late patet, ultra nongenta sub se complectitur loca, et fere ducentas paroeciales ac totidem filiales Ecclesias.

CATHEDKALEM ECCLESIAM POPAIANEN. in Neogranatensi ditione Americae meridionalis, vacantem per obitum bo. me. Petri Antonii de Torres ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad eam promotus est R. D. Carolus Bermudez Presbyter archidioeceseos S.Fidei,qui in ecclesiasticas obeundasfunctiones laudabiliter incubuit; Parochus de Nemocon in archidioecesi S. Fidei de Bogota usque in praesens renunciatus est.

Popayanum provinciae cognominis caput et urbs Neogranatensis ditionis in America meridionali, antiquitate, ac aeris salubritate conspicua, amoeno in .loco iuxta fluvium S. Marthae aedificata, duorum fere milliariorum est ambitus, eamque decies fere mille incolunt cives catholicam religionem profitentes.

Cathedralis Ecclesia, Bmae Virgini Mariae sub titulo Annuntiationis dicata, Archiepiscopo S. Fidei de Bogota suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates (quarum post pontificalem prima est Decanatus) Canonicos theologum ac poenitentiarium, duos alios Canonicos portionarios, ac binos semiportionarios, sex insuper cum coeremoniarum magistro, ac vice-cantore Cappellanos divinis inservientes.

Per Presbyterum Curatum a duobus aliis Sacerdotibus adiutum animarum cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. et plures sunt sanctorum reliquiae, praesertim S. Barbarae dioeceseos Patronae, decenter adservatae et extra urbem coemeterium.

Nulla alia reperitur Popayani paroecialis Ecclesia, nec mons pietatis, sed quaedam pro mulieribns religiosae domus, nonnullae laciorum sodalitates, nosocomium atque seminarium.

Dioeceseos ambitus latissime patet, pluraque sub se complectitur loca, plurimasque paroecias.

ECCLESIAM MEDDEIEN. ET ANTIOCHEN. a primaeva erectione sua vacantem; namque SSmus D. N. per decretum S. Congregationis Consistorialis, *Apostolici ministerii munus,* die 14 Februarii 1868 Sedem Episcopalem Antiochensem, vacantem per obitum bo.me. Iosephi Antonii Riaño, suppressit et transtulit ad civicum oppidum Meddelense, quod ad urbis et cathedralitatis dignitatem evexit cum coniunctione tituli suppressae ecclesiae: ad eam ecclesiam promotus est R. D. Valerius Antonius Iimenez Presbyter dioeceseos Antiochensis, qui in facultate theologica laurea doctorali donatus in ecclesiastica perfungenda officia apprime incubuit; in urbe cui nomen *Marinella,* plures annos Parochum agens, tum Vicarii Foranei tum praedefuncti Antistitis Antiochensis Vicarii Generalis ac denique Vicarii Capitularis munere perfunctus est.

Urbs Meddelensis, vulgo *Medellin,*

caput provinciae *Cundinamarca* in ditione Neogranatensi Americae meridionalis, ac medio in dioecesano territorio sita, tum probata aeris salubritate, tum populorum frequentia, ac praecipua negotiorum gestione Antiochiam praecellens , a quatuordecim et amplius inco larum millibus inhabitatur, qui catholicam religionem profitentur.

Templum Beatissimae Virginis Mariae Purificationi dicatum ad Cathedralitatis honorem evectum est, prisco retento titulo, et Archiepiscopo Sanctae Fidei de Bogota suffragabitur.

Capitulum erigendum erit ad instar suppressae sedis Antiochensis Capituli, quod quatuor recensebat dignitates, quarum post pontificalem prima est Decanatus , octo cum utraque praebenda Cáuonicos, ac nonnullos Cappellanos et Clericos divinis inservientes.

Parochialitas in Cathedrali existens vel inibi asservabitur, vel alio commodius transferetur ad libitum praecitati decreti Exequutoris Apostolici.

Sacrarium sacra erit instructum suppellectili pro pontificalibus praesertim obeundis, ac praesto erunt chorus, organum, ac caetera ad Cathedralem Ecclesiam spectantia.

Aedes pro Episcopi habitatione, quoad fieri poterit, Cathedrali proximae erunt comparandae.

Fructus taxati sunt in libris Camerae ad Florenos 33 \.

Seminarium dioecesanum in suppressa sede Antiochensi perdurabit usquedum in urbe Meddelensi instituatur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, plura sub se complectens loca , plurimasque paroecias.

Denique Sanctus Pater electiones patefecit quae per Sacram Congregationem de Propaganda Fide suum iam fuerant effectum consequutae quibus scilicet Pastore donatae sunt sequentes ecclesiae.

ECCLESIA CATHEDRALIS BUSCODUCEN. in Hollandia cui praefectus est R. P. D .Ioannes Zwysen, qui in praesentia eam episcopalem sedem administrabat, translatus ex ecclesia metropolitana Ultraiecten.

ECCLESIA MARÏSUILLEN. recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica S. Francisci in statibus Americae foedere iuuctis, cui praefectus est R. P. D. Daniel O' Connel Vicarius Apostolicus eiusdem Vicariatus translatus ab ecclesia Flaviopolitana.

ECCLESIA COLUMBEN. recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica Cinncinatensi in statibus Americae foedere iunctis, cui praepositus-estR.P.D. Silvester Horton Rosecrans, Auxiliaris Archiepiscopi Cincinnatensis translatus ab ecclesia Pompeiopolitana.

ECCLESIA WILMINGTONEJV. recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica Baltimorensi in iisdem Americae statibus cui praepositus est R. D. Franciscus Beeker Sacerdos dioecesanus Richmondiensis.

ECCLESIA SERANTONEN. recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica Baltimorensi in iisdem statibus, cui praefectus est R. D. Guillelmus O'hara Sacerdos Philadelphiensis.

ECCLESIA HARRISBÜRGEN, recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica Baltimorensi in iisdem statibus cui praefectus est R. D. Hiereraia Shanahan Sacerdos Philadelphiensis.

ECCLESIA GREAN BAY recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica s. Aloisii in iisdem statibus, cui

praefectus est R. O. Ioseph Melcher, Sacerdos s. Aloisii.

ECCLESIA CROSSEN, recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica s. Aloisii in iisdem statibus, cui praefectus est Michael Heiss, Sacerdos dioecesanus Milvachiensis.

ECCLESIA s. IOSEPHI, recens in Cathedralem erecta in provincia ecclesiastica s. Aloisii in iisdem statibus, cui praefectus est R. D. Ioannes Hogan, Sacerdos Archidioecesis s. Aloisi.

ECCLESIA ROCHESTEREN. recens in cathedralem erecta in provincia ecclesiastisca Neo-Eboracensi in iisdem Americae statibus, cui praefectus estR. D.Bernardus Mae Quaid, Sacerdos dioecesanus Nevarcensis.

Die autem 16 Martii post publicum Consistorium, SSmus habuit Consistorium secretum, in quo, consuetis caeremoniis celebratis, os scilicet claudens novis purpuratis Patribus, sequentes proposuit vacantes ecclesias:

METBOPOLITANAM ECCLES, DE Quiro in ditione Aequatoriana Americae meridionalis vacantem per obitum bo. me. Iosephi Mariae Yerovi ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti ad quam ecclesiam translatus est R. P. D. Iosephus Ignatius Checa Antistes Ibarrensis.

Quitum Aequatorianae ditionis urbs in America meridionali et Pechinchinae provinciae caput, amoeno salubrique sub coelo aedificata, ab octoginta circiter catholicorum incolarum millibus inhabitator*

Metropolitanae Ecclesiae, optimae ac satis amplae structurae, S. Francisci Assistatis titulo, quinque suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, (quarum post pontificalem prima est Decanatus), sex cum theologoac poenitentiario Canonicos, quatuor Praebendatos ac duos medios, sex insuper Cappellanos de choro, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per duos Parochos animarum cura in ipsa metropolitana exercetur, ubi fons adest baptismalis eleganti in cappella adservatus etc. et plures sunt Sanctorum reliquiae decenter custoditae, atque extra urbem coemeterium.

Sex aliae recensentur Quiti paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, novem pro viris et quinque pro mulieribus monasteria, puellis instituendis pia domus, nonnullae laicorum sodalitates , nosocomium pro utroque sexu , collegium atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Archidioeceseos ambitus latissime patet, ac plures provincias, plurimaque sub se complectitur loca.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM ANCYRAN. vacantem per translationem R. P. D. Vincentii Spaccapietra ad metropolitanam Sedem Smyrnensem; ad eam promotus est R. P. D. Iacobus Cattani Presbyter dioeceseos Faventinae, qui in philosophica et theologica facultate in Pontificio Seminario Romano doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus apprime emicuit; inter Praelatos domesticos SSmi D. N. cooptatus, in Patriarchali Archibasilica Lateranensi Canonicus effectus, et in Haga apud Hollandos Apostolici Internuntii munere huc usque est perfunctus.

Ancyra primaria Galatiae urbs Concilio Ancyrano clara , adhuc infidelium iugo miserrime subest.

EPISCOPALEM ECCLESIAM COWSTAN'IIEN. sub Archiepiscopo Bostren. in par-

tibiis infidelium vacantem per obitum bo. me. Vincentii Paccaroni ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, ad quam promotus est R. D. Carolus Andrea Anthonis Presbyter Archidioeceseos Mechliniensis, qui deputatus erat Auxiliaris R. P.D. Victoris Augusti Isidori Dechamps Arcciepiscopi Mechliniensis ad pontificalia caeteraque pastoralia munera in hae urbe et archidioecesi obeunda de huius consensu ac libito: idem Presbyter in ecclesiastica perfungenda officia sedulo incubuit, in seminario archidioecesano Mechliniensi sacrae Scripturae Professor, eiusdemque Rector usque in praesens, necnon Canonicus ad honorem in ea metropolitana renunciatus erat.

Constantia urbs Coelesyriae in parte Palestina^ regionis, nota ex libris Conciliorum, adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Post haec SSmus Pater novas electiones Episcoporum patefecit, quae factae sunt per S. Congregationem de Propaganda Fide, quae sunt sequentes:

ECCLESIA CATHEDRALIS LODOVICOPOLITAN. **in statibus Americae foedere iunctis, cui praefectus est R. D. Guillelmus Mac-CIoskey Rector Americani Collegi quod Romae extat pro iisdem Americae statibus.**

ECCLESIA CATHEDRALIS ERIEN. **in eisdem statibus, cui praefectus est R. D. Tobia Mulier Sacerdos Pittsburgensis.**

ECCLESIA. CATHEDRALIS BUFFALEN. **in iisdem Americae statibus, cui praefectus est R. D. Stephanus Vincentius Ryan ex congregatione Missionis.**

ECCLESIA EPISCOPALIS ADRAMTTTEN. **in partibus infidelium cuius titulus collatus est R. D. Iacobo Gibbons Sacerdoti Baltimorensi et Vicario Apostolico Carolinae Septemtrionalis.**

ECCLESIA EPISCOPALIS CASJABALEN. **in partibus infidelium cuius, titulus collatus est R. D. Ludovico Lootens Sacerdoti s. Francisci Vicario Apostolico Territorii Idaho.**

ECCLESIA EPISCOPALIS EPIPHANIEN. **in partibus infidelium cuius titulus collatus est R. D Ioanni Proietto Mackebeuf Sacerdoti Sanctae Fidei Vicario Apostolico territorii Colorado et Utah.**

ECCLESIA EPISCOPALIS LIMÏREN. **in partibus infidelium, cuius titulus collatus est R. D. Augusto Ravoux Sacerdoti dioecesano s. Pauli de Minesota Vicario Apostolico Territorii Montanae.**

ECCLESIA EPISCOPALIS PENTACOMIEN. **in partibus infidelium, cuius titulus collatus est R. P. Michaeli Angelo a Serevezza, cui nativitatis nomen est Aloisius Iacopi, Sacerdoti Professo Ordinis Seraphici Capucinorum, Vicario Apostolico Agrensi.**

ECCLESIA EPISCOPALIS RHODIOPOLITAN. **in partibns infidelium, cuius titulus collatus est R. P. Paulo a Cesena, cui nativitatis nomen est, Antonius Tosi, Sacerdoti Professo eiusdem, Ordinis Vicario Apostolico Patana.**

Inde SSmus Pater iuxta morem os aperuit Emis et Revmis Cardinalibus Bonaparte, Gonella, Berardi, Monaco La Valletta, Borromaeo et Capalti.

Post haec eidem SSmo Patri petitio sacri Pallii facta est pro ecclesia Metropolitana de Quito seu pro R. P. D. iosepho

Ignatio Checa; item pro ecclesia Ultraiectensi seu pro R. P. D. Andrea Schaepmann; item pro R. P. D. Filippo Krementz praeposito Cathedrali Varmiensi, quae hoc privilegio acuta est a Benedicto XIV. per Breve: *Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra,* diei 21 Aprilis 1742.

Denique idem SSmus Pater anulum Cardinalium novis purpuratis Patribus immittens Titulos iisdem assignavit, scilicet, Titulum s. Pudentianae Emo et Revmo Cardinali Bonaparte: Titulum s. Mariae supra Minervam Emo et Revmo Card. Gonella; Titulum ss. Marcellini et Petri Emo et Revmo Cardinali Berardi, eumdem solvens a vinculo ecclesiae Archiepiscopalis Nicen. in partibus infidelium: Titulum s. Crucis Hierosolimitanae Emo et Rmo Cardinali Monaco La Valletta; Titulum Diaconiae SS. Viti et Modesti Emo et Revmo Cardinali Borromaeo; Titulum diaconiae s. Mariae in Aquiro Emo et Revmo Cardinali Capalti.

Heic adiicimus descriptionem Metropolitanae Ecclesiae Mechliniensis, quae inconsulto fuit omissa in actis quae retulimus^. 437 Consistorii Secreti diei 20 Decembris 1867.

METBOPOLITANAM ECCLES. MECHLINIEN, **vacantem per obitum clar. mem. Engelberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis Stercbx, ad quam translatus est R. P. D. Victor Augustus Isidorus Dechamps hactenus Namurcensis Antistes.**

Machlinia vel Mechlinia ampla et praeclara urbs Belgii et caput districtus eiusdem nominis in provincia Antuerpiensi ad Dyliam flumen aedificata, a triginta sex circiter civium millibus iuhabitatur.

Metropolitanae Ecclesiae, S. Rumoldi Episcopi Dublinensis et Martyris titulo, quinque suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum tres recenset Dignitates, (quarum post pontificalem prima est Decanatus) tresdecim cum utraque praebenda Canonicos titulares, octodecim honorarios, quinque Cappellanos, pluresque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Canonicum honorarium, qui et Parochus plebanus, a quatuor Vicariis adiutum, animarum cura exercetur eadem in Ecclesia, ubi fons adest baptismalis etc. et plurimae sunt insignes Sanctorum reliquiae, quas inter Corpus S. Rumoldi civitatis et archidioceseos Patroni, religiosissime adservatae, atque extra urbem coemeterium.

Septem aliae praeterea recensentur Mechliniae Paroeciales Ecclesiae baptismali fonte, una excepta, munitae; tria pro viris ac undecim pro mulieribus monasteria; conservatorium, viginti quinque laicorum sodalitates, quatuor nosocomia, mons pietatis atque duplex peramplum seminarium.

Archidioeceseos ambitus ad viginti circiterleucas iu latitudinem protenditur: Antuerpiensem ac Barbantinam meridionalem complectitur provincias, et ultra sexcentas sub se continet paroecias.

APPENDIX XI.

CIRCA MANUALIA MISSARUM STIPENDIA, NOVA QUAESTIO.

Anno 1860 haec s. Poenitentiariae Apostolicae dicantur proposita: «Potest ne Sacerdos curare, ut Missae manuales, quas a fidelibus undique celebrandas accipit, per alios celebrentur, *retenta parte stipendii pro bono opere?* Semper intelligitur Sacerdotes substitutos certiores fieri de partis retentione et consensum libere dedisse.

» Orator arbitratur non licere, et casum comprehendi in prohibitione Constitutionis Benedicti XIV. *Quanta cura,* aliorumque Pontificiorum Decretorum. Sed cum aliquibus aliis secus videatur ex eo, quod *de pio opere* agatur, a Sacra Poenitentiaria quaerit:

I. «Utrum Sacerdos, qui stipen-
» dio solito pinguius accepit, pos-
» sit in gratiam pii operis alteri
» Sacerdoti ordinarium stipendium
» dare (quo substitutus cum omni-
» moda libertate contentus est) re-
» tinendo partem taxa ordinaria
» maiorem.

II. » Utrum Sacerdos possit sibi
» alium Sacerdotem substituere, ea
» lege, ut aliquam partem stipendii
» ordinarii in gratiam *pii operis* de-
» terminati remittat.

III. » Et quatenus *negative* in
» utroque casu, utrum Sacerdos ita
» agens ad restitutionem teneatur.

IV. «Utrum Sacerdos petens hu-
» iusmodi donationem debeat prius
* illi totum stipendium tradere.

V. »Et quatenus *affirmative,* utrum
» Sacerdos aliter agens ad restitu-
» tionem teneatur.»

Haec dubia Sacra Poenitentiaria ad S. Congregationem Concilii solvenda remisit.

Sacra autem Congregatio Concilii die 20 Augusti 1860 respondit: *Consulat Theologos, praesertim s. Alphonsum Tractatu* 13 *De Sacramento Eucharistiae Cap.* 7, *et Benedict.XIV. de Syn. Dioeces, lib.* 5 *Cap.* 9 *et eius Constit.* Quanta Cura, *eorumque sententiis se conformet.*

Hoc tamen Rescriptum non potuimus reperire in tabulario S. C. ob dioecesim non indicatam: quae indicatio necessaria est quando causa non est pertractata in plena Congregatione, ut facilius reperiatur.

Eiusmodi prudentialis responsio quae ex auctoritate S. C. C. prodiit, quaeque quaestionem non definivit, occasionem dedit etiam dari nominis Scriptoribus, quaestionem praesertim in Gallia vigentem pertractandi , de qua re consuli possunt Ephemerides: *Revue de Sciences ecclésiastiques, dirigée par M. V Abbé D. Bouix* - Arras an. 1866 in fasciculo mensis Iunii.

Nos autem more nostro breviter considerabimus eamdem expositam quaestionem iuxta indicatas normas. S. Alphonsus innixus S. Sedis decretis et Constitut. Benedicti XIV., ad rem *in Lib.* 6 *n.* 321

haec tradit: «Qui pecuniam ab alio » accepit, ut pro illo celebret, aut » fieri curet, *per se loquendo,* potest curare Missam per alium bonum Sacerdotem dici, minus dando, quam accepit. Dixi *per se ;* » quia Urbanus VIII. ob speciem » turpis quaestus id fieri vetuit.... » in Decreto S. C. Concilii adprobato ab Urbano VIII. et confirmato ab Innoc. XII... sic sancitum fuit: *Omne damnabile lucrum » ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, » parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.* Post » hoc Decretum aliqui eliam contendebant licitum esse retinere » partem eleemosynae, celebratione alteri commissa, asserentes » non fuisse hoc Decretum acceptatum (1). Ideoque praefatus Alexander VII. proscripsit prop. 9 » quae dicebat: *Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* » Hinc noster SS.P. Benedictus XIV. » in sua Epistola Encyclica emanata die 30 Iunii 1741, quae incipit: *Quanta cura,* ut metu poenae facilius ab huiusmodi turpi » quaestu fideles amoveret, praecepit Ordinariis, ut per edictum » notum facerent, *quemcumque* (sunt » verba Epistolae), *qui stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, » quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, » colligens Missas, retenta sibi parte eorumdem stipendiorum acceptorum, » sive ibidem sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia tribuuntur, celebrari fecerit, laicum » quidem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, Clericum vero, » sive quemcumque Sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere, a » quibus nullus praeter alium quam » per Nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentenlem » nisi in mortis articulo constitutus » absolvi possit.*

» Ab hac tamen prohibitione excipiunt L... casum quo aliquis daret maiorem stipem non tam intuitu Missae, quam amicitiae, » paupertatis, gratitudinis, propinquitatis etc. potest enim tunc Sacerdos exscessum retinere, committendo alteri Missae celebrationem.

(i) Eiusmodi assertores, qui ita loquuntur de Sanctae Sedis decretis, si simplicitate aliqua excusari non possint, existimandi sunt infecti Iansenianis vel Gallicanis erroribus. Haec ipsa enim ratio loquendi *Decretum S. Sedis non fuit acceptatum* **aures catholicas offendit; et quidem merito: namque absonum est Decreta S. Sedis ita considerare, quasi vero eorum vis acceptatione fidelium indigeat. Apostolica enim auctoritas Beato Petro eiusdemque successoribus divinitus collata, tanta intensitate et amplitudine fulget, ut, quasi diceres, vix eiusdem Decreta aliqua promulgatione indigeant ad omnes obstringendos fideles quavis dignitate praestantes.**

» Hoc vero non admittit *Croix* » 1. c. *cum Stephano,* nisi dans eleer » mosynam hunc suum specialem » affectum verbis expresserit ; sed » haec limitatio superflua videtur, » si ex circumstantiis moraliter con- » stet eleemosynam praestitam fuisse » intuitu personae.

» Excipiunt II... casum quo Sa- » cerdos, cui committitur celebra- » tio, liberaliter et omnino sponte » tibi condonet excessum illum ; » sicut enim ille potest totum re- » mittere, sic et partem. Yerunta- » men hoc minime admittendum, » si tu indices maius pretium acce- » ptum et Sacerdotem roges ut re- » mittat; vel ab eo quaeras, an » consentiat, et tu partem retineas; » tunc enim nequis eam retinere, » etiamsi ille annuat ; nam hoc in » praefata Bulla Bened. XIV. as- » seritur tanquam execrabilis ábu- » sus vetitus a pluribus Pontifici- » bus, qui *Decretum voluerunt* (ver- « ba Bullae), *nimirum a quolibet Sa- » cerdote, stipendio maioris pretii » pro celebratione Missae accepto, non » posse alteri stipendium minoris pre- » iii erogari, etsi eidem Sacerdoti ce- » lebranti et consentienti* (nota) *se ma- » ioris pretii eleemosynam accepisse » indicasset.* »

Quamvis autem S. Alphonsus rem hanc pluribus Decretis prohibitam, *per se* intrinsece malam non esse fateatur, sed ideo malam esse iudicet, quia districte vetita; tamen aliquid iniustitiae adesse, praecisione f actaetiam ab hac prohibente lege re- periit *ibidem n.* 322, ubi de restitutione facienda agens haec scripsit: « Batio, quae fortius urget, *(ad » restitutionem scilicet faciendam)* est, » quia tametsi Sacerdos eleemosy- » nam accipiens acquirat eius do- » minium, illud tamen non aliter » acquirit,nisi iuxta voluntatem dan- » tis ; voluntas autem dantis est, » non solum ut Missa celebretur, « sed ut celebretur tali stipendio: » cum enim pinguem tradit stipem, » ea intentione dat, ut uberiorem » fructum ex Missa celebranda per- » çipiat; ergo, qui tradito minori » stipendio , per alium celebrare » facit, peccat contra iustitiam, non » quia defraudat fructu Missae dan- » tem eleemosynam.... sed quia non » exequitur dantis intentionem, qua » vult ut illa Missa, unde percipit » fructum , tali stipendio celebre- » tur ; et quia eiusmodi intentio » intrat in substantiam contractus, » ideo, si Sacerdos partem stipen- « dii retinet, iniuste contra dantis « voluntatem retinet.»

Benedictus XIV. in *opere de Syn. dioeces. I.* 5 *c.* 9 haec, praeter alia iam a s. Alphonso exposita, addit: «quia tamen aliquando illa con- » suetae eleemosynae remissio de- » prehensa est noxia aliis Sacerdo- » tibus, qui ob fraudulentam alio- » rum liberalitatem , debita sibi » stipe privabantur : idcirco Sa- » era Congregatio praedictam re- » missionem quandoque fieri ve- » tuit, quemadmodum contigit in » una *Sancti Severini,* in qua Epi-

» scopo, ad hunc modum interro- » ganti: *Sacerdotes, quotidie se of- » ferunt celebrare ad rationem tenuis » eleemosynae dimidii iulii* (seu quin- » que obolorum) *pro qualibet Missa; » unde supplicat declarari, an ipse » statuere possit eleemosynam manna- » lem unius integri iulii pro qualibet » Missa, imponendo poenam celebran- di libus pro minori quantitate :* die 16 » Iulii 1689 eadem respondit.*affirma- » Uve, quoad eleemosynam manualem.*

Haec quidem ex allegatis operibus nec non ex Const. *Quanta cura,* cuius partem dispositivam retulit s. Alphonsus, neque est omittenda alia ecclesiastica regula quae in eadem Constitutione *Quanta cura,* innuitur, qua scilicet defraudatur tacita vel expressa pia offerentium voluntas per translationem Missarum ex uno loco ad alium: « In » illa *(ecclesia)* enim potius *(sunt » verba Constitutionis)* Missas esse » celebrandas quisque vult, ad » quam religionis et pietatis stimu- » lis ductus eleemosynas confert, » aut in qua quispiam fortasse tu- » mulatus est, quam in alia ecclesia » sibi prorsus ignota.»

Exposita doctrina ad sequentes Regulas reduci potest.

I. Eleemosynae Missarum integrae tradendae sunt Sacerdoti celebranti , quicumque sit qui eam celebret ; et hoc tum causa arcendi damnabile lucrum seu mercimonium in re tam sancta, idque sub gravissimis poenis; tum etiam ratione iustitiae, cum tota manualis eleemosyna ex voluntate pii largitoris ad celebrationem referenda sit.

II. Excipiuntur casus, in quibus dantes pinguiores eleemosynas ea de causa dant vel ea se gerunt ratione ex qua clare intelligatur, se non tantum celebrationis intuitu, sed etiam intuitu alterius extrinseci tituli eas dare: puta, amicitiae, paupertatis, gratitudinis etc.

III. Laesionem dicta prima regula patitur, quando Sacerdotes subrogati dicantur remissioni alicuius partis eleemosynae consentire, quam remissionem non omnino libere et sponte faciant: ideoque prohibitum est pari ratione retinere partem eleemosynae, etsi huic retentione Sacerdos subrogatus annuat (1).

IV .Non licet eleemosynas Missarum undique colligere, ut inde Missae celebrentur aliis in regionibus aliisque locis contra tacitam saltem offerentium voluntatem.

(1) **Prima fronte eiusmodi prohibitio retinendi partem eleemosynae, quamvis Sacerdos subrogatus consentiat, posset fortasse videri gravis; cum nemo neget, Sacerdotem subrogatum posse, si velit, totam eleemosynam etiam remittere: Sed hac in re praeclara est sententia synodi provincialis Vindobonensis anno 1858 celebratae, his verbis expressa: «** *Qui stipendio manuali accepto obligationem Missam celebrandi alium in Sacerdotem transfert, integram eleemosynam, licet stipendio ab Antistite statido maior sit, eidem erogare tenetur, nec partem retinentem iuvaret, quod alter rei certior factus consentirei. Quippe non de privatorum commodis, sed de sanctissimae rei decore agitur.y*

Prae oculis habitis hisce normis Auctoritate Apostolica partim firmatis, partim admissis , videndum superest, qua ratione applicari possint ad propositum casum.

Facilis quidem esset responsio, si ageretur de eleemosynis Missarum collectis atque datis a piis offerentibus, qui cognoscerent partem earum eleemosynarum erogatum iri in aliquam piam causam; atque sponte hac etiam de causa darent: tum enim subintrare! secunda exposita regula,- et quaestio tota reduceretur ad illud quod in secunda dubitandi formula est in casu expositum; de parte scilicet retinenda ordinariae eleemosynae.

Sed quoniam de hac offerentium intentione in proposito casu nullum habetur indicium, seposita hac hypothesi, haec nobis dicenda videntur.

Deesse videtur in proposito casu turpe lucrum, ideoque eum sub prohibitione primae regulae non cadere;non enim ad captandum turpe lucrum , sed ad causam piam pars eleemosynae retinetur ; cuius lucrum non solum non est turpe et damnabile, sed est imo commendatione dignum. Neque dicas: lucrum damnabile esse eo ipso, quod ab eleemosynis Missarum derivet : namque s. Alphonso docente, partis harum eleemosynarum retentio *per se loquendo* non est prava.

Praesens itaque casus illicitus esse potest quatenus violet primam regulam in secunda exposita parte, quatenus scilicet violatur voluntas et intentio pii offerentis: in comperto enim est, voluntatem piorum offerentium neque in melius posse mutari sine interventu Apostolicae Auctoritatis : pari ratione sub censura posset incurri quartae regulae.

Et proprius ad rem: videtur dicendum, laedi in casu quartam regulam,cum in generali eiusdem expositione dicatur: *Sacerdotem Missas manuales undique colligere.* Haec enim collectio Missarum undique privata auctoritate facta i m proba tu r in Constitutione: *Quanta cura,* ex generali canonica lege.

Adprimam dubitandi formulam, prouti ea iacet, respondendum videtur, licere, ob has rationes simul iunctas , servata distinctione infra dicenda: 1.° ob verba: *substitutus cum, omnimoda libertate contentus est.*

2.° Quod eo facilius admittendum est, quia agitur de parte eleemosynae in pia opera impendenda; quo in casu haec partis eleemosynae retentio non comprehenditur *sub sententia legis,* quae lata est ad arcendum privatorum lucrum et mercimonium , quamvis *sub verbis legis* comprehendi videri posset.

Ad secundum dubium respondedum esse videtur cum distinctione: aut scilicet agitur de paucis numero casibus, in quibus Sacerdotes quaerantur, ut ad pium aliquod opus concurrant, quadam veluti societate statuta sub conditione , ut partem eleemosynae ordinariae

remittant in bonum alicuius pii operis, nulla existente necessitate acceptandi conditionem ;hoc in casu nihil reprehendendum videtur; namque hi Sacerdotes non essent aliud nisi pii operis contributores ; et qui eos invitant, afferrent facile medium,quo in pium opus contribuere possent. Aut agitur non quidem de re parva, sed de re, quae per suam amplitudinem suasque adnexas leges speciem accipiat publicae negotiationis (1);hoc in'Casu,praeter ordinis celebrationis Missarum perturbationem, praeter abusus, qui hisce in rebus facile oriuntur, praeter necessitatem, qua cogi possent Sacerdotes sub ea conditione celebrare,non deesset mercaturae species, qua rei tam sanctae decus facile fidelibus probis et improbis vilesceret,et ideo pluribus de causis eiusmodi negotiatio iam per se a sacris canonibus Clericis prohibita, esset illicita, et specialibus saltem legibus ab Ordinariis locorum esset omnino abolenda.

(i) **Ne videamur haec dicere sine ullo reali fundamento, heic referimus casum, quem propositum ex professo pertractat et resolvit in laudatis ephemeridibus anno 1866 in fasciculo Ianuarii cl. Craisson iam Vicarius generalis. Casus hic est.**

« Une *œuvre* a été créée dans les conditions suivantes. Elle est dirigée par des ecclésiastiques , tous engagés dans les ordres sacrés et exerçant même le sainte ministère. Ces ecclésiastiques n' administrent pas 1' œuvre par eux-mêmes : ils le font par un intermédiaire, qui vraisemblablement est laïque et prend le nom de *propriétaire-gérant.* Ils se donnent comme médiateurs entre les prêtres qui ont surabondance d'honoraires de messes, et ceux qui en sont dépourvus, et ils offrent, à ceux qui voudront leur en confier la distribution , une gratification de 25 pour 0|0, à fournir an livres , marchandises de divers genres, ou en messes acquittées en sus des honoraires confiés.

» Pour être en mesure de faire la gratification promise, est adjointe à *l'œuvre* une banque où l'on y paye les coupons de rentes, l'on y fait les achats au comptant d'actions et d'obligations: on se charge de la vente des valeurs , on prête de fonds à ceux qui désirent s'en procurer. Le gérant secharge même, moyennant l'envoi d'un certain nombre d'honoraires de messes, ou à la condition qu'on acquittera un certain chiffre d'intentions, de procurer aux prêtres employés dans le saint ministère, tous les obiects dont il peuvent avoir besoin. Ses nombreuses relations avec le fabricants mettent à même de remplir promptement cet engagement.

» Dans leur prospectus, les directeurs de l'œuvre publient ensuite une nomenclature de divers ouvrages, offerts gratuitement à ceux qui envoient des honoraires, indiquant le nombre qu'il faut respectivement envoyer pour obtenir ainsi chacun de ces livres.

» Cette œuvre, on le pense bien, n'a été approuvée pas aucune autorité ecclésiastique. Il paraît au contraire, par des lettres. adressées au gerant et publiées dans le même prospectus, qu'elle aurait été fétie par l'autorité diocésaine.

» On désire savoir: 1° si une œuvre établie en de pareilles conditions est canonique: 2° Si un ecclésiastique peut licitement confier au *gérant* des fonds dont *f œuvre* doit se servir pour ses diverses opérations: 3° si on peut en conscience lui envoyer des honoraires de messes à la condition d'avoir en sus les 25 pour 0m, soit en messes acquittées en plus.»

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

DECRETUM. Feria II. die II Maii 1868.

Sacra Congregano Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a **S**ANCTISSIMO **D**OMINO **N**OSTBO **P**IO **P**APA **IX.** *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Das Ghristenthum, und die moderne Naturwissenschaft, von I. Frohschammer. *Latine vero:* Christianismus, et scientia naturalis moderna, auctore I. Frohschammer. Yiennae, apud Tendier et Soc. 1867.

50 Thesen über die Gestaltnug der kirchlichen Verhältnisse Gegenwart. *Latine vero:* Quinquaginta Theses de informandis Ecclesiae relationibus in praesenti tempore, auctore D.re Fr. Michelis. Braunsberg, edente Eduardo Peter, 1867.

Il Medio Evo italiano, racconti storici offerti agli studiosi adolescenti per Mario Paganetti. Milano, Gio. Gnocchi di Giacomo Libraio editore.

Cento Biografie di fanciulli illustri italiani proposti ad educazione ed esempio della gioventù da G. Marco Bourelly, Maestro ne'corpi santi di Milano. Milano, Gio. Gnocchi di Giacomo editore.

Auctor Opilsculi, cui titulus: Lettres de Sophronius, Question liturgique, Paris 1864, *damnati Decreto diei* 25 *Aprilis* 1864, *laudabiliter se subiecit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus **S**ANCTISSIMO **D**OMINO **M**OSTRO **P**IO **P**APAE *IX. per me infrascriptum S. I. C. a secretis relatis,* **S**ANCTITAS **S**UA *Decretum probavit., et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die **15** *Maii* **1868.**

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus

Loco Sigilli

Fr. ANGELUS **V**INCENTIUS **M**ODENA **Ord. Praed.**
S. Ind. Congr. a Secretis.

Die 16 *Maii* 1868 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, et Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloysium Serafini Apost. Cur s.*

Philippus Ossani Mag. Cuis.

APPENDIX XII.

PLERAQUE DECRETA S. CONGREGATIONIS SS. MTUUM, QUAE PRODIERUNT AB ANNO 1856 USQUE AD 31 AUGUSTI f867, QUIBUS NONNULLA PRAEMITTUNTUR DE EORUMDEM DECRETORUM VALORE.

Cum pleraque Decreta S. Congregationis SS. Rituum, quae prodierunt ab anno 1856 usque ad 31 Augusti 1867 celebri Gardelliniauae collectioni adiecta sint, ac publici iuris facta, eadem in praesenti ac sequenti fasciculo referemus, omitientes *eam extrinsecam formam quae propria est Gardellinianae collectionis, unice sequentes ordinem chronologicum ut facile eodem Decreta reperiri possint, cum allegantur: omittemus pariter nonnulla Decreta, quae utilitatem lectoribus nostris non afferrent.

Ad maiorem autem intelligentiam valoris horum Decretorum nonnulla praemittere existimamus.

Celebris est Constitutio Sisti V. *Immensa aeterni Dei,* qua quindecim S. Congregationes instituens, de SS. Rituum Congregatione haec edixit : *Cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris Ritibus et caeremoniis conservandis instaurandisque magis augere, quinque itidem Cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum in omnibus Urbis Orbisque ecclesiis etiam in Cappella nostra pontificia, in Missis, in divinis officiis, Sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus, à quibusvis personis diligenter observentur; caeremoniae si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus et caeremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment et emendent; officia divina de sanctis Patronis examinent, et nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite et recte et ex Patrum traditione fiant, et ut Reges et Principes eorumque Oratores, aliaeque personae, etiam ecclesiasticae ad Urbem Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicae dignitate, ac benignitate, honorifice more maiorum excipiantur, cogitationem suscipiant, seduloque provideant. Controversias de praecedentia in processionibus , aut alibi, caeterasque in huiusmodi sacris ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant.*

Hanc amplissimam tributam auctoritatem S. Congregatio exercuit atque exercet in emittendis Decretis quae respiciunt sacros ritus caeremoniasque, vel etiam causas Servorum Dei.

De valore autem Decretorum sacros ritus respicientium die.23 Maii i 846 rogata fuit S. Congregatio a generali Ordinis Praedicatorum his verbis: « an Decreta a Sac. » Congreg, emanata, et responsio« nes quaecumque ab ipsa, proposi» tis dubiis, scripto formiter editae, » eamdem habeant auctoritatem, ac » si immediate ab ipso Summo Pon» tifice promanarent, quamvis nulla » facta fuerit dejisdem relatio San» ctitati Suae: » cui S. C. Respondit: *Affirmative:* quam responsionem SSmus D. N. confirmavit die 17 Iulii 1846.

Nec alia esse poterat responsio; namque Romanus Pontifex sibi propria facere intelligitur, ea, quae, tali Apostolicae Auctoritatis commissione, decernuntur : quare sive accedat explicita subsequens confirmatio R. Pontificis sive non accedat, Decreta iuxta limites delegatae Apostolicae Auctoritatis emissa, illum obtinent valorem, quasi vero a Romano Pontifice immediate promanarent.

Quod quidem illustrari potest ex eo quod Iustinianus Imperator edixit in *lege* 1 *C. de vetere iure enucleando§.* 6. Namque Iustinianus committens Iurisconsultissimo Triboniano, aliisque peritissimi? viris confectionem Pandectarum, eisdemque facultatem interpretandi emendandique responsa prudentum, edixit: *ut omnes, qui retali fuerint in hunc codicem prudenlissimi viri, habeant auctoritatem, tamquam si eorum studia ex Principalibus Constitutionibus profecta et a nostro divino fuerint ore profusa. Omnia enim merito nostra facimus, quia ex nobis eis impertietur auctoritas.*

Decreta itaque S. Congregationis SS. Rituum (quod de Resolutionibus aliarum SS. Congregationum pari modo est dicendum) inspecto fonte ex quo derivant, eamdem habent auctoritatem, ac si ex R. Pontificis ore prolata essent; delegabilis est enim auctoritas, quamvis delegabilis non sit infallibilitas, quae personalis est, et propria catholicae Ecclesiae et Romani Pontificis, in rebus fidei et morum, ecclesiam pro suo officio docentis.

At vero quaestio agitari potest et agitatur, an eadem Decreta, quae pro causis pro quibus immediate et directe emittuntur vim legis obtinent, vim pariter obtineant indirecte pro caeteris similibus casibus.

Ut responsio huic quaestioni dari possit, triplex Decretorum genus est distinguendum : alia enim Decreta sunt generalia, tum ex se, tum ex explicita voluntate S. Congregationis: eaque generalia Decreta publicantur ex voluntate eiusdem S. C. vel authentice mittuntur ad Sacrorum Antistites, ut cognoscantur, et exsecutioni mandentur: et de his Decretis dubitatio praedicta locum habere non potest.

Secundum Decretorum genus, sunt *declarationes liturgicae legis,* quae scilicet in particulari causa sensum legis declarant, vel quid Ii-

citum quidve illicitum sit secundum liturgicas regulas: quid agendum quidve non agendum in communi aliqua actione liturgica, et his similia.

De hoc secundo Decretorum genere haec animadvertenda videntur: nimirum declarationes liturgicae legis alias esse *magistrales:* ita in foro ecclesiastico appellantur quaedam Resolutiones, quae emittuntur post quaestionem ex professo pertractatam, ut in aliquo puncto iuris quaevis ambiguitas auferatur: alias vero tales non esse et identidem incidenter tantum emitti : si de primis agatur, nemo non videt eas declarationes ex sese cum ipsa liturgica lege confundi; determinant enim sensum legis: si de secundis agatur, iterum est distinguendum: aut hae declarationes firmatae sunt a S. Congregatione usu et consuetud ine, ut evenit, quando ad eas declarationes appellat, in aliis casibus similibusque petitioni bas vel easdem quavis ratione confirmat; quo casu hae declarationes determinant pari modo sensum liturgicae legis et cum eadem lege confunduntur: aut illae declarationes desertae manent, sive novis declarationibus supervenientibus, sive quia non amplius commemorentur atque negligantur.

Quando de illis agitur, quae cum lege liturgica confunduntur: nemo non videt eas declarationes ex se natura sua vimlegis habere, et tantum extendi quantum lex ipsa extenditnr: neque necessaria est nova promulgatio ; non enim de nova lege. agitur, quae indiget promulgatione: sed de interpretatione et declaratione authentica agitur, cui sufficit certa notitia.

Quando de reliquis agitur, hae vim universalis legis non habent: sed obstringant tautam eos quibus observantia Decreti praecepta sit.

Neque id sit mirum : namque ea est SS. Congregationum sapiens praxis; maxime vero S. Congregationis SS. Rituum, quae in minimis et usque ad pulverem, ut ita dicam, identidem descendere cogitur, ut quemadmodum in eo quod fuerit rite firmatum non recedant, ita nova emergente ratione, reque penitius considerata, a decisis recedunt sive nova declaratione sive tacita contraria vel dispari consuetudine; quamvis haec recessio a decisis in legum declaratione rarissime contingat.

Tertium Decretorum genus sunt *applicationes liturgicae legis ad factum.* Haec Decreta natura sua vim universalis legis non habent : sed perspicax Ritualista ex his Decretis magis vel minus clare eruere potest, cum' magno suo in scientia liturgica profectu, principia a quibus S. Congregatio mota est ad ita iudicandum: atque aptitudinem acquirere ad recte iudicandum et valorem principiorum et legum iuste aestimandum.

Posset utique et tertium hoc Decretorum genus vim legis quam

ex sese non habet, aliunde acquirere; scilicet in casu quo nova auctoritas Apostolica superveniret, quae vim legis universalis eadem Decreta habere solemniter declararet; cuius rei habemus exemplum in Decretalibus Gregorii IX. quae pro maxima sua parte, non sunt aliud nisi peculiaria Rescripta Romanorum Pontificum ad peculiaria facta: et auctoritate Romaui Pontificis ea omnia Rescripta vim legis universalis habent, et textum canonici iuris constituunt; quemadmodum in civili iure Pandectae, quae ex sapientibus responsis iurisprudentum componuntur, textum iuris civilis auctoritate Iustiniani Imperatoris constituunt.

Sed haec quae in abstracto considerata vera nobis videntur, difficultatem offendunt in concreto. Namque in concreto dubitari multipliciter **potest:** prima difficultas oriri potest ex authenticitate Decreti: et reapse de hac re refert Barbosa in *Collectanea Apost. Decis. Y. Congregatio n.* 9: « Congregatio » pro Sacris Ritibus sub die 11 Au- » gusti 1632 ex speciali S. D. Ur- » bani VIII. iussu mandavit et prae- » cepit, eiusdem Sacrae Congrega- » tiouis declarationibus tam impres- » sis, quam imprimendis ac etiam » manuscriptis nullam fidem in iu- » dicio vel extra esse adhibendam, » sed tantum illis, quae in authen- » tica forma, sigillo et subscriptione » Emi Cardinalis Praefecti ac Se- » cretarii eiusdem Congregationis » pro tempore existentium munitae » fuerint. »

Sed huic difficultati superandae magna ex parte fuit consultum per Gardellinianam Collectionem, quae cum a Secretario S. Congregationis ex officio concinetur, dubitari generatim non potest, de eorumdem Decretorum authenticitate: dixi generatim ; nam potest oriri aliqua dubitatio io uno alterove Decreto ex typographos erroribus, qui effugere solent solertiam editoris: vel ex aliqua inadvertentia collectoris, quae dos est humanae naturae, in ampla collectione facienda.

Secunda difficultas oritur ex intellectione Decretorum; non enim horum Decretorum intellecto omnibus, ut par est, pervia censetur; neque omnes facile reperiunt Decretorum consonantiam; neque omnes distinguere valent, si quae sint Resolutiones desertae aut inuovatae aut qua extensione firmatae: item quaenam principia erui possint ex applicatione facta legis liturgicae ad singulos casus; eo vel magis quod facta exponi soleant brevissima synoptica ratione.

Tertia difficultas oritur ex peculiari locorum conditione, sive consuetudinibus, quae rationabiles esse possunt, ita ut locus non fiat earumdem abrogationi.

Quare sapienter S. Congregatio de universali horum Decretorum obligatione consulta, ita respondit, ut pro singulis casibus et difficultatibus quae oriri possint, exigat

peculiarem suae Auctoritatis interventum.

Namque, die 11 Septembris 1847 in *Angelopolitana*, rogata est: « An » Decreta Sacrorum Rituum Con- » gregationis dum eduntur dero- » gent cuicumque contrariae in- » vectae consuetudini etiam imme- » morabili, et in casu affirmativo, » obligent in conscientia:» cui S.C. respondit: *affirmative, sed recurrendum in particulari.* Ex qua respuit sione confirmantur ea quae superius de primo et secundo Decretorum genere exposuimus: ea videlicet vim legis habent, atque idonea ideoque ex sese sunt ad consuetudines abolendas; attamen recurrendum est in particulari, cum non semper et non omnes consuetudines dérogation absolute subiiciantur.

Item in una *Ordinis Cappucinorum,* proposito VI. dubio: « An De- » creta, Indulta, Decisiones SS. Ri- » tuum Congregationis datae vel » dandae in casibus particularibus, » applicabiles sint et adoptandae in » similibus casibus, quasi essent pro » ubique decisae, eo vel magis, quia » Sacra ipsa Congregatio id innuere » videtur,quando propositis dubiis » respondere assolet ex. gr. *dentur » Decreta - iuxta alias decreta - pro- » visum in una etc.»* Cui S. Congregatio die 8 Aprilis 1854 respondit: *negative, et semper recurrendum in casibus particularibus* (1).

Ex expositione huius dubitandi formulae satis apparet, agi potius de illis Decretis, quae comprehenduntur in tertio superius exposito Decretorum genere; cum quaeratur de Decretis, Indultis, Decisionibus, quae dantur in casibus particularibus, applicandis in similibus casibus. Haec enim Decreta, Indulta, Decisiones cum non sint legis liturgicae explicitae Declarationes, quae cum ipsa lege confunduntur, non sunt ex sese pro ubique decisae, et casus qui similes dicuntur, saepissime discrepant, sive ob peculiaria casuum adiuncta, sive etiam ob peculiarem locorum conditionem.

(1) Hoc Decretum non reperitur insertum in authentica Decretorum collectione, quae a Gardellini nomen habet, sed illud excripsimus ex Regestis S. Congregationis: ex quo apparet erroneum esse alterum huic simile, quod, tamquam Decretum S. Congregationis, in quadam erudita italica dissertatione huius generis, fuit evulgatum cum eodem die et anno. Quomodo hic error irrepserit, nescimus; cum auctor illius dissertationis, quem cognoscimus in re liturgica apprime versatum, illud in eadem affirmet, se excripsisse, *ex ipso originali.*

PLERAQUE OMNIA DECRETA QUAE RELATA SUNT IN APPENDICE III. GARDELLINIANAE COLLECTIONIS, NONNULLIS ADIECTIS ADNOTATIONIBUS.

STRIGONIEN.

Eme et Rme Dñe Dñe Obme.

Quum Eminentia Vestra huic Sacrorum Rituum Congregationi nonnulla Dubia proposuerit pro opportuna declaratione, eadem ab Emo, et Riîio Domino Cardinale Ludovico Altieri Ponente in hac Causa designato relata sunt in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum ad Quirinale subsignata die coadunatis, nimirum.

I. An Calix, cuius inauratio dumtaxat renovatur, possit a Sacerdote ordine Episcopali non insignito simpliciter sine unctione benefici, vel in hoc quoque casu ad Episcopum perferri debeat, ut ab hoc cum unctione benedici queat?

II. An in Urbibus, in quibus frequenter funduntur Campanae et simul a residentia Episcopi longius remotae sunt, aliquis ex Dignitatibus Capituli, vel Praelatis deputari possit ad novas Campanas sine unctione benedicendas?

III. An prima saltem Dignitas in Capitulo, dum absente Episcopo in Pontificalibus sacra facit, possit baculum pastoralem gestare? An id, praesente etiam Episcopo, liceat, posito utique illo casu, dum prima Dignitas ordine Episcopali destituitur?

IV. An Episcopus auxiliaris, iure baculum pastoralem gestandi, etiam Ordinario Episcopo praesente, uti possit?

V. An Dignitariis Capituli usum Pontificalium habentibus competat ius baculum pastoralem gestandi, et populo, petita prius a praesente Episcopo facultate, solemniter benedicendi?

VI. Iamdudum a Clemente Papa XIV. in Austria nonnulla Festa abrogata, et Fideles ab obligatione iis diebus Missam audiendi absoluti sunt. An Parochi illis festis, ut dicitur, abrogatis, Missam pro populo applicare teneantur, quum in Bulla diei 22 Iunii 1771 desuper edita, obligationis huius expressa mentio haud occurrat.

S. C. audito voto unius ex Mag. Caerem. respondere censuit:

Ad I. *Quoad primam partem negative: quoad alteram partem affirmative ad utrumque.*

Ad H. *Non posse si Campanae deservient Ecclesiis, et Sacris Functionibus annunciandis.*

Ad III. *Ad mentem.*

Ad IV. *Servandam dispositionem Caeremonialis Episcoporum lib.* 1 *c.* 17 *num.* 5.

Ad V. *Ad mentem.*

Ad VI. *Affirmative* (1).

(i) Quaestionem huic similem pertractatam in S. C. **Concilii** *per Summaria precum* **exposuimus in** *Fol. IL pag.* **205** *et seqq.*

Mens S. C. ad III. et V. baec fuit: standum esse strictim privilegio, si adest, et Litteris Apostolicis sa: me: Pii Papae VII. *Decet Romanos Pontifices,* diei 4 Iulii 1823.

Die 9 Maii 1857.

Lectoribus nostris non displicebit si heic adiiciamus allegatas Apostolicas Litteras, quibus standum esse S. Congregatio iussit: hae autem sequentis sunt tenoris:

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. §. 1 Decet Romanos Pontifices pro impensa ipsorum in Ecclesiae bonum sollicitudine maximopere adniti, ut quae per eos identidem decernuntur privilegia, praestitutis legibus apprime contineantur, ne vitio illorum, quibus ea delata sunt, rectum inde ordinem perturbari, aliorumque iura laedi contingat. Sapienti proinde consilio Praedecessoribus Nostris visum est, re prius per Congregationem Sacris Ritibus praepositam discussa , opportune praefinire, quidnam iuris inducant, mitrae, ac pontificalium usus, aliaque id genus insignia, quibus placuit Apostolicae Sedi Abbates, Praelatosque nonnullos Episcopo inferiores , et quaedam Canonicorum collegia honestare. Ita sane felicis recordationis Alexander VII. Praedecessor Noster, habita coram se Sacrorum Rituum Congregatione die 27 Septembris anno 1659. Decretum sancivit, quo leges traduntur de usu pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus tributo; itemque felicis pariter recordationis Benedictus XIV. Constitutionem, quae incipit - « In throno iustitiae » - editam tertio Calendas Martii an. 1752 ad decreta adprobanda, quae eadem Congregatio vulgaverit de privilegio pontificalium, quo Urbinatense Capitulum haud ita pridem auctum fuerat.

§. 2. Haec vero, aliaque in eam rem data decreta ex ipso temporum lapsu, quandoque etiam ex eorumdem ignoratione sua interdum executione carere, multaque ab ipsorum praescriptionibus plane absona percrebescere dolendum est, quibus in rei sacrae perniciem converti conspiciuntur, quae ab Apostolicae Sedis indulgentia ad cultum, religionemque in sacrorum tractatione, ipso etiam ornatuum splendore liberaliter obvenere. Crebrae idcirco, et graves querelae perlaiae ad Nos sunt, ut et episcopalis ordinis maiestati consulamus adversus eos, qui ex communione, quam obtrudunt, privilegiorum cuncta pene, quibus episcopalis dignitas splendescat, sibi attributa arbitrantur, et accuratam Sacrorum Rituum observantiam vindicèmus, quos talium concessionum praetextu impune perfringi admonemur.

§. 3. Ne itaque usus huiusmodi inordinatos privilegiorum diuturnitate temporis convalesceret, occurrere tanto huic malo decrevimus, id adhibentes remedii, quod expostulationes illae, quarum aequitatem probe noveramus, efflagitabant: ne-

que remittendam duximus occasionem, quam ex dubiis nuper propositis de usu pontificalium in metropolitana Barensi nacti eramus, ad praestitutas de eo regulas iterum iniungendas. Quare, cum rationem rei universam memoratae Rituum Congregationi perpendendam demandaverimus, Decretum ab eadem prolatum est die 27 Augusti anni proxime praeteriti, quod hic adiungimus, videlicet^ « Ex Romanorum pontificum indulgentia certa quaedam illustria honoris insignia collegiis Canonicorum vel a priscis temporibus adtribui consuevere, quibus et ordinis maiestas commendaretur magis, et ipsa sacrorum procuratio splendidiori apparatu ad populorum animos in divinae rei venerationem impensius comparandos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humanarum conditio ut quae providentissime constituta primum fuere, pravo deinceps usu, atque a concedentium voluntate plane absouo infeliciter pervertantur, id et de canonicalibus privilegiis ut plurimum contigere, graves undique invalescunt querelae hominum et auctoritate et sapientia praestantium. Nedum enim modus pontificio diplomate praestitutus interdum violari conspicitur, sed id crebro honoris, ac privilegii usurpari, nulla habita locorum, actuum, personarumque ratione, quod vix primoribus ex ecclesiastica hierarchia datum dignoscitur.

» Tanto huic malo convellendo haud semel adlaboravit sacra Rituum Congregatio, quae ad rectam rerum sacrarum actionem ordinandam est praeposita: atque idcirco, quod praecipuum abusuum id genus caput est, privilegium pontificalium collegiis Canonicorum insignioribus liberaliter collatum statis quibusdam conditionibus moderandum curavit praesertim in Panormitana die 22 Aprilis 1684, et in Urbinatensi die 29 Ianuarii 1752.

» Novis tamen, et deterioribus adhuc percrebescentibus adversus haec instituta consuetudinibus, nonnullisque dubiis nuper delatis super usu pontificalium iu metropolitana ecclesia Barensi placuit Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. VII. rem universam eidem sacrae Congregationi discutiendam demandare, quae, exquisita prius sententia sacrae Congregationis Caeremonialis Secretarii, itemque Sedis Apostolicae Caeremoniarum Magistri^ cunctisque rationum momentis accurate, diligenterque perpeusis, edendum censuit Decretum, quo pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad ritualium praescriptionum normam coerceantur. Eius porro Decreti articuli sunt, qui sequuntur.

L Sacra peragere ritu pontificali de iure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

II. Praelati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu modération statutis tantum diebus in propriis ecclesiis ab episcopali iurisdictione exemptis,

et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri Vii. a Benedicto XIV. confirmata.

III. In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

IV. Dignitates, Canonici, Rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium , prohibentur ritus et caeremonias pro Episcopis et Praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere, aut ornatum aliquem pontificalem induere,absque speciali Apostolicae sedis privilegio.

V. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdm ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus[1], Canonicis , Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati episcopali , de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto unoalterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

VI. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt , sed discrimine est opus inter Celebrantem , et Assistentes cum insigniis pontificalibus.

VII. Nam Celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia, non item Assistentibus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc. sacra sumere debent indumenta.

VIII. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat , ex pluries decisis a sacra Congregatione caligae, sandalia nec auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, dalmatica,, funicella annulus cum unica gemma crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

IX. Hisce omnibus uti poterit solummodo Dignitas, Canonicus , aut Rector solemniter celebrans , nisi forte privilegium non omnia baec, sed aliqua dumtaxat insignia permittat.

X. Qui vero in Missa solemni Diaconum et Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates, Canonici etc. nec mitram, nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad Evangelium et ad Epistolam adhibere poterunt.

XI. Dignitatibus, Canonicis Rectoribus etc. Missam cum insigniis pontificalibus solemniter celebrare liceat iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis , vel impediti, vel vita functi aut in quibus Episcopus assistit , vel assistere deberet cum pluviali et mitra. In reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito,

XII. In ecclesiis civitatis et dioecesis cum insigniis pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in ma-

iuribus solemnitatibus, assentiente Episcopo et assistente Capitulo.

XIII. Nunquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

XIV. Si Dignitas, vel Canonicus etc., ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel novitia, expleto tirocinio, ad solemnem professionem, pontificalibus insigniis uti nequeat, nisr de expressa Episcopi licentia, qua obtenta, iis tantummodo utatur , quae actioni conveniunt.

XV. Cum pontificalibus indumentis celebrans nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete vel panno coloris, qui officio diei respondeat.

XVI. Nequit praeterea tam in solemni, quam in Missa privata sacras vestes sumere ex altari, uti canone, palmatoria, presbytero assistente, salutare populum cum *f.* Pax vobis-loco *f.* Dominus vobiscum - aut trinam dare benedictionem post Missam, vel cum Sacramento, et si quae sunt alia, quae solis competunt de iure Episcopis, et ex privilegio Praelatis inferioribus, dum his pontificalia peragere statis diebus concessum est.

XVII. Dignitates, Canonici, Rectores etc. quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris indumentis, videlicet pluviali vel casula vel dalmatica amicti in processionibus sanctissimi Corporis Christi, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, etiamsi has functiones peragat Dignitas vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis, impediti, aut vita functi.

XVIII. Assistentes Episcopo tam in altari, quam in cathedra quando ministrant vel cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

XIX. Solemniter celebrantes , dum Episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit, stent sine mitra.

XX. Non liceat eis uti pulvino sub genibus, Episcopo praesertim assistente.

XXI. Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram'cum oloserico velo e collo pendente, nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc. sollemniter celebrante, vel Sacramentum in processionibus deferente.

XXII. Dignitates, Canonici Rectores in processione sanctissimi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

XXIII. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt in privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

XXIV. In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatura a simplicibus sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur cruce pectorali, unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et ur-

ceolo, et duae tantum candelae luceant in altari.

XXV. Defuncti nequeunt in loculo efferi, nec tumulari cum mitra.

XXVI. In eorumdem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito, non apponatur mitra.

XXVII. In insigniis, seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in literis Apostolicis.

XXVIII. Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium , hoc ad sacram Congregationem deferatur, quae, pro qualitate dubii, providebit.

Si quae vero Capitula amplioribus, ac praeter huiusce Decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitentur, peculiaria haec iura in sacram Congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit opportune decernatur.

§. 4. Hoc porro Decretum, ac rationum momenta, ceterasque sanctae Sedis praescriptiones, quibus illud fulcitur, diligenter consideravimus, cumque experentia edoceantur ex minus recto privilegiorum huiusmodi usu, plura incommoda redundare, ac praesertim haud parum detrahi splendori episcopalis dignitatis , quam sartam ubique ac tectam Nostri est muneris protueri, idem decretum, ut illius dispositio firmius subsistat, atque accuratius observetur ab omnibus, auctoritate Apostolica, tenore praesentium adprobamus , et confirmamus , eique perpetuae, inviolabilisque firmitatis robur, vim et efficaciam adiicimus illudque ab iis omnibus, et singulis ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illius observantia, et adimplemento ullo unquam tempore recedi debere mandamus.

§. 5. Praeterea hisce Nostris Apostolicis literis ea iterum ad observationem revocari volumus, ac, quatenus opus sit denuo adprobamus et sancimus, quae per Praedecessores Nostros, ac praesertim per felicis recordationis Alexandrum VII. in memorato decreto diei 27 Septembris 1659 illiusque declaratione edita sub die 20 Iulii 1660 nec non per fel. record. Benedictum XIV. sua Constitutione, quae incipit - «In **throno** iustitiae » - atque alias per Sacrorum Rituum Congregationem praescripta fuerunt de usu pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus, et Canonicis attributo.

§. 6. Quocirca venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, ut praesentes Nostras **literas**, atque omnia et singula in eis statuta faciant auctoritate Nostra debitae executioni demandari, illasque inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes quoslibet, per opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita , compescendo.

§. 7. Praesentes autem literas etc. g. 8. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud m sancte Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1823 quarto Nonas Iulias, Pontificatus Nostri anno vicesimo quarto.

PARMEN.

Rmus Dnus Felix Cantimorri Episcopus Parmensis desiderio flagrans , ut in sua Dioecesi Sacrae Functiones ea qua par est Rituum observantia, et studio peragantur, ab bac Sacra Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutionem humillime postulavit, nimirum.

I. An in Processionibus, quae obtinent in Festo S. Marci, et in Rogationibus tolerari queat, ut Antiphonae cantentur in Ecclesiis, quas Processio ingreditur, ritu Paschali?

II. Ut in Ecclesiis, iutrogressa Processione, interruptis Litaniis Sanctorum, invocentur nomina Titularium, licet haec in iisdem non adsint Litaniis?

III. Ut earumdem Ecclesiarum Campanae festivo sonitu pulsentur?

IV. Ut Sacerdos ad Ecclesiae fores praebens lustralem aquam Clero ingredienti, utatur stola coloris violacei?

V. Ut iisdem in Processionibus cantentur Hymni. *O gloriosa Virginum: Ave Maris Stella*, et *Veni Creator Spiritus* qui, interrupto Litaniarum cantu, aute nonnullas Imagines, et aediculas per vias occurrentes inchoantur, et, Processione progrediente, prosequuntur; quae sane, si intermitterentur, forte non levis populi admiratio contingeret.

S. C. respondit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Servetur consuetudo.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Ad mentem* - Mens autem Sacrae Congregationis est,ut Episcopus Rubricarum observantiae consulat, quoties tamen admiratio in populo non oriatur, et prudenter et absque scandalo fieri possit, ut huiusmodi usus , utpote his Processionibus oppositus, sensim tollatur.

Die 9 Maii 1857.

SANCTISSIMI NOMINIS IESU.

Rmus Dominus Romualdus Ximeno hodiernus Dioecesis Sanctissimi Nominis Iesu ab hac Sancta Sede Apostolica supplicibus votis postulavit, ut sequentia Dubia declarare, et solvere dignaretur:

I. Licetne celebrare Missam, et Ordines in Sabbato Sancto in Oratorio Episcopali ante quam celebretur Missa Parochialis? In casu negativo peto a sancta Sede, ,ot concedatur mihi gratia celebrandi in casu necessitatis Ordines, qui non possint differri ad secundam diem Paschae?

II. Potest ne fieri consecratio Sacrorum Oleorum in Feria quinta Hebdomadae Maioris ante Missam Conventualem? In casu negativo rogo, ut Sanctitas Sua dignetur mihi concedere gratiam consecrandi memorata Olea sacra, et dandi

Communionem in meo Sacrificio omnibus Sacerdotibus aliisque Ecclesiasticis non solum propter maiorem facilitatem inveniendi numerum sufficientem Sacerdotum, qui debent assistere consecrationi iuxta Pontificalis Rubricam, sed etiam ob commoditatem Cleri communicaturi, quia Ecclesiastici indigenae sunt debilis stomachi, et maior etiam eorum pars non potest, nisi valde difficulter, manere ieiuni usque ad finem Divinorum Officiorum.

III. Est consuetudo valde communis in hac Dioecesi transferendi celebrationem Missae Solemnis Patroni Principalis Ecclesiae occurrentes in die ieiunii , et abstinentiae, ne Fideles manducent carnes, et permisceant cum piscibus, si forte in die tam solemni illos habeant. Missa celebratur , quamvis sit indie ritusduplicis cum *Gloria,* etc. ac si esset Missa votiva pro re gravi. Potest ne tolerari haec consuetudo? In casu negativo peto a Sanctitate Sua facultatem omnibus Fidelibus populi, cuius Patronus celebratur, et concurrentibus Soleranitati, ut possint manducare carnes, et pisces in scio die Patroni occurreris io die abstinentiae, vel ieiunii; e contra vero impossibile erit evitare transgressionem praecepti tam ieiunii, quam abstinentiae.Sunt rarissimi, qui obtinent Bullam Sacrae Cruciatae ad hoc, ut possint tuta conscientia manducare carnes. Si vero Sanctitas Sua iudicet non debere concedere hanc gratiam tam specialem, rogo, ut concedatur gratia transferendi solemnem celebrationem Missae votivae, tanquam si esset pro re gravi.

IV. In Ecclesia Parochiali huius Civitatis, ubi fundata est Confraternitas Sacratissimi Rosarii,est consuetudo celebrandi in omnibus Sabbatis unam Missam Votivam Cantatam de Beata Virgine cum *Credo* ex dispositione recolendae memoriae Salamanca huius Dioecesis Episcopi. Quaeritur an haec dispositio cantandi Missam Votivam Beatae Mariae Virginis continuari possit ob solam rationem maioris devotionis populi erga Beatam Virginem, et maioris coucurrentiaeFidelium praedictae Missae, ac aliis Missis hebdomadae?

V. in hac Dioecesi adest consuetudo fortasse ab initio suae erectionis , apponendi in Kalendario divini Officii omnes Sanctos positos in fine Breviarii pro Regnis Hispaniae , et regulariter in sua propria die , quamvis sit occupata officio duplici Sancti de corpore Breviarii. Praeterea aliqui Sancti supra notati habent Officium proprium ad omues Horas, et recitatur ab omnibus Ecclesiasticis huius Dioecesis. Insuper Festa Sancti Vincentii Martyris, Sancti iuliani Episcopi Confessoris, S. Idelphonsi Episcopi Confessoris, nec non Sanctae Elisabeth Reginae celebrantur sub ritu duplici secundae Classis cum Octava, prout in Codice in fine Breviarii

apponuntur, ita ut in Festo Sancti Vincentii, qui in corpore Breviarii invenitur cum Sancto Anastasio, nihil agatur de Festo in suo die, sed translatum sit ad diem vigesimam Februarii sub ritu semiduplici. Sed quum haec praxis videatur contraria Decretis Sacrorum Rituum Congregationis quaeritur: an supradicta consuetudo huius Dioecesis sit causa sufficiens recitandi de omnibus Sanctis Hispaniae, et cum officio proprio, si illud habeant, ac sub ritu notato in supra memorato Codice positis. In casu negativo humiliter rogo , ut mihi communicetur de quibus Sanctis, et sub quo ritu debeat persolvi Divinum Officium in hac Dioecesi.

QuibusS.Congregatio respondit:

Ad I. ***Utatur Episcopus Decretis alias editis in Bergomen, diei*** 21 ***Martii*** 1744 ***ad*** 1, ***et in una Resolutionis Dubiorum diei*** 28 ***Iulii*** 1821 ***ad*** 2 (I).

Ad LT. ***Negative in omnibus.***

Ad III. ***Negative in omnibus, et quoad dispensationem a Ieiunio, ad Sacr. Universalem Inquisitionem*** (2).

Ad IV. ***Negative absque speciali Indulto, quod tamen in praesenti casu Sacra Congregatio concedit pro unica Missa votiva singulis Sabbatis cum cantu celebranda; dummodo non occurrat duplex primae, vel secundae Classis, Feria, Vigilia, aut Octava privilegiala, et Rubricae serventur.***

Ad V. ***Conceditur Episcopo^ ut vetustam, quae invaluit, consuetudinem retineat, quousque Kalendarium perpetuum suae Dioecesis in aliquibus variandum. non existimet,Kalendarium ipsum subiiciendo examini, et approbationi Sacrae Congregationis.***

Die 9 Maii 1857.

PETROCORICEN.

Quum Rmus Dominus Ioannes Baptista Massonais Episcopus Petrocoricen. ab hac Sancta Sede Apostolica supplicibus votis postulaverit, ut sequens Dubium declarare dignaretur:

(1) **In citata** *Bergomen,* **fuit propositum Dubium I. hac ratione: «Utrum in M Sabbato Sancto pro collatione Sacrorum Ordinum Episcopus in suo domestico «Oratorio teneatur Missam cum prophetiis, ut in Missali, celebrare. » Cui S.C. respondit: Ad I.** *Affirmative; id est pro collatione Sacrorum Ordinum in Sabbato Sancto Missa incipienda est a prophetiis.*

In altera citata causa *Resolutionis Dubiorum* **diei** 28 **Iulii** 1821, **sic dubium II. fuit propositum : « An in Sabbato Sancto Missa ab Episcopo privatim celebranda »in domestico sacello ratione Ordinationis, vel aliis Sacerdotibus (siqui sunt), qui «huiusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a Kyrie, vel a Prophetiis.» Cui S. C. respondit:** *Quoad Episcopos ratione^Ordinationis, servetur praescriptum Pontificalis, et Decretum S. C. diei* 21 *Martii* **17'***44 in Bergomensi, et Missa incipiatur a Prophetiis. Quoad alios, si qui prioilegio gaudent, more solito, sed sine introitu, post Campanarum sonitum.* **Hoc Decretum illustravit Gardellini in adnotatione quam eidem adnexuit.**

(2) **Dispensationes a Ieiunio et ab esu prohibiti cibi implorari debent a S. Congregatione Inquisitionis.**

Utrum Parochus, aliique Sacerdotes exequiis Mortuorum, officiisque quotidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, teneantur per se Officium defuctorum persolvere; ita ut solummodo assistentes, et non cantantes, vel psallentes, fructus non faciant "suos; an vero sufficiat, ut assistant, et Schola Officium persolvat, ipsis interea pro suo lubitu alias preces fundentibus v. g. Breviarum recitantibus pro sua quotidiana obligatione?

Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit. « ***Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam*** (1).» Die 9 Maii 1857.

MAURIANEN.

Parochus Ecclesiae dictae ***Valloires*** in Dioecesi Maurianensi exposuit huic Sanctae Sedi Apostolicae, quod in omnibus diebus Dominicis > et festivis ibi Vesperae decantantur cum totius Paroeciae populi concursu, annuntiatur Verbum Dei, fiunt aliquando Processiones, ac saepissime Benedictio cum Sanctissimo Sacramento elargitur. Quum autem in huiusmodi Vesperis Sacerdos celebrans, ab immemorabili, ut dicitur, tempore, sine Pluviali Stolam superpelliceo imponere consueverit, Orator ab eadem Sancta Sede postulavit, ut declarare dignaretur

I. Au servari possit usus Stolam deferendi?

II. Quid si annuntietur Verbum Dei in Vesperis?

III. Quid si deferatur Pluviale?

IV. Quid si in fine fiat Processio, vel elargiatur Benedictio cum Sanctissimo Sacramento?

Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit. « ***Negative*** *in* ***omnibus, et serventur Decreta, ac praesertim Generale diei 1 Septem*** .1816(2). Die 9 Maii 1857.

DINIEN.

Quum a Caeremoniali Episcoporum, Beneficiati», ceterisque, qui

(1) Consuli possunt ea quae Benedictus XIV. tradit in opere *de Syn. dioec. t.* il c. 3 circa canonicos choro assistentes et non cantantes.

•(2) Decretum generale - « Cum, non obstantibus Sac. Rit. Congr. Decretis pluries editis, et signanter in una *Alexanen.* diei 7 Septembris 1658, et *Dalmatiarum* die 4 Augusti 1663 ad **Iii.,** quibus cavebatur, ne Hebdomadarii, Archipresbyteri, aliique uti possent stola in canendis divinis officiis, tantum in Sacramentorum confectione, et administratione, eidem S.C.innotuerit, huiusmodi abusum et viguisse, et in praesens adhuc vigere penes Archipresbyteros et Parochos Abbatiae *Nullius Farfen.* Eadem S. C, audita prius informatione Rmi Abbatis, declaravit: *Stolam non esse adhibendam, praeterquam in collatione, et confectione Sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum.* Die 7 Septembris 1816.

» Facta autem per Secretarium de praemissis SSmo D. N. relatione; Sanctitas Sua sensum S. C. approbavit, benigne confirmavit, et Decretum evulgari mandavit, die **10** eiusdem mensis et anni.»

non sunt de gremio Capituli, genuflectere praescribatur, transeundo tam ante Altare, quam ante Episcopum sive pontificaliter,sive Cappa tantum,aut Mozzetla iridutu¡n,Rú*ius Episcopus Dinieo. advertens in sua Cathedrali Ecclesia a longo tempore usum invaluisse, ut iidem solummodo caput, et humeros inclinent, ab hac Sacra Rituum Congregatione postulavit, ut declarare dignaretur, an hunc usum sequi liceat? Sacra Congregatio rescribendum censuit. *«Negative, et servetur Caeremoniale Episcoporum.»* Die 9 Maii 1857.

PEKIiNEN. ET DE MONGOLIA.

Quum Rûius Dnus loseph Marziale Episcopus Fessulae in partibus, Vicarius Apostolicus de Mongolia et Administrator pariter Apostolicus Pekini ab hac Sancta Sede Apostolica suppliciter imperaverit solutionem nonnullorum Dubiorum, placuit Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, referente R. P. D. Secretario Congregationis de Propaganda Fide, examen eorumdem Dubiorum committere Sacrorum Rituum Congregationi. Dubia autem ab Episcopo Oratore proposita, sunt quae sequuntur.

I. Ex iure communi, Administrator Apostolicus debet ne, aut potest habere Solium a parte Evangelii?

II. Debet ne, aut potest illud habere etiam in omnibus locis Dioecesis suae Administrationis?

III. Si affirmative respondeatur ad primum et secundum, Coadiutor Administratoris Apostolici debet ne, aut potest eodem modo ubique uti Solio sicut Administrator Apostolicus?

IV. Decreta, quae dicunt Vicarium Apostolicum eadem non posse in suo Vicariatu ac Episcopi in sua Dioecesi, et eis plura prohibent, inter quae adest favor nominari a Sacerdotibus in Canone Missae, tacent omnino de Administratoribus Apostolicis, unde concludendum videtur praesertim Administratorem Apostolicum Dioecesis Pekinensis ut talem noti attingi a variis his laudatorum Decretorum prohibitionibus in Dioecesi suae administrationis, et eadem ibi posse ac proprius Episcopus; nominari a Sacerdotibus in Canone Missae etc. Potest ne praesens Administrator Pekinensis in locis suae Administrationis Apostolicae prudenter sequi hanc suam interpretationem?

Sacra eadem Congregatio inhaerens Decretis alias in similibus, editis, praesertim in una Sarsinaten, diei 22 Augusti 1722 rescribere censuit: « *Negative in omnibus iuxta enunciatum Decretum in una Sarsinaten, die* 22 *Augusti* 1722 (1). Die 9 Maii 1857.

(l) In citata *Sarsinaten,* **decem dubia fuerunt proposita sequentis tenoris: I.«An Episcopus civitatis Ducalis modernus Administrator ecclesiae Sarsinaten, in functionibus pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis et praerogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii Episcopi in propriis dioecesibus in casu etc. Et**

BRIOCEN.

Etsi iuxta Declarationes alias datas ab hac Sancta Sede Apostolica nomine Sancti Patroni Loci intelligi debeat Sanctus, qui in determinato loco, civitate, vel oppido colitur velut delectus ad Deum Patronus: nam Patronus Dioecesis non est colendus cum festo de praecepto iis in locis, quae peculiarem aliquem Sanctum venerautur Patronum : attamen Vicarius Generalis Dioecesis Briocen. ulterius a Sacrorum Rituum Congregatione requisivit, utrum iste Sanctus Loci Patronus sit ille Parochialis Civitatis: et quatenus affirmative, postulavit, quisnam sit Patronus Civitatis illius, in qua plures Ecclesiae Parochiales extant? Huic porro quaestioni Sacra Congregatio rescribere rata est: *Cessat omne dubium si Titularis Ecclesiae, qui etiam appellari quandoque solet Patronus Ecclesiae, distinguatur a Patrono Loci, puta Civitatis, Provinciae, Eegni etc. Titularis enim, sive Patronus Ecclesiae is dicitur sub cuius nomine, seu titulo Ecclesia fundata est, et a quo appellatur. Patronus autem Loci proprie is est, quem certa Civitas, Dioecesis, Provincia, Regnum etc. sibi detegit velut singularem ad Deum Patronum, servatis in eiusmodi electione*

quatenus negative. I!. An dictus Episcopus Administrator amovibilis ecclesiae vacantis, dum cantat Missas et Vesperas in Pontificalibus, possit sedere super Cathedra episcopali elevata quatuor gradibus parata cum baldacbino, ac postergale, et uti baculo. III. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate Apostolica. JV. An ei dum assistit Missae solemni ab alio cantatae debeant Canonici facere circulos ad *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus, et Agnus Dei,* **tuncque, ubinam debeat sedere? V. An fieri debeat Anniversarium suae consecrationis cum Missa cantata per Capitulum et Clerum eiusque nomen debeat in Canone memorari per Sacerdotes celebrantes. VI. An, cum Administrator Missam cantat in Pontificalibus, debeat poni super Altare septimum candelabrum cum candela accensa. VII. An, dum idem cantat Missam in pontificalibus, debeant omnes Canonici sacris paramentis indui; vel tres tantum fungentes officiis Diacoui, Subdiaconi, et Presbyteri assistentis. VIII. An, dum vadit ad Cathedralem , debent sumere cappam magnam in aedibus superioribus Episcopatus, vel ingressu ecclesiae, aut presbyterii. IX. An Canonici eum accessurum ad Cathedralem debeant omnes excipere in dictis aedibus, vel soli tres , aut quatuor ad portam ecclesiae. X. An diebus festis fieri debeant publicae orationes pro uovi Episcopi electione ad formam Concilii Tridentini et Caeremonialis Episcoporum.» Quibus S. C. respondit: ad I.** *Negative.* **Ad II.** *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.* **Ad III.** *Negative.* **Ad IV.** *Negative, et sedeat in primo stallo chori.* **Ad V.** *Negative.* **Ad VI.** *Negative.* **Ad VII.** *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.* **Ad VIII.** *Arbitrio Administratoris in casu etc.* **Ad IX.** *Decere in casu de quo agitur ut omnes accedant.* *Aà.* **X.** *Affirmative.*

regulis in Decreto sa. me. Alexandri VII. diei 27 *Septembris* 1659 *statutis* (I).

Die 9 Maii 1857.

CADURCEN.

Kalendarista Dioecesis Cadurcensis Sanctae Sedi Apostolicae supplicia vota sua porrexit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum

I. *lix* Indulto Romae dato Anno 1852 die 2 Decembris pro Dioecesi Cadurcensi quater in Anno approbantur Vesperae defunctorum post Vesperas Dominicae iuxta antiquam, ct laudabilem consuetudinem, et elastina die Missae Solemnes de Requie pro defunctis; dummodo non obstet duplex primae vel secundae Classis, Festum de praecepto servandum, Feria, Vigilia, et Octava privilegiata. Quum vero ritus illi pro omnibus generatim defunctis ctlebrentur,humilliine quaeritur

1. An dictae Vesperae cantandae sint ritu duplici?

2. An in illis dicendus sit Psalmus: *Lauda anima mea?*

3. An dicenda sit unica Oratio *Fidelium Deus;* vel potius tres Orationes in Breviario adnotatae?

4. Quaenam Missa solemniter cantanda sit crastina die, prima nimirum, an in quotidianis?

II. Ex alio praecedenti Indulto Apostolico dato eodem Anno 1852 die 18 Novembris etiam Dioecesi Cadurcensi conceditur, ut in singulis Ecclesiis Parochialibus Civitatis, atque integrae Dioecesis ter in qualibet hebdomada locum habere valeant Missae de Requie cum cantu dum Officia occurrunt ritus duplicis; attamen exclusis semper Duplicibus primae, et secundae Classis, Festis de praecepto servandis, Feriis, Vigiliis, et Octavis privilegiatis. Quum autem ex Rubrica diebus secunda, tertia, quarta, et quinta Ianuarii, Missae de Requie celebrari nequeant, quaeritur : an virtute supradicti Indulti supraenunciatis diebus decantare liceat Missas de Requie , ac praesertim Missas de diebus tertio, septimo, trigesimo, et anniversario?

Ill.In Dioecesi Cadurcensi nulla, aut fere nulla extant Anniversaria proprie dicta,sed die circiter octavo, vel anniversario ab obitu , Missae plures celebrantur pro defuncto cum magno concursu parentelae, et amicorum. Hinc quaeritur

1 .An in dicto casu cantari possit Missa de Requie assignata pro die septimo, vel anniversario, sub ritu duplici, vel potius haec Missa ex quotidianis sumenda?

2. An omnes Missae celebrari aut cantari possint de Requie dura occurrit Festum duplex , an vero celebrandae de Festo occurrente?

IV. In omnibus ferme Ecclesiis

(i) Alexander VII. eo Decreto coercuit excessus interpretationis Indultorum circa cultum Beatos non Canonizatos respicientem, ac Decreta renovavit *ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum natalia cum Octavis celebrentur etc.*

Dioecesis Cadurcen. tribus diebus ante Feriam quartam Cinerum celebratur Oratio Quadraginta Horarum. In illa Oratione ex Instructione Clementina Missa pro Pace cantanda est secunda die cum colore "violaceo siue *Gloria*, et sine *Credo;* quae quidem Missa cantanda non est nec in Altari, in quo Sanctissimum Sacramentum publicae Fidelium venerationi manet expositum, neque in Altari, ubi Sanctissima Eucharistia in Tabernaculo asservatur. Quum ab annis innumeris mos invaluerit in Dioecesi Cadurceu. tribus enunciatis diebus Missam Solemnem cum cantu celebrandi in Altari maiori, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum expositum est, inde quaeritur

1. Est ne servanda exposita consuetudo; vel potius eliminanda?

2. Necessario ne est cantanda Missa pro Pace, an vero per Missam de Festo occurrente , vel de Sanctissimo Sacramento iuxta Rubricas supplenda?

V. In triduo Hebdomadae maioris, Feria quinta videlicet, Feria Sexta in Parasceve, et Sabbato Sancto ab omnibus de Clero etiam Canonicis genuflectendum est ex Rubrica ante Crucem Altaris. Quum autem Officium Nocturnum Feriae quintae in Coena Domini dicatur Feria quarta hora competenti, quaeritur , utrum genuflectendum sit ante dictam Crucem ab initio Matutini Feriae quintae; item an in toto Sabbato Sancto, an vero tantum usque ad Matutinum Festi Resurrectionis Domini in Sabbato Sancto legendum, aut canendum?

Sacra Congregatio rescribendum censuit.

Ad I. *Quoad primam quaestionem, negative: quoad secundam, affirmative: quoad tertiam, negative ad primam partem, affirmative ad secundam : quoad quartam, negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Quoad primam quaestionem: Missam sumendam esse in quotidianis, nisi agatur de die vere septima, vel ab obitu: quoad secundam quaestionem: negative ad primam partem, affirmative ad secundam* (1).

Ad IV. *Quoad primam quaestionem: inhaerendum quantum fieri potest Instructioni Clementinae : quoad secundam: Missam Votivam pro Pace suppleri posse per aliam Missam Votivam ex iis, quae continentur in Missali Romano arbitrio Episcopi.*

Ad V. *Genuflectendum Cruci ab initio adorationis Feria sexta in Paresceve usque ad Nonam Sabbati Sancti inclusive.*

Die 9 Maii 1857.

RUREMUNDEN.

Professor Rubricarum in Seminario Ruremunden. in Ncerlandie Sacrorum Rituum Congregationi se-

il) Quamdam affinitatem habet cum praesenti quaestione illa quam adduximus in *Fol. I. pag.* **42.**

quentia Dubia pro opportuna declaratione proposuit, nimirum

I. Utrum Vigilia alicuius Festi transferri possit, si Festum, quod Vigiliam habet, in diem fixam perpetuo sit translatum, uti accidit in Civitate Ruremondensi, ubi Festum Sancti Iacobi Apostoli transfertur ob occurrentiam Sancti Christophori Martyris Patroni Ecclesiae Cathedralis? (1).

II. Utrum Patronus Ecclesiae Cathedralis a" Clero extra Civitatem celebrari debeat ritu duplici?

III. Utrum satisfaciat suae obligationi , qui applicare debet pro defuncto, vel in honorem alicuius Sancti, cantando Missam ex. gr. de Venerabili Eucharistiae Sacramento Feria quinta, vel de aliquo Sancto ex consuetudine, determinata die per hebdomadam.

IV. Utrum obligatus legere in honorem Septem Dolorum infraOctavam Beatae Mariae Virginis (die permittente legere Missas votivas) dicere possit dictam Missam de Septem Doloribus, vel dicere debeat Missam de Beata Virgine infra Octavam?

Sacra Congregatio rescribere rata est.

Ad I. *Negative.*

Ad H. *Detur Decretum in Bossanen, diei* 22 *Augusti* 1772 *ad Dubium V.* (2).

Ad III. et IV. *Dubia clarius exponantur.*

Die 6 Maii 1857.

PORTUS ALOISII.

Quum Sacra Congregatio de Propaganda Fide opportunum duxerit ad hanc Sacram Rituum Congregationem mittere nonnulla Dubia a Riïio Domino Guillelmo Bernardo Allen Collier Episcopo Portus Aloisii huic Sanctae Sedi Apostolicae proposita pro solutione, subscriptus Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius haec ipsa Dubia eodem ordine, quo proposita fuerunt, retulit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Quirinale hodierna die coadunatis, nimirum

T. Utrum in responso a Sacra Rituum Congregatione die U Septembris 1847 in Taurinen, ad Dubium secundum dato, quod respicit Missas Defunctorum cantanda», verba illa precatio Suffragii includant Sequentiam *Dies irae,* quae vix vocari potest oratio, vel precatio? Item utrum in dictis Missis cantari necessario debeat Offertorium ?

(1) Non inopportune hic recoli potest Decretum S. Congreg, indulgentiarum quod respicit indulgentias in translatione Festorum, quodque attulimus in *Vol. I. pag.* **489.**

(2) In citata *Bossanen,* **proponebatur dubium V. his verbis : « An Festum » Conceptionis B.** M. **V. , quae est titulus ecclesiae cathedralis, celebrari debeat » sub ritu duplici primae Classis tum in civitate, quam in dioecesi et ab utroque » Clero : » cui S. C. respondit ;** *Affirmative.*

II. Circa Extremae Unctionis administrationem Libellus inscriptus. « Ordo administrandi Sacramenta èx Rituali Romano extractus, et iussu Episcoporum in Anglia adhibendus dicit:» Intincto stylo, vel pollice in oleo Sancto etc. Quum vero Theologorum non una sit sententia circa consuetudinem adhibendi stylum in hac sacra Unctione, et Theologi ipsi concludant, quod quisque sequatur usura Ecclesiae suae ; quaeritur utrum in Dioecesi ista Portus Aloisii, in qua invaluit usus stylum, seu virgulam argenteam adhibendi in administratione extremae Unctionis, usus ipse tuto continuari possit?

III. Quum in Dioecesi Portus Aloisii usus hucusque praevaleat in Baptismate adultorum ritum adhibendi pro Baptismate infantium designatum, Episcopus Orator postulat, ut ex gratia liceat hunc usum servare praesertim ob paucitatem Sacerdotum, quorum unicuique in ipsa Dioecesi incumbit cura quinque , vel sex amplius millium Catholicorum, cum eodem numero Paganorum ; ac proinde temporis angustiae ex hoc proveniunt.

IV. Quum Sacra Rituum Congregatio circa usum stolae in Processionibus adhibendae a Cappellano Confraternitatis Sacrorum Saginatum Velitris Anno 1824 die 27 Martii rescripserit. « immemorabili usu mature perpenso, habitaque ratione, quod Decreto generali (1703) minime obstante, etiam in Urbe, et alibi consuetudo in contrarium viget; animadvertens tandem decere, et conveniens esse, ut Confraternitatum Cappellanus a simplicibus Presbyteris distinguatur, rescribendum censuit servandam esse consuetudinem, et nihil innovandum» quumque rescriptum istud Sacrae Congregationis sa:me:Leo Papa XII. die 30 iisdem Mense, et Anno approbaverit , quaeritur : licet ne in Dioecesi Portus Aloisii Cappellanis, et a fortiori Parochis, publice Stolam deferre in Processionibus?

Sacra Congregatio rescribere rata est.

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative remota necessitatis causa.*

Ad III. *Negative in omnibus.*

Ad IV. *Servandam esse Locorum consuetudinem.*

Die 9 Maii 1857.

EBROICEN.

Quum Rmus Dnus Episcopus Ebroicen. ab hac Sancta Sede Apostolica humillime postulaverit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum

I. Canouici Ecclesiae Cathedralis Ebroicensis, quum Missam sunt celebraturi ab aliquot annis induunt Sacra Paramenta ad Altare sicuti Episcopi: potest ne abusus iste tolerari ?

H. Iidem Canonici, dum vagantur per Urbem Ebroicensem, gestant Palliolum, seu Mozzettam : potest ne abusus iste tolerari?

III. Iidem Canonici usum habent gestandi Palliolum, vulgo SVtozzettam, non solum in Choro Cathedralis Ecclesiae, verum etiam in aliis Ecclesiis in quibus Sacra peragunt i potest ne abusus iste tolerari?

S. Congreg, respondere censuit:

Ad I. *Serventur Decreta alias edita in ma incerti loci Mediolanen. die* 18 *Augusti* 1629: *in una Cusentina diei* 5 *Iulii* 1631: *in una Palavina diei* 17 *Iunii* 1673, *et in una Reatina diei* 19 *Maii* 1838 (1).

(i) Haec sunt citata Decreta: *Incerti loci Mediolanen.* **Cum ex parte Card. Borromaei Archiep. Mediolanen, fuisset petitum a S. R. C. declarari : « an simplex » Praelatus Referendarius in Collegiata praepositus , vel Canonicus celebraturus » Missam privatim, possit paramenta sumere de Altari cum ministerio etiam lai» corum famulorum, et super presbyterio vel in stallo pulvinari uti ? »**

» Et S. **C..inhaerendo Decreto alias facto sub die 7. Iulii 4612, in quo fuit dictum solis Episcopis privatim celebrantibus id convenire, ut paramenta sacra non ex Sacristia, sed ex Altari sumere debeant, et habere duos ministros superpelliceo indutos, qui ei respondeant et inserviant, ut declaratur in Caeremoniali Episcoporum** *lib.* **2** *cap.* **29, respondit:** *caeteris privatim celebrantibus, et in specie Referendariis id nullatenus licere et ideo debere omnino a praedictis abstinere.-»*

Cusentina. **« Canonici Cathedralis Cusentinae exposuerunt: Vicarium Genera» lern pro celebratione Missarum capere Paramenta de Altari, adhibere tres Cap» pellanos cum quatuor candelis accensis, contra formam Decreti S. C. supradicta » adamussim prohibentis.»**

» Et S. C. *prohibuit Vicarium Generale Cusentinae Dioecesis capere Paramenta de Altari pro celebratione Missarum , nec non adhibere plures Cappellanos cum quatuor candelis accensis, et declaravit : Vicarium praedictum capere debere Paramenta in Sacristia, cum uno tantum Ministro Cotta induto et duabus candelis accensis.»*

In Patatnna.«Praeteudentibus nonnullis Canonicis Cathedralis Patavinae Missam privatam celebraturis, quod sibi liceat non sumere paramenta in Sacristia, sed ea collocare facere super Altari in cornu Evangelii, ubi accedentes, ipsa paramenta sumere et iisdem se vestire stantes super gradibus, et prope idem cornu Altaris, clerico uno, vel duobus adiuvantibus, idque vigore immemorabilis consuetudinis, quae dat privilegium et habet vim tituli: et hanc eorum consuetudinem permitti in *Rubricis Missalis , de ritibus servandis in celebratione Missarum cap.* **1** *n.* **i, ibi:** *deinde accedat ad locum in Sacristia, vel alibi praeparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur.* **Et** *cap.* **2** *n.* **2, ibi:** *si in altari paramenta accepit.* **Et replicantibus uonnullis aliis praedicta prohiberi, tam ex Decreto S. C. in principio Missalis inserto, ibi:** *non obstante quocumque praetextu, et contraria consuetudine, quam abusum* **declaravit; quam ex alio sub die 27 Septembris 1609" prohibente omnibus et singulis, etiam usum Pontificalium habentibus, in Missis privatis sumere dicta paramenta ex altari et praecipiente, ut ea in Sacristia sumantur, idque servari per duos Canonicos seniores, et servatum fuisse a quibusdam aliis Canonicis nunc defunctis, qui sumunt et sumpserunt dicta paramenta in Sacristia.**

» S. R. C. quidquid sit de iustificatione praefatae consuetudinis immemorabilis in facto, cum non ab omnibus servatam fuisse et servari supponitur, ut supra, et non

Ad II. et III. *Serventur Decreta, et praesertim generale diei* 31 *Maii* 1817 *Apostolica confirmatione a sa. me. Pio Papa VII. munitum* (1).

Die 9 Maii 1857.

ISCLAN.

Rfíie Dñe uti Frater, Sacrae Rituum Congregationi Amplitudo Tua exposuit consuetudinem in ista Dioecesi vigere, qua fit ut Capitulum Collegiatae Parochialis ecclesiae Spiritus Sancti sub propria Cruce in publicis Supplicationibus incedat, quamvis Cathedrale Capitulum interveniat, exceptis tantummodo Cadaverum associationibus, in quibus non sub propria, sed sub Cathedralis Capituli Cruce progredi solet. Metuens vero Amplitudo Tua nehaecdiversa agendi ratio futuris litibus occasionem praebeat, ad eiusmodi periculum vitandum, opportunum sibi videri dixit, si praefatae Collegiatae Ecclesiae privilegium tribuatur propriam Crucem etiam in Cadaverum associationibus deferendi.

S. Congregatio rescribendum censuit « *Nihil interim innovandum.* »

Romae 9 Maii 1857.

AVENÏONEN.

Canonicus Ecclesiae Metropolitanae Avenionen. cui demandata est cura Ordinem Divini Officii peragendi, sequentia Dubia enodanda S. R. C. proposuit, videlicet

L Anno proxime sequenti 1857 die vero 13 Septembris concurrit Festum SSmi Nominis Mariae cum festo S. Benedicti de *Ponte* nuperrime a S. R. C. Dioecesis Avenionen. benignissime concesso sub ritu duplici maiore, et die 13 Septembris fixo tanquam in sede propria. Inde dubium super festo transfe-

obstante etiam, quod praetendatur dicta Decreta non fuisse usu recepta in dicta ecclesia Patavina, et comprehendere casum ipsorum canonicorum de Padua, cum ipsi non praetendebant sumere dicta paramenta de Altari, idest'stando in gradu Altaris, ut faciunt Episcopi, sed accedunt ad Altare et sumunt in ipso Altari, et non in medio illius, sed in cornu: declaravit, inhaerendo aliis declarationibus: *Non licuisse neque licere Canonicis Cathedralis Pataviensis assumere sacra paramenta neque de, neque in altari, non obstante quacumque praetensa consuetudine etiam immemorabili in contrarium, quam abusum inpraescriptibilem declaravit, et contraria interpretatione seu distinctione dictarum Rubricarum Missalis et Decretorum.* Et ita omnino servari et exequi voluit et mandavit.»

Reatina. Similis praecedenti aderat consuetudo in cathedrali Reatina: quidam Episcopus illius dioecesis illam consuetudinem elimiuavit: alter successor Episcopus ut rem gratam faceret suo Capitulo, postulavit a S. Sede ut eam ex speciali privilegio confirmaret: cui S. C. respondit: *obstant Decreta.*

(1) In allegato Generali Decreto haec ad rem in §. 2. constituta fuerunt: « Dignitatibus vero et Canonicis, etiamsi gaudeant indulto deferendi Cappam et Rochetum tum in propria, quam in alienis ecclesiis; huiusmodi tamen aliorumque canonicalium insignium usum extra propriam ecclesiam licitum esse dumtaxat quando capitulariter incedunt vel assistunt, et peragunt sacras functiones; non autem si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur.»

rendo. Ob dignitatem siquidem praeponendum sane est Officium SSmi Nominis: si vero habeatur Officium SS. Nominis ut festum minus principale B. Mariae, et praesertim ut Festum mobile (incidere namque potest a die *d* ad diem 13 Septembris) praeferri videtur Festum S. Benedicti de *Ponte* in suam propriam sedem incidens; quodnam igitur Festum transferendum : S. Benedicti, an SS. Nominis Mariae?

II. Ex Responsis S.R.C, (die 12 Septembris 1840 in una Ordinis Excalceatorum SSmae Trinitatis) Officium semiduplex incidens in Dominicam infra Octavam non privilegiatam reponi debet in diem immediate sequentem non impeditam, quamvis Officium duplex prius translatum reponendum habeatur. Unde quaeritur 1. An Officium duplex incidens in Dominicam infra Octavam non privilegiatam ob occurrentiam festi potioris ritus, eodem gaudeat privilegio? 2. An festum Duplex per annum concurrens cum festo solemni Dioecesis octava gaudente transferri possit et debeat in proxime sequentem diem non impeditam , ita ut Duplex illud per annum celebrari debeat ante festa iam alias translata, eo quod praedictum Officium sedem habeat ut aiunt? 3. Et quoniam dies octava nunquam transfertur, ulterius quaeritur, quid dicendum de duplici concurrente in die octavae? potestne praeponi Officio duplici iam traslato, et celebrari feria immediate sequenti non impedita, ulterius reponendo Officia iam translata ?

III. In omnibus fere Breviariis Oratio SS. Innocentium his concluditur verbis *Per Dominum Nostrum Iesum Christum :* quaedam vero alia sunt in quibus eadem Collecta hanc habet conclusionem. *Qui vivis et regnas etc.* Melior multis videtur haec ultima conclusio hacfretis ratione: Deus enim, aiunt, cuius praeconium Innocentes Mártires etc. ipse est Dei Filius. Quae igitur praeferenda est conclusio, prima an secunda? 2. In Oratione S. Brunonis (6. Octobris) discrepant inter se Breviaria. In multis haec leguntur verba: *Ut qui Maiestatem tuam graviter delinquendo offendimus;* alia vero habent: *Ut qui Maiestatem iugiter offendimus :* ex istis duabus lectionibus quaenam retinenda est? 3. In festis omnium Sanctorum sic in pluribus Breviariis legitur oratio : *Deus qui nos omnium Sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari :* dum in aliis dicitur : *sub una tribuís.* De duabus istis lectionibus quae praeferenda? In Sequentia pro fidelibus defunctis sic in pene omnibus Missalibus legitur strophe: *Rex tremendae maiestatis, qui salvandos salvas gratis:* in quibusdam autem sic se habet haec strophe: *Rex tremendae... qui salvando...*Quae lectio admittenda est ut melior? Prima ne, an secunda?

IV. Antiphonae maiores ante Nativitatem Domini cantandae sunt

iuxta Rubricam stando, lente, graviter solemnique modo: quod semper fideliter observatur. Dubium tamen ortum est circa Canticum Beatae Mariae Virginis, scilicet utrum in feriali Officio cantari debeat eodem solemni modo quo antiphona, an vero cantu feriali ? Qui hanc ultimam tenent sententiam, hac ratione illam probare censent: nempe Officium esse de feria , et preces recitari flexis genibus: alii autem asserunt *Magnificat* cantandum esse solemniter sicut et antiphona, eo quod Antiphonae *O,* et Canticum sint correlativa inter se. Quid sententiendum ? Quid in praxi tenendum?

S. C. respondendum censuit:

Ad I. *Transferendum Festum SSmi Nominis Mariae utpote secundarium.*

Ad II. *Ad* 1. *quaestionem: transferendumpost alia officia eiusdem ritus praecedenter translata. Ad* 2 *quaest, negative. Ad* 3 *quaestionem: negative.*

Ad III. *Lectiones* Per Dominum nostrum *in Oratione SS. Innocentium mm.* sub una tribuisti *in Oratione omnium Sanctorum :* qui salvandos salvas gratis *in Sequentiapro Fidelibus Defunctis:* graviter delinquendo offendimus *in Orationes. Brunonis, conf ormes esse authenticis MissalibusS. Pii V' Clementis VIII. et Urbani VIII. ideoque retinendas.*

Ad IV. *Standum consuetudini.*

Die 9 Maii 1857.

IANUEN.

Abbas et Canonici Ecclesiae Collegiatae Sanctae Mariae *de Remedio* Anno 1796 , iri Civitate Ianuensi erectae exposuerunt huic Sanctae Sedi Apostolicae a fundatione Collegiatae eiusdem usum invaluisse, ut quandocumque in diebus Dominicis celebrat solemniter Missam aliquis Canonicorum, aspersio cum aqua benedicta, a Missali Romano praescripta, fiat non, a Celebrante, sed ab aliquo ex Cappellanis, seu Mansionariis eiusdem Ecclesiae servitio addictis Pluviali induto, qui antea Aspersorium tradere solet Abbati Choro praesenti, ut seipsum cum eodem Aspersorio benedicat, ac deinde illud Celebranti restituat, ut de more benedictionem perficiat. Quum autem superioribus annis Cappellani ipsi seu Mansionarii detrectaret huiusmodi usum servare utpote non conformem Decretis a Sacra Rituum Congregatione in similibus editis, Oratores humillimis precibus ab eadem Sacra Congregatione postularunt, ut vigentem consuetudinem confirmare dignaretur.

S. Congreg, rescribendum censuit: *Iuxta alias Decreta in Perusien. die 27. Novembris* 1632. *in Pisan, die* 12. *Novemb.* 1831. *et in Ulisbonen. die l ì . Aprilis* 1646. *ad* 3: *Aspersionem aquae benedictae in casu fieri debere per ipsum Celebrantem, minime vero per Mansionarium, vel Cappellanum Pluviali indutum. Abbati autem praesenti in Choro minime tradendum esse Aspersorium, ut seipsum aspergat, sed cum caeteris in Choro adstantibus aspergendum illum esse a Celebrante.*

Atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 11. Iulii 1857.

BRIOCEN.

Yicarius Generalis Dioecesis Briocen. assentiente Emo Episcopo, sequentia Dubia proposuit pro opportuna solutione, nimirum

I. Quando Festum Patroni minus Principalis, quod in Dioecesi agitur ritu duplici secundae Classis cum Octava immediate sequitur Festivitatem alicuius Sancti Apostoli ex. gr. Sancti Iacobi, utrum dicendae sint primae Vesperae de Patrono cum commemoratione Apostoli, an potius secundae Vesperae de Apostolo cum commemoratione Patroni ?

II. An concurrente Feria quadam Adventus cum Vigilia S. Thomae Apostoli, Missa dici debeat de Vigilia cum commemoratione Feriae vel de Feria cum commemoratione Vigiliae ?

S. Congreg, rescribendum censuit.

Ad I. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam:*

Ad II. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam; nisi Vigilia Sancti Thomae incidat in quatuor Temporibus, quo casu Missa erit de Feria cum commemoratione Vigiliae.*

Die 11. Iulii 1857.

MONTIS PESSULAN.

Cappellanus Monialium Beatae Mariae Virgiuis *de Refugio* in Civitate Montis Pessulani assentiente etiam in scriptis Emo Episcopo Montis Pessulani, exposuit huic Sanctae Sedi Apostolicae in quibusdam Ecclesiis Dioecesis illius usum invaluisse, ut in Missis cum vel sine Diacono et Subdiacono celebratis Presbyterum Assistentem Pluviali et Stola indutum Celebrans habeat. Quum autem hic usus minime conformis sit Ritui Sanctae Romanae Ecclesiae novissime in eadem Dioecesi redintegrato; quumque idem Riïius Episcopus in Ordine divini officii recitandi, ac sacrosancti Missae Sacrificii celebrandi hoc Anno 1857, omnibus suis Sacerdotibus omnino et stricte praeceperit Rubricas omnes Breviarii et Missalis Romani, et Sacrorum Rituum Congregationis Decreta servare, Orator ab eadem Sacra Congregatione enixe postulavit, ut duo sequentia Dubia declarare dignaretur; nimirum

I. Utrum usus Presbyteri in quacumque Missa Assistentis retineri, et adhiberi possit in Ecclesiis Dioecesis Montis Pessulani ?

II. Et quatenus Negative ad primum, quaeritur utrum huiusmodi usus liceat Archidiacono, et Canonicis Ecclesiae Cathedralis Montis Pessulani dum, impedito Episcopo, eorum aliquis in Festis solemnioribus celebrat ?

S. C. rescribere censuit: *Negative ad utrumque, et dentur Decreta in Cortonen. die* 10 *Septembris* 1701. *ad XIV. in Baren, die* 3 *Aug.* 1839

ad I. *et in Lucana die 7 Decembris* 1844 *ad* II. (!).

Die 11 Iulii 1857.

ULTRAIECTEN.

Rmus D. Ioannes Zuiysen Archiepiscopus Ultraiecten, et Administrator Apostolicus Dioecesis Buscoducensisin Neerlandia exposuit huic Sanctae Sedi Apostolicae, quod in illis Ecclesiis saepius per annum sub Missa solemni, et sub Laudibus Vespertinis exponatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum,»et quidem hoc modo. Initio Missae, et Laudum exponitur Sanctissimum sub cantu strophae *Tantum ergo,* et in fine in Tabernaculo recluditur sub cantu strophae *Genitori, Genitoque;* utraque autem vice, id est initio et fine Missae, et Laudum cum Sanctissimo Sacramento datur Benedictio Fidelibus sub verbis *Praestet Fides* et *Procedenti ab utroque;* Quum autem haec omnia minus conformia sint praxi universalis Ecclesiae, et Sacrorum Rituum Congregationis Decretis, Archiepiscopus Orator eidem Sacrorum Rituum Congregationi sequentia tria Dubia declaranda proposuit, nimirum

I. An possit retineri usus benedicendi Populum cum Sanctissimo Sacramento initio et in fine Expositionum in Missa, et Laudibus?

II. An hae benedictiones necessario dari debeantsubsilentio Chori, ita ut interea nihil omnino cantetur?

III. An in supposito, quod unica tantum in fine Missae, et Laudum, idque sub silentio, possit dari Benedictio, hanc praecedere debeat cantus stropharum, *Tantum ergo* et *Genitori* cum versu Besponsorio, et Oratione de Sanctissimo Sacramento, ut praescribitur in Rituali Romano, et Caeremoniali Episcoporum post Processionem cum Sanctissimo; quum iam in Missis et Laudibus Commemoratio de eodem Sanctissimo Sacramento sit habita, vel saltem Oratio sit dicta?

S. Congreg, respondere censuit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative in omnibus.*

Die 11. Iulii 1857.

MOLIN EN.

Quum Canonico Decano Ecclesiae Cathedralis Molinen. qui ex munere sibi commisso a Rmo illius Dioecesis Episcopo Sacris Ritibus

(i) In *Corfonen.* **sic propositum fuit dubium XIV. « An Canonicis tam** in **ca- » thcdrali, quam extra, Missam cantantibus tolerari possit assistens cum Pluviali: » cui S. C. respondit:** *negative, et dentur Decreta.* **In citata** *Baren,* **quaesitum fuit: « An in ipsa Collegiata Canonico solemniter celebranti liceat assumere Beneficia- » tum, qui officio fungatur Presbyteri assistentis cum Pluviali, Palmatoriam de- » ferendo : » cui** S. **C. respondit:** *negative in casu.* **In** *Lucana.* **« An canenteMis- » sam Canonico seu alia Cleri Dignitate, praeter Diaconum et Subdiaconum locum » habet tertius Assistens Pluviali indutus ; » cui S. C. respondit:** *negative, et dentur Decreta, praesertim in Cortonensi die 10 Septembris* **1701.**

in eadem Dioecesi observandis advigilat, id fuerit continue in votis, ut omnia iuxta Pauli Apostoli sententiam honeste et secundum ordinem fiant, ad id facilius et securius assequendum nonnulla Dubia Sacrorum Rituum Congregationi proposuit, humillimis additis precibus ut super iis, et aliis additionalibus, quae, postea exhibuit, iudicium suum manifestare dignaretur. Omnia itaque Dubia ab ipso proposita sunt quae sequuntur:

I. In plerisque Missalibus in Festo Dolorum Beatae Mariae Virginis sic legitur. *Hoc Crucis fert supplicium vitae factus homo:* in aliquibus autem . . . *Auctor vitae factus homo:* quaeritur quaenam lectio sit retinenda ?

II. Utrum in Missa coram Episcopo cantata, Diaconus cessare debeat ab osculis manus Celebrantis a Rubrica praescriptis ex. gr. Patenam, ^vel Thuribulum porrigendo?

III. Utrum in die Palmarum Episcopus Missae assistens debeat legere Passionem: et quatenus affirmative, utrum sedens, dum canitur Tractus , utrum stans dum Passio cantatur?

IV. Utrum in Officio Tridui mortis Christi omnes qui ceteroquin Cruci faciuut tantum profundam reverentiam, prout Episcopus, Canonici, Celebrans etc. debeant genuflectere: vel utrum haec genuflexionis regula locum habeat solummodo in die Parasceve post Crucis adorationem ?

V. Utrum quando aliquis muneris sui adimplendi causa per Chorum ventilat ex. gr. Caeremoniarius, vel Subdiaconus ad Sedem Episcopi pro praeintonationibus sexies in Vesperis Pontificalibus pergens , omnes de Coro aequalis, vel inferioris dignitatis assurgere, et stare debeant ?

VI. Utrum Ministris Altaris, vel Caeremoniario Chorum salutantibus per Missam, aut per Officium, Chorus correspondere debeat et quatenus affirmative : utrum deponendo biretum ? utrum assurgendo ?

VII. Utrum tolerandum sit, ut mos non geratur Decretis Sacrae Congregationis duos Ministros in Missa lecta prohibentibus *eo sub praetextu,* quod hi ministri non introducantur ratione Dignitatis Celebrantis, sed ratione celebritatis, aut fréquentions assistentiae , ex. gr. si Missa sit Parochialis , aut alicuius Communitatis?

VIII. Quatenus officium Ministri in Missa lecta inter duos nullo modo partiri liceret, quaeritur utrum permitti possit celebritatis, aut fre-r quentioris assistentiae causa, prout in Dubio praecedenti, introducere duos Clericos intorticia a principio Canonis usque ad Communionem sustinentes, servata alioquin unitate Ministri?

IX. Utrum diebus solemnioribus pro Missa lecta Parochiali, aut Communitatis, prout supra, accendi possint plusquam duo Cerei ?

X. Utrum Sacerdos in Missa postquam se communicaverit, priusquam Communionem adstantibus distribuat, possit sermonem ad Populum habere ?

XI. An tolerari possit ut tempore Missae, et Officiorum Candelabra Altaris ne pulvere sordescant aliquo drappo vel tela permaneant vestita , imo ut et ipsa Crux eodem modo involvatur, posita alia Cruce minori pro Cruce Altaris pretiosior sic oblecta ?

XII. Iuxta consuetudinem Ecclesiae Cathedralis Molinen. Nona dicitur ante meridiem, exceptis vigiliis, et diebus Adventus, Quadragesimae, et quatuor Temporum, in quibus post meridiem absolvitur. Quaeritur utrum his diebus, in quibus aliqua Missa non correspondens Officio celebrari debet, attenta praedicta consuetudine, talis Missa postOfficiummatutinum consuetum, idest post Sextam possit cantari, vel etiam Nona ante meridiem anticipanda sit, ut Rubrica de hora celebrandi Missam ad litteram servetur?

XIII. Utrum concurrentibus secundis Vesperis Officii votivi Immaculatae Conceptionis cum Vesperis Dominicae primae Adventus fieri debeat usque ad Capitulum de Officio votivo , et a Capitulo de Dominica cum commemoratione Immaculatae Conceptionis, vel cum de huiusmodi Officio votivo non fiat in Adventu, Vesperae debeant esse integrae de Sabbato, et absque Commemoratione ?

XIV. Ecclesia olim Collegiata sub nomine Beatae Mariae Virginis in Civitate Molinensi fuit aedificata: videtur tamen illam non fuisse consecratam, quia aedes numquam absolutae fuerunt. Ex omnibus monumentis credere est, Festum Annunciationis pro praecipuo, et Titulari fuisse habitum. Post perturbationem autem Galliarum, Parochialis facta fuit supradicta Ecclesia , et Festi Annuntiationis celebritate in oblivionem abeunte, Festum Assumptionis pro patronali coepit solemnizan. Tandem Episcopatu Molinensi erecto a Pio VII. haec Ecclesia in Cathedralem fuit erecta sub titulo Beatae Mariae Virginis. Primus Molinensis Episcopus possessione sedis suae in Festo Nativitatis Beatae Mariae Virginis Anno 1823 accepta, decrevit hoc Festum Nativitatis iam pro Titulari deinceps celebrandum, nulla tamen peculiaris sibi super hoc a Romano Pontifice datae potestatis facta mentione. Nunc quaeritur. I. Utrum sustineatur edictum primi Episcopi Molinen. Nativitatem Beatae Mariae Virginis pro Festo titulari assignatis? 2. Utrum Festum Annunciationis prout antiquis temporibus pro titulari huius Ecclesiae erit habendum? 3. Utrum qualitas Titularis Festo Assumptionis conveniat? 4. Quatenus non liceret moderno Episcopo titulum Annunciationis nunc restituere, utrum id ei permittatur post absolutionem aedificii de novo susceptam in consecratione Ecclesiae ?

XV. Fertur, responsum fuisse pro parte Sacrae Congregationis Iulio Lemovicensi Episcopo, occurrente Festo Sancti Martini Patroni alicuius loci in festo generali Dedicationis Ecclesiarum, quod in Gallia Dominica post Octavam omnium Sanctorum celebratur, faciendum èsse de Sancto Martino. Quaeritur 1. Utrum haec decisio locum habeatetiam in Ecclesia consecrata, pro qua supradictum Anniversarium Dedicationis non ut festum generale sed ut festum proprium haberi debeat ? 2. Utrum etiam Missa, quae Dominica proxime insequente Festa Patronorum celebranda est, praestetFesto generali Dedicationis; ita ut, si Festum dedicationis sit Dominica proxime sequens Festum Sancti Martini Patroni, Missa cantari debeat de S. Martino cum commemoratione Dedicationis ?

XVI. Utrum in Ecclesia tantummodo benedicta Altare possit consecrari, quin prius ipsa Ecclesia consecretur ?

XVII. Utrum in collatione Baptismi interrogationes possint fieri vernacule, vel saltem vernacule iterari, postquam latine factae fueriut?

XVIII. Pleraeque Moniales in Gallia utuntur libris sive antiquioribus, ut Carmelitanae, Dominicanae etc. sive recentius concinnatis, in quibus variae reperiuntur benedictiones et preces ex. gr. pro Vestitione, et Emissione Votorum. Nullam autem hi libri praeseferunt Sacrae Congregationis approbationera. Nec desunt in eis admirationem moventia ex. gr. apud Filias Beatae Mariae Virginis a Charitate Boni Pastoris, quae tuentur suos Libros asserendo eos esse in usu in Monasterio Ordinis sui in Alma Urbe existente, declarantur in quadam Oratione aeterna Dei consilia super electione et nomine huius Instituti. Sic canitur Psalmus IX. *Exaudiat te Dominus in die professionis (sic), protegat te etc.* In Responsorio *Libera me Domine* sic verba varianlur *Tremens facta sum ego etc.* Quaeritur **1.** Utrum licitum sit alicui Sacerdoti in functione ecclesiastica uti huiusmodi libris a Sacra Congregatione non approbatis? 2. Quatenus affirmative, utrum haec decisio locum habeat, etiamsi in his libris preces ecclesiasticae forent alteratae ut supra ? 3. Quatenus negative ad primum quaesitum, utrum licitum esset Sacerdoti Monialem in actu Vestitionis suae vel in professione votorum benedicturo aliquas depromere Orationes a Pontificali?

XIX. Utrum Sacerdos permittere possit, ut Moniales in quadam Anni solemnitate priusquam Sacram Communionem intra Missam recipiant, alta voce professionem Votorum suorum renovent. Item ut alia peragantur a Rubricis, et Sacrae Congregationis Decretis absona, sed libris consuetudinariis, qui antiqui asseruntur, conformia ex. gr. thurificationes in Missa lecta, et alia huiusmodi ?

XX. Consueverunt Mulieres post partum coram Sacerdote se sistere pro benedictione accipienda, etiamsi proles mortua fuerit quandoque sine Baptismo. In illo tamen casu verba orationum Bitualis Romani nunc in hac Dioecesi vigentis verificari non possunt , et aliunde benedictio non omitteretur sine aliqua admiratione plebis, et sine aggravatane moeroris mulierum huiusmodi. Quaeritur quid agendum, et utrum liceat, demptis iis, quae non verificantur postquam Mulier in Ecclesiam introducta foret, substituía aliqua oratione ex iis, quae in Missali continetur, benedictionem prout in Rituali impertiri ?

XXI. Utrum prohibitio facta a Sacra Rituum Congregatione absolutionis pro defunctis post Missam de die, etiam extendi debeat ad casum, in quo Sacerdos sacris vestibus exutus hanc functionem perageret prout omnino in ritu independentem et alienam a Missa? Et quatenus affirmative, pro parte Rfíii Episcopi Molinen. supplicatur pro gratia; in hac enim Dioecesi Liturgiam Romanam recens amplectere, usus harum absolutionum iampridem inoleverat, et Missae pro defunctis etiam in Duplicibus celebrabantur. Nunc autem si ad rigorem iuris redeundum esset, id forsitan aegre ferrent populi, et Parochi saepe pauperiores consuetis privarentur oblationibus , quod acerbe sibi traherent obloquentes contra Liturgiam nuper introductam.

XXII. Utrum servari possit consuetudo benedicendi cum Sanctissimo Sacramento retrocedentem Populum extra portas civitatis , regionis , sive domus infirmi etc. quando fertur Viaticum aegrotis ? Et quatenus nisi de speciali gratia id liceret, pro parte Rmi Episcopi supplicatur ad illam gratiam obtinendam, prout in una Massae et Populoniae diei 7 Aprilis 1832.

XXIII. Utrum propter viarum asperitatem, ac ventorum, nivium, glacierumque incommoda permitti possit a Rmo Molinen. Episcopo, ut Parochi Sacrum Viaticum deferant capite cooperto pilo ? Et quatenus nisi de speciali gratia id liceret, supplicatur pro parte supradicti Episcopi ad illam gratiam obtinendam, prout in una Bisinianen, diei 23. Maii 1846.

DUBIA ADDITIONALIA.

XXIV. Utrum reverentia per genuflexiones debeatur Celebranti in Pontificalibus, quando est Episcopus extraneus, vel Praelatus habens usum Pontificalium, vel Abbas sive in proprio Monasterio , sive ex speciali privilegio extra proprium Monasterium ?

XXV. Utrum Episcopo in crastinum non celebraturo Vesperas perficiente ad formam Capitis secundi Libri secundi Caeremonialis, officium Canonici Presbyteri Assistentis non in Pluviali, sed in habitu Canonicali pertineat ad primam dignitatem, vel ad primum Canonicum Presbyterum post Dignitates ?

XXVI. Utram Stola suppleatur sive per Pluviale , aut Planetam pro Canonicis paratis comrauni-caturis in Communione generali; per Dalmaticam pro Diacono Assistente Calicem de manu Episcopi accepturo in processione Feriae quintae in Coena Domini ?

XXVII. Utrum Canonici Sacerdotes praesentes in Ordinatione in habitu Canonicali manus impósituri super Ordinandos ad Presbyteratum debeant accipere Stolas: et quatenus affirmative, utrum debeant , Cappa vel mozzetta depositis, induere Superpelliceum ?

XXVIII. Utrum liceat exponere in Ecclesiis Imaginem Cordis septi Corona Spinea cum Cruce superposita ad designandum Cor Domini Nostri Iesu Christi, absque eo quod persona Domiui Nostri alio modo repraesentetur : vel etiam eodem modo Effigies duorum Cordium iuxta positorum ad exprimenda Corda Domini Nostri Iesu Christi, et Beatae Mariae Virginis?

XXIX. Utrum in Missa , vel etiam in Vesperis, quando Hebdomadarius non sedet in Choro, salutationes, thurificatio etc. debeant incipere ab ea parte, in qua sedet dignior ex praesentibus, vel ab ea parte , cui hebdomada contingit, et cui apposita est Tabella Chori?

XXX. Utrum Moniales, seu piae Foeminae vitam communem sub regula degentes possint cum licentia Ordinarii abluere Corporalia, Pallas, et Purificatoria ?

XXXI. Utrum in Officiisluctnosis Hebdomadae Sanctae, et in Officis mortuorum omitti debeant. 1. Salutatio Chori a quocumque adveniente post incoeptum Officium, et opportuna resalutatio ? 2. Salutatio Chori a Celebrante in accessu, et recessu ? 3. Salutatio Chori a Celebrante a Sede sua ad Altare pergenie ? 4. Salutatio Chori a quocumque cantaturo Lectionem , vel a Subdiacono Epistolam cantaturo ?

XXXII. Quum in Gallia praedicatio solemnior in Vesperis fieri communiter consueverit, quaeritur utrum Sermocinator coram Episcopo et Canonicis sermonem solemnem in Vesperis habens, possit induere habitum Canonicalem, prout Lib. primo Cap. 22. num. 2. Caeremonialis Episcoporum providetur ?

S. C. audito voto Magistr. Caerem. rescribere censuit:

Ad I. *Retinendam esse Lectionem:* Hoc Crucis fert supplicium Auctor vitae factus homo.

Ad II. *Servandum Caeremoniale Episcoporum.*

Ad III. *Negative, et servandum Caeremoniale Episcoporum.*

Ad IV'. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad V. *Negative, et servandum Caeremoniale Episcoporum.*

Ad VI. *Affirmative, caput aperiendo iuxta praxim.*

Ad VII. *Servanda esse quidem Decreta quoad Missas stricte privatas, sed quoad Missas Parochiales, vel*

similes diebus solemnioribus, et quoad Missas, quae celebrantur loco solemnes, atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis tolerari posse duos Ministros Missae inservientes, servatis ordinationibus S. Congregat, in una Tuden. diei 7 *Sept.* 1816 ai? *Dubia XI. et XII.{I).*

Ad VIII. *Ut ad VII. servata tamen forma Rubricae Missalis pro Missa solemni §. VIII. num.* 8.

Ad IX. *Provisum in VII.*

Ad X. *Affirmative ab Altari, et de consensu Ordinarii.*

Ad XI. *Negative.*

Ad XII. *Servandam consuetudinem, nisi agatur de Missis de tempore in Adventu, Quadragesima , quatuor Temporibus, et Vigiliis, vel de Missis votivis solemnibus pro re gravi, vel publica Ecclesiae causa eum populi frequentia , pro quibus standum est Rubricae XV. num.* 2 *et* 5 *vel nisi agatur de Missis de requie, pro quibus pariter servanda est eadem Rubrica num.* 3.

Ad XIII. *Affirmative ad primam partem : negative ad secundam.*

Ad XIV. *Quoad primam, secundam , tertiam, et quartam partem provisum in secundo : quoad 'secundam partem affirmative, dummodo constet Annunciationem Beatae Mariae Virginis fuisse titulum primaevum.*

Ad XV. *Non constare de asserta responsione pro parte Sacrae Congregationis.*

Ad XVI. *Affirmative.*

Ad XVII. *Negative quoad utramque partem.*

Ad XVIII. *Non licere, nisi probati fuerint a Sancta Sede, vel saltem ab Ordinariis.*

Ad XIX. *Affirmative ad primum, dummodo accedat Ordinarii approbatio, vel adsit consuetudo: quoad reliqua negative.*

Ad XX. *Servandum omnino Rituale Romanum.*

Ad XXI. *Supplicandum Sanctissimo pro gratia in casu, exceptis Duplicibus primae et secundae classis, et ad Mentem. Mens est, ut Ordinarius, ea qua par est prudentia, ac zelo, curet consuetudines, de quibus in Dubio, paulatim aboleri.*

Ad XXII. *Affirmative pro gratia attentis expositis.*

Ad XXIII. *Sacra Congregatio commisit Episcopo Molinen. ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat quoad Parochi in circumstantiis expressis in Dubio, capite pileo cooperto, Viaticum deferre valeant, comitante saltem uno homine, si fieri potest , accensam lanternam deferente. Contrariis non obstantibus quibuscum-*

(1) la citata *Tuden.* **sic dubia fuerunt proposita : XI. « An in Missis privatis » permitti possit Ministro aperire Missale et invenire Missam: XII. An, in iisdem » Missis privatis, permitti possit Ministro , si fuerit Sacerdos vel Diaconus sive » Subdiaconus, ut praeparet Calicem, et ipsum extergat in fine post ablutiones, » sicut in Missa solemni : » quibus S. C. respondit : ad XI.** *Negative , et serventur Rubricae ad XII. ut ad proximum.* **Idest ad XI.**

CIECA DUBIA ADDITION ALI A.

Ad XXIV. *Negative quoad Episcopum extraneum, et Praelatos habentes usum Pontificalium: affirmative quoad Abbates Regulares in suae iurisdictionis Ecclesiis tantum.*

Ad XXV. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

Ad XXVI. *Affirmative iuxta Caeremoniale Episcoporum, ei dentur Decreta* (1).

Ad XXVII. *Quoad primam partem provisum" per Pontificale Romanum, De Ordinatione Presbyterorum, quoad secundam partem negative iuxta praxim Archibasilicae Lateranensis.*

Ad XXVIII. *Ad Episcopum, servata forma Decretorum Concilii Tridentini et sa. me. Urbani Papae VIII.*

Ad XXIX. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

Ad XXX. *Negative.*

Ad XXXI. *Negativein omnibus, excepto Officio Feriae VI. ab adoratione Crucis usque ad Nonam Sabbaihi Sancti,*

Ad XXXII. *In casu de quo agitur affirmative.*

Die 12 Septembris 1857.

De contentis autem in Dub. XXI. per Eïïium Cardinalem Praefectum facta Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione , Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit, et confirmavit. Die 26 eiusdem Mensis, et Anni.

TAURINEN.

Rmus D. Aloisius Fransoni Archiepiscopus Taurinensis a S. R. C. humillime postulavit, ut sequentia Dubia declarare dignaretur, nimirum

I. In Officiis Maternitatis et Puritatis B. M.Virginis Capitula in Vesperis ponuntur propria, Rubrica vero Horarum minorum eorumdem Officiorum sic se habet: *Omnia ut in Officio Beatae Mariae Virginis in Sabbatho:* quaeritur proinde, an ad Horam Tertiae sumendum sit Capitulum proprium Vesperarum, vel aliud Beatae Mariae Virginis in Sabbatho?

II. An Hymni in Festo Sacratissimi Cordis Iesu concludi debeant per stropham *Iesu Ubi sit gloria, qui natus etc.?*

III. Quum ex speciali privilegio Sanctae Sedis in dioecesi Taurinen, solemnitas SSmi Corporis Christi gaudeat Octava adeo privilegiata, ut intra ipsam locum tantum habeant Officia duplicia primae et secundae Classis occurrentia non minus quam translata, diesque Octava excludat etiam Officium duplex secundae Classis: quaeritur an in secundis Vesperis ipsius diei Octavae seu in primis Vesperis Sacratissimi Cordis Iesu debeat fieri commemoratio enunciatae diei Octavae?

IV. De Anniversario Electionis et Coronatiouis Summi Pontificis, item de Anniversario Consecrationis

(I) Recoli possunt ea, quae disputata sunt in quaestione quam adduximus *pag.* **539** *et seqq.*

Episcopi fieri debet in Missa commemoratio; quaeritur ergo an eiusmodi commemoratio fieri semper debeat sub unica conclusione, an vero in occurrentia tantum duplicis primae vel secundae classis, et quando aliae commemorationes fieri debent, aut potius haec commemoratio addi debeat ultimo loco ? An idem servandum sit quoad commemorationem omnium Sanctorum Apostolorum addendae Missae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum Martyrum praescriptam in Festo S. Stephani Protomartyris ?

V. In nonnullis Breviariis Hymni in Festo S. Gabrielis Archangeli leguntur cum omnibus strophis respicientibus SS. Michaelem et Raphaelem Archangelus, in aliis hae tantum strophae habentur, quae ad S. Gabrielem spectant, prout fit in Hymnis eiusdem S. Raphaelis: quaeritur ex his duabus variantibus Breviarii editionibus quae servari et sequi debeat ?

VI. Quum in aliquibus Breviariis in Festo S. Ray mundi Nonnati pro primo Nocturno assignentur *Lectiones Beatus vir:* in aliis vero Lectiones primi Nocturni indicentur de Scriptura ; quaeritur quid in praxi servandum ?

S. Congregatio respondere censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam partem : negative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative in Officio, cui respondet Missa* Egredimini: *negative vero in alio Officio, cui respondet Missa* Miserebitur, *in quo conclusiones Hymnorum minime variandae sunt.*

Ad III. *Integras Vesperas recitandas esse de die Octava absque commemoratione Sacratissimi Cordis Iesu, si hoc Festum celebratur sub ritu duplici maiori.*

Ad IV. *Dilata: et scribat aliquis Apostolicarum Caeremoniarum Magister.*

Ad V. *Hymnum.* Christe Sanctorum *in Festo S. Gabrielis recilandum esse prout legitur in Festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli.*

Ad VI. *Lectiones primi Nocturni recitandas esse de Scriptura occurrente.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 12 Septembris 1857.

ALBEN.

Ecclesiae Cathedralis Albensis Capitulum eo gaudet honore , ut eiusdem prima Dignitas Archidiaconi titulo decorata, Abbatis etiam nomine et privilegiis cohonestetur, quibus olim fruebatur Abbas suppressi Monasterii Sancti Gaudentii in regione Sancti Stephani Belbi Ditionis Pedemontanae. Quum enim Anno 1759 VII. Idus Septembris Summus Pontifex Clemens XIII. idem Monasterium suppresserit per Bullam *Sollicitudinem Apostolici Ministerii,* ipsius Monasterii redditus et proventa Capitulo Albensi adiunxit: iura vero Abbatialia Archidiacono pro tempore Cathedralis ipsius concessit. Hisce iuribus fretus Ar-

chidiaconus Abbas Simon Morra, a die possessionis, quae locum habuit Anno 1832, in quibusvis Sacris Functionibus, etiam in Solemni Missarum celebratione Annulo gemmato usus est iuxta privilegium Abbatibus Sancti Benedicti competens et praerogativam Abbati Sancti Gaudentii olim spectantem, quin aliquis super delatione eiusmodi annuii quidquam in contrarium dixerit, vel saltem in dubium revocaverit usque ad Annum 1854, in quo R. D. Sabinus Rinaldi Vicarius Capitularis Dioecesis Albensis, Sede illa Episcopali vacante, reputans usum Annuli cum gemma minime convenire, praesertim in Sacris Functionibus, Archidiacono Albensi ceu Abbati Sancti Gaudentii, ab hac Sancta Sede simpliciter postulavit, ut declarare dignaretur primo: utrum liceret Archidiacono Abbati, uti tali Annulo, praesertim in Missae celebratione; an deinceps, in casu negativo, huiusmodi Annuli delatio esset inhibenda? Generice huic interpellationi, quae quum nuda proposita fuisset, nullam facti quaestionem involvere videbatur, illius temporis Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius iuxta generales regulas respondendum esse ratus, ex Audientia Sanctissimi Rescriptum obtinuit, quod eidem Vicario Capitulari per appositas Litteras datas V. Idus Maii eiusdem Anni 1854. communicatum fuit, et quo declarabatur, iuxta Decreta alias edita, huiusmodi Annuli delationem esse omnino vetitam, ac pluries reprobatane, et inhibitam, eidemque Vicario praecipiebatur, ut qua par esset prudentia, Archidiaconum Abbatem Morra de Annulo deponendo moneret.

Iussis illico paruit Archidiaconus Abbas Morra, qui tamen cum reputasset per tale Rescriptum suis privilegiis (ad quae tuenda iuramento sese obstrinxerat in Archidiaconatus possessione) detrimentum inferri, supplices preces cum pluribus documentis exhibuit Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. quibus revocationem Rescripti diei 11 Maii 1854 et facultatem pro suo privilegio vindicando humillime efflagitabat. Die 24 Iulii Anni proxime elapsi 1861, attentis expositis, oris aperitionem concessit, et non obstante Rescripto diei 11 Maii 1854 benigne annuit, ut de iure Archidiaconi Abbatis Albensis agnosceretur, et definiretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, audito prius Vicario Capitulari Albensi. Quae desuper notatu necessaria duxit idem Vicarius Capitularis huic Sacrae Congregationi pro suo munere exposuit, quae tamen iuxta receptum morem voluit, ut super eiusmodi controversia alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum in scriptis votum proferret.

Rebus sic ordinatis, Emus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis Praefectus in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna

die habitis sequens Dubium quum proposuerit : An liceat Archidiacono Abbati Cathedralis Albensis gestare Annulum cum gemma in Missa solemni, caeterisque Sacris Functionibus ? Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi , singulis accurate perpensis respondendum censuerunt : *Reportata* (1) *declaratione Rescripti diei* 11 Maii 1854, *affirmative.* Die 12 Septembris 1857.

De praemissis autem facta Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua sententiam ratam habuit, et confirmavit. Die 17eiusdem Mensis et Anni.

CALARÏTANA.

Ad finem properante Anno 1856, Calari in Sardinia viam universae carnis ingressus est nobilis vir Salvator Rossi, cuius Filii Metropolitanae Ecclesiae Capitulum instanter exorarunt, ut defuncti Cadaver associare vellet ad Ecclesiam Parochialem Sanctae Eulaliae , ibique exequias absolvere. Huius vero Ecclesiae Parochi Collegium constituentes, quum praeviderent propria sua iura laedi si ad suam Ecclesiam accederet Metropolitan. Capitulum, exequias super defuncto propriae iurisdictioni subiecto celebraturum, omni studio curarunt ut Capitulum a proposito desisterei;, sed incassum: nam idem Capitulum Cadaver associava, in Ecclesiam Sanctae Eulaliae ingressum est per minorem portam: nam ianua maior ex Parochorum industria clausa manebat, solemnem Missam , absolutiones , et coetera super Cadaver explevit, quin a Collegio Parochorum nec illa exciperet obsequia, quae singulae Ecclesiae Civitatis quamvis exemptae Capitulo Metropolitanae praestare solent.

Interim Parochi timentes, ne in posterum sua iura per Capitulum Metropolitanum pessumdarentur , Sacrae Rituum Congregationi rem omnem exposuerunt, ac ab ea humillime postulaverunt, ut duo a se proposita Dubia declarare dignaretur. Sacra.vero Congregatio desuper audire statuit Rmum Dominum Archiepiscopum Calaritanum iamdiu Romae degentem, qui deducta a Capitulo suae Metropolitanae iura iungens expositis a Collegio Parochorum Sanctae Eulaliae, sequentia duo Dubia ita concinnavit, ut quidquid iuris utrique parti competeret in eis comprehenderetur, nimirum

I. Utrum Capitulum Ecclesiae Metropolitanae habens in funerum associatione ex plurimis huius Sacrae Congregationis Decretis praecedentiam supra Parochum Defuncti , possit etiam in associatione cadaveris suae iurisdictioni minime subiecti erigere suam Crucem exclusa illa Parochi, eaque elevata, ingredi in Ecclesiam Parochialem Defuncti, ac in illa solemne Sa-

(1) Recoli possunt ea quae adnotavimus de *Rescripti Reportatione, pag.* 318.

cruna ac reliqua munia super cadaver persolvere, invito Parocho ?

II. Utrum Parochi Ecclesiae Sanctae Eulaliae teneantur servare consuetudinem excipiendi ad fores Ecclesiae habitu chorali induti Canonicos ac Beneficiarios Metropolitanae , quotiescumque tum occasione funerum, tum alia quacumque de causa praefatam Sanctae Eulaliae Ecclesiam ingrediuntur , eisque aquam benedictam manu Praesidis porrigendi^ ea sane ratione et modo, qui in reliquis huius Civitatis Ecclesiis, etiam exemptis, constanter perpetuoque observatum fuit , ac hactenus observatur ?

Ad I. *Quoad primam et secundam partem affirmative, quoad reliquas negative.*

Adli. *Servandam consuetudinem.*

Die 12 Septembris 1857.

CAROLINOPOLITAN.

Rme Domine uti Frater___Exponens Amplitudo tua huic S. Sedi Apostolicae in Ecclesiis istius Dioecesis Carolinopolitan. usum invaluisse adhibendi candelas ex sevo confectas, et huic irregulari praxi locum dedisse tum paupertatem earumdem Ecclesiarum, tum magnum cerae pretium in hisce Americae regionibus, a SSmo Dno Nostro Pio Papá IX. eadem Amplitudo Tua supplicibus votis postulavit, ut attentis expositis ratiouibus, de Apostolica benignitate hanc ipsam consuetudinem servari posse permitteret ; Sanctitas Sua , audita a me infrascripto S. E. Congregationis Secretario relatione, iussit, ut Amplitudini Tuae communicaretur, mentem suam esse ut curante Amplitudine Tua inductus abusus adhibendi candelas ex sevo eliminetur.

Grave itaque ne sit Amplitudini Tuae Sanctitatis Suae mentem, qua par est, prudentia, executioni demandare, et interim ipsi Amplitudini Tuae diuturnam ex animo felicitatem adprecor. Eomae 10 Decembris 1857.

Emo Domino uti Fratr.
Episcopo Carolinopolitan.

BALTIMOREN.

Pro parte Rmi Domini Francisci Patritii Kenrick Archiepiscopi Baltimoren. Sacrorum Rituum Congregationi sequentia proposita sunt Dubia pro opportuna solutione, nimirum

I. Ex Decreto Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX. Festum S. Titi Episcopi Confessoris celebrandum est in universali Ecclesia sub ritu duplici minori prima die libera post quartam Ianuarii. Quaeritur an iuxta praescriptum S. R. C. praefato Festo assignari debeat vel possit prima dies proxime non impedita iuxta uniuscuiusque Diócesis Kalendarium, ita ut dies illa in posterum sit tamquam dies propria, et fixa istius Festi, an vero nulla propria, et fixa die assignata , transferendum sit quotannis ad primam diem Festo duplici vel semiduplici illo Anno non impeditam, postposito quolibet alio officio etiam maioris ritus similiter translato ?

II. Si contingat ut in aliqua Religiosa Congregatione occurrant eadem die recitanda duo Officia votiva in singulis hebdomadis concessa v. g. Officium SSmi Sacramenti Dioecesi concessum, et aliud Officium similiter votivum praefatae Congregationi specialiter concessum ; de quo faciendum est ? Utrum de SSmo Sacramento vel de speciali Officio ?

III. Si Officium SSmi Sacramenti, quod semel in singulis hebdomadis ex Indulto Apostolico recitatur habet secundas vesperas integras, concludendus ne sit hymnus Completorii cura *ñtropha. Iesu tibi sit gloria,* vel potius ut infra annum , ita ut Officia huiusmodi votiva ad secundas Vesperas terminari censeantur ?

VI. Quum quaesitum esset, an parvi cochlearis pro aqua in Calicem intendenda usus esset licitus, Sacra Rituum Congregatio respondit Anno 1850 die 7 Septembris servandam esse Rubricam : quaeritur, utrum haec verbaintejligendasint eo sensu, ut usus cochlearis in praedicto casu omnino prohibeatur?

Causa dubitandi est, quia Rubrica dum praecipit, ut paulum aquae infundatur in Calicem, minime modum infundendi decernit.

S. C. respondendum censuit:

I. *Festo Sancti Titi assignandam semel et fixe primam diem in Kalendario Dioecesano non impeditam post quartam Ianuarii, et si fieri possit, diem VI Februarii.*

Ad II. *Fieri debere in casu de Officio speciali.*

Ad III. *Hymnum Completorii in casu concludendum per versiculumle*su tibi sit gloria.

Ad IV. *Negative, seu usum parvi Cochlearis non esse prohibitum.*

Die 6. Februarii 1858.

NORTHA3NTONIEN.

Quum Rmus Dominus Guillelmus Vareing Episcopus Northantonien. Sanctae Sedi Apostolicae sequentia tria Dubia pro opportuna declaratione proposuerit, nimirum

I. Utrum in Dioecesi Northantonien. praeter Commemorationes S. Georgii Martyris Angliae Protectoris, et S. Thomae Episcopi Cantuariensis Martyris Patroni Dioeceseos, facienda sit quoque ab omnibus Rectoribus, Missionariis et aliis Presbyteris Commemoratio Titularis Ecclesiae, cui inserviunt, etiamsi eadem Ecclesia non fuerit consecrata, sed tantum benedicta ?

II. Et quatenus affirmative, utrum Canonici etiamsi absint, et eodem tempore alteri Ecclesiae inserviant, teneantur Festum celebrare, et commemorationem facere S. Felicis Titularis Ecclesiae, quam Episcopus Nórthantoniensis (iuxta Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 21 Aprilis 1852) vice Cathedralis Ecclesiae rite constituit, ut interim omnia ibidem peragantur veluti in Ecclesia Cathedrali, quae deinde erit suo tempore designanda, atque in perpetuum constituenda?

III. Utrum in Conventibus et Ecclesiis, quae ad instar Paroeciarum in Dioecesi Northantoniensi institutae habentur, quando propter inopiam Cantorum Missa principalis, quae est etiam Conventualis, vel Parochialis cantari non potest, liceat plusquam duas Candelas in Altari accendere saltem in Festis solemnioribus?

S. C. rescribere rata, est.

Ad 1. *Affirmative dummodo Ecclesia sit consecrata, et ab iis tantum, qui de gremio suni eiusdem Ecclesiae.*

Ad IL *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative.*

Die 6 Februarii 1858.

MONTISPESSULAN.

Quum Rmus Dominus Carolus Thomas Thibault Episcopus Montispessulani Sacrorum Rituum Congationi sequentia Dubia pro opportuna solutione proposuerit, nimirum

I. Utrum in Missa pro Defuncto, corpore praesente, quando non cantatur, adhiberi valeant Diaconus et Subdiaconus sacris indumentis parati?

Et quatenus affirmative ad primum:

II. Utrum in ipsis exequiis Defunctorum extra Missam peractis adhiberi possint Diaconus et Subdiaconus Sacris indumentis parati?

S. C. rescribere censuit: *Negative ad utrumque.* Die 6 Februarii 1858.

LIMBURGEN.

Ab expositis huic Sanctae Sedi Apostolicae a Rmo Domino Petro Iosepho Blum Episcopo Limburgensi apparet in illa etiam Dioecesi ad usum Ecclesiarum passim comparari Campanas fusas ex chalybe, nimirum ex puro ferro, quod per fusionem et alias machinationes maiorem duritiem et rigiditatem accipit. Quum autem Episcopus orator haud certe sciat, num chalybs istiusmodi sit materia satis apta benedictioni , seu an aliquid obstet quominus Campanae ex chalybe fusae benedici possint iuxta ritum in pontificali romano praescriptum, ab eadem Sancta Sede opportunam declarationem supplicibus votis imploravit. S. porro Congregatio respondendum censuit: *Nihil obstare.* Die 6 Februarii 1858.

MISSIONIS POLI ARTICI.

I. An Ecclesiastici viri, qui regiones incolunt ultra circulum polarem positas, ubi tempore aestivo per plures hebdomadas sol nunquam occidit, nec vicissim per plures hebdomadas hyemali tempore oritur in divinis persolvendis Laudibus sequi possint Meridianum Romanum.

II. Utrum in iisdem regionibus deficiente cera, aliave idonea materia pro luminibus alendis, adhiberi possit,dum Sacrosanctum Missae Sacrificium celebratur oleum ex adipe Coeti, vulgo *Spermacetum* nuncupatum.

S. Congreg, exquisito super pri-

mo dubio voto R. P. Angeli Secchi e S. I. rescribendum censuit :

Ad I. *Juxta votum Astronomi P. Secchi.*

Ad II. *Communicetur Decretum sacrarum Missionum in Oceania diei 7 Septembris* 1850 (1).

Die 6 Februar. 1858.

PLURIUM DIOECESUUM.

Plures nuper diversarum Dioecesuum Rmi Antistites, nimirum Compostellanus et Salamantinus in Hispania, Aleniensis in Albania, et Meldensis in Gallia attendentes rigorosam executionem Decreti ab hac Sacra Rituum Congregatione lati in Elusitana die 16 Septembris Anni 1815 de uno tantum calice adhibendo a Sacerdotibus plures Missas ob necessitatem populi fidelis eadem die celebraturis, gravibus admodum difficultatibus subiici, quum Sacerdos alteram Missam non in ipsa Ecclesia, ubi primam celebravit, sed in alia longe dissita cogitur offerre, insuper vero advertentes morem duos in eiusmodi casu adhibendi Calices non modo universalem esse in Hispania et Gallia, sed etiam adeo veterem, ut omnem hominum memoriam facile excedat: ad hanc Sanctam Apostolicam Sedem pro modificatione praefati Decreti, certaque impetranda regula, quam tuto sequi possint, confugerunt.

Ut oblatarum hac de re a praedictis Antistitibus precum debita ratio haberetur, duo haec concinnata sunt Dubia, scilicet

(i) Allegatum Decretum sequentis est tenoris. SACRARUM MISSIONUM IN OCEANIA. « Etsi S. Congregatio de Propaganda Fide non intermisse institerit, ut in remotissimis etiam Missionibus pro Sacrosancto Missae Sacrificio adhibeantur Candelae ex industria apum labore confectae, et interdum ex Apostolica venia induisent, ut Missionarii possent uti oleo in Missae celebratione loco cerae, et deficiente etiam oleo, celebrarent absque luminibus; attamen praeterire nequivit férvidas preces Operariorum Evangelicorum in dissitis et adhuc nascentibus sacris Missionibus in Oceania, quorum nomine expouebatur, sibi pene impossibile esse pro Sacrosancto Missae sacrificio vel ceram vel oleum comparare ut iam impetratum Indultum pro oleo loco cerae adhibendo exsecutioni demandare valeant. Et cum Operariis ipsis non parum displiceat absque luminaribus Sacrosanctum celebrare Sacrificium, ac iisdem difficile minus appareat ex piscatione, quae ibi instituitur a Societatibus Balneariis consequi Candelarum illarum qualitatem, quae pluribus in regionibus sunt in usu, quaeque efformantur ex oleo, seu adipe caeti, praevia necessaria purificatione, et communiter *Spermaceti* appellantur; harum usum in sacra Actione sibi permitti instanter efflagitant, eo vel magis, quia ex eorumdem depositione huiusmodi Candelae ob nitorem, puritatem et lucem lingua illa nominantur *Bougies à l'étoile.* Et quoniam eidem S. Congregationi dé Propaganda Fide, antequam quidquam in re decerneret, placuit huius Sacrorum Rituum Congregationis votum et sententiam exquirere, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi in Ordinario coetu... cribratis maturo examine circumstantiis singulis in facti expositione concurrentibus, rescribere censuerunt: *affirmative, seu permitti posse dummodo preces veritate nitantur.*» Die 7 Septemb. 1S50.

I. An retinendus sit usus, qui dicitur vigere in Dioecesibus Compostellana et Salamantina, nec non in Dioecesi Meldensi, et in aliis Gallicis Dioecesibus, vel sit permittendus alibi, adhibendi scilicet ob peculiares rationes duos Calices quum Sacerdos duas celebrat Missas eadem die in Ecclesiis longe dissitis?

II. Et quatenus ob peculiares circumstantias huiusmodi usus retinendus sit vel permittendus, quid servandum cifca purificationem primi Calicis, ut et reverentiae Sacramento debitae consulatur, et Sacerdos ieiunus maneat pro secunda Missa , habita ratione peculiarium circumstantiarum, quae tam in primo, quam praecipue in secundo supplici libello exponuntur?

Iamvero quum Dubia isthaec Emus et Rmus Dominus Cardinalis Gabriel Delia Genga Sermattei expendenda proposuerit in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis anno Superiori 1857 die 12 Septembris ad Vaticanum habitis, Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, habitaque prae oculis docta et laboriosa elucubratione, quam R. D. Ioannes Corazza alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris de suo voto antea requisitus desuper confecerat, respondendum censuerunt.

Ad I. *Usum duorum Calicum in casu posse permitti.*

Ad II. *Ad Mentem: Mens est ut conficiatur Instructio.*

Eiusmodi autem Instructio, quam ad mentem, et ex mandato Sacrae Congregationis idem Emus et Rmus Cardinalis delia Genga Sermattei una cum R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei promotore digessit, est prout sequitur.

Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum Divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporali ponat Calicem et palla tegat, ac iunctis manibus in medio Altari dicat: *Quod ore sumpsimus* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* et abslergat. Hisce peractis, Calicem super Corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiet ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice inspiciat an aliquid Divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim Sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, quum particulae quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito Calice ad imum redeunt. Si itaque Divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem parte, qua ille primum est sumptus. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et super-

extantibus adhuc vini speciebus ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte, qua Sacrum Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum, purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab Altari decedat.

Depositis sacris Vestibus et gratiarum actione completa, aqua e Calice dimissa pro rerum adiunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in servanda purificatione in calicem demittatur ; vel gossipio aut stupa absorta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Quum.autem Calix, quo Sacerdos primum est usus purificatus iam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

De quibus omnibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. per Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis cum adnexa Instructione approbare, dignata est. Die 11 Martii 1858.

BRIOCEN.

Vicarius Gener. Rmi Episcopi Briocen. a S. R. C. sequentium Dubiorum solutionem humillime postulavit.

I. An processio in Festo S. Marci, et in Feriis Rogationum de praecepto fieri debeat intra Ecclesiam, quoties temporis inclementia ab Ecclesia egredi non patiatur?

II. Quum iuxta Decretum diei 12 Martii 1836 in Tridentina ad Dubium X. celebranda sit Missa Rogationum, quando Processio fit, hinc quaeritur 1. An die 25 Aprilis occurrente in Dominica in Ecclesiis ubi unicus est Sacerdos Missa cum cantu Rogationum valeat etiam pro adimplendo onere Missae Parochialis? et quatenus affirmative, quaeritur 2. An in eiusmodi Missa omitti debeant *Gloria* et *Credo?* 3. An haec Missa decantari debeat tono feriali?

III. In Ecclesiis, in quibus plures sunt Sacerdotes, debet ne haec Missa Rogationum omnino celebrari cum cantu;"an sufficiat hanc Missam celebrare absque cantu expleta processione ?

Sacra Congregatio rescribendum censuit.

Ad I. *Si Ecclesia capax est, congruentius esse Rubricis si intra eius ambitum Processio in casu fiat.*

Ad II. *Iuxta alias decreta affirmative in omnibus.*

Ad III. *Congruentius esse Rubricis ut canletur, non tamen stricte praecipi, nisi agatur de Ecclesiis, ubi Missa Conventualis quotidie cantanda est.* Die 14 Augusti 1858.

BRIOCEN.

Quum ex benigna S. Sedis concessione diei 4 Septembris 1847 in

Dioecesi Briocensi solemnitas SSmi Corporis Christi agaturcum Octava adeo privilegiata, nt intra OctaVam ipsam non alia Officia admittantur nisi duplicia primae et secundae Classis, RfEius Episcopus Briocen. a S.R.C, humillime supplicava pro declaratione sequentium Dubiorum.

I. An adveniente Festo Corporis Christi cesset Octava SSmae Trinitatis , in illis Ecclesiis, quarum titulus est ipsa SSma Trinitas, nec de illa ampiius fiat, ut legitur in Rubricis generalibus, quando supervenit Festum Pentecostes?

II. Et quatenus respondeatur negative: an fiat die Octava SSmae Trinitatis Officium Dominicae infra Octavam Corporis Christi cum commemoratione Octavae Corporis Christi et Octavae SSmae Trinitatis, aut sine commemoratione SSmae Trinitatis?

III. An potius faciendum sit Officium diei Octavae SSmae Trinitatis cum commemorationibus Dominicae et Octavae SSmi Corporis Christi ?

Sacra Congregatio rescribendum censuit.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative in omnibus.*

Ad III. *Affirmative.*

Die 14 Augusti 1858.

FLORENTINA.

Exortis in Dioecesi Florentina aliquot difficultatibus quoad modum nonnulla Officia Ordinandi in Kalendario Dioecesano Rmus Dominus Ioachim Limberti Archiepiscopus Florentinus pastoralis sui muneris esse duxit Sacrorum Ri-, tuum Congregationi pro opportuna declaratione sequentia Dubia proponere, nimirum

I. Festum S. Titi Episcopi Confessoris ex Decreto S.R.C, ritu duplici minori iniunctum est celebrari: hoc autem in Kalendario Dioecesis Florentinae affixum fuit die 31 Martii. Attentis vero verbis sextae Lectionis celebrandum est prima die libera post diem IV. Ianuarii. At ab anno 1858 huic Festo S. Titi dies 28 Ianuarii tamquam prima dies libera post IV. Ianuarii perpetuo est assignata. Quum vero festum SSmi Nominis Iesu Dominica Septuagesimae impeditum in hanc diem 28 Ianuarii transferri aliquando occurrat ; tunc S. Titi Festum ad aliam diem iuxta Rubricas de Translatione Festorum amandari debet. Quaeritur ideo sit ne id iuxta placitum S. R. Congregationis, et si secus in proposito quid agendum?

II. Ecclesia plebanica Sanctorum Crescii, Omnionis, et Emptii Martyrum loco vulgo *Valcana* in Dioecesi Florentina celebrat Festum eorumdem Sanctorum Titularium die 24 Octobris, et ideo incidit dies octava eiusdem Festi in diem 31 praedicti mensis. Hac ipsa die vero 31 celebratur in Dioecesi Festum B. Thomae Bellacci Confessoris Fiorentini sub ritu duplici minori: ideo quaeritur num Festum Beati Thomae transferendum sit ad diem secundam Novembris, in qua occur-

rit Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum , vel ad diem tertiam, qua fit praedicta commemoratio, quando Festum omnium Sanctorum incidit in Sabbatum, vel ducendum potius ad diem V. Novembris, quae semper manet libera?

III. Quum sit disparitas inter Festa primaria et secundaria, quaeritur an omnia Festa B. Mariae Virginis, quae celebrantur sub ritu duplici maiori, exclusis Transfixione et praesentatione, habenda sint tamquam secundaria?

IV. Si aliquod Festum bis in aliqua Dioecesi celebratur ex. gr. Sancti Raphaelis Archangeli Dominica III. post Pascha sub ritu duplici 2. Classis, et die 24 Octobris sub ritu duplici maiori, quodnam est primarium, quodnam secundarium? Haec disparitas est attendenda ab altiori ritu, vel a die quo pluribus in locis hoc idem Festum celebratur?

V. Festum B. Mariae Virginis sub titulo divini Pastoris Matris, quod celebratur Dominica prima Maii, quum fuerit impeditum in praedicta Dominica, transferebatur in primam diem liberam iuxta Rubricas de Translatione Festorum. Ab anno vero 1840 translatum est ad secundam, vel tertiam Dominicam. Quod si omnes Dominicae eiusdem Mensis essent impeditae, tunc transferebatur in primam diem liberam post Dominicam praedicti Mensis a S. R. C. assignatam. Ita se gessit Extensor Kalendarii, quoniam sibi suasum habuit editum fuisse Decretum ita praecipiens: at hoc Decretum penes Florentinum Capitulum non invenitur, et e contra pro Dioecesi S. Miniati extat responsum ad simile quaesitum his verbis expressum. *Non reperitur Decretum, in Regestis Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum. Die* 23 *Maii* 1835. Quaeritur ergo 1. An ab anno 1835 existat Decretum ita praecipiens, ut translatio Festi Beatae Mariae Virginis sub titulo Divini Pastoris Matris fiat de -Dominica in Dominicam mensis Maii? 2. Si negative, an possit in posterum fieri translatio praedicta de Dominica in Dominicam ut supra, vel potius agi debeat omnino iuxta Rubricam de translatione Festorum?

VI. Kalendarii Florentini Extensor obsequens usui, qui multis ab hinc annis iuvaluit, refert die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum Decretum a S. R. C. editum die 11 Aprilis 1820 quod his verbis exprimitur. Singulis Octavarii Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum diebus,unica Missa de Requie valet celebrari etiam si occurrat Officium ritus duplicis minoris dumtaxat; dummodo tamen non sit Officium de Dominica, vel festivum de praecepto. At Decretum hoc S. R. Congregationis, an vere existat, minime constat; nam in Romana S.R. C. Decretorum Collectione non reperitur, etsi in aliarum Dioecesuum Kalendariis pariter relatum sit: proinde quaeritur

an praedictum Decretum forte sit in Regestis S.R.C, an potius sit apocryphum.

Sacra Congregatio rescribendum censuit.

Ad I. *Consulam esse ut dies* 28 *Ianuarii libera relinquatur, et S. Tito perpetua sedes statuatur die VI. Februarii, hae vero in Kalendario Dioecesano rite impedita, alia die quae subinde libera reperiatur in eodem Kalendario servatis Rubricis de Translatione Festorum*.*

Ad ÍT. *Iuxta alias Decreta Festum Beati Thomae perpetuo aj-Agendum esse die V. Novembris.*

Ad III. *Exponendum casum in specie.*

Ad IV. *Dilata, et exhibeatur Indultum Apostolicae Sedis permittens bis intra annum de S. Raphaele celebrari Officium.*

Ad V. *Quoad primam quaestionem, negative: quoad secundam quaestionem negative ad primam partem, affirmative ad secundam ex gratia.*

Ad VI. *Praedictum Decretum reperiri in Regestis* ***S.*** *Congregationis, sed non esse nisi Indultum speciale pro una provincia Senensi.*

Die 14 Aug. 1858.

LIMBURGEN.

Instante Rmo Domino Petro Iosepho Blum Episcopo Limburgensi haec S. R. C. die 9 Maii 1857 respondit, attenta inveterata tam eiusdem Dioecesis quam plurium aliarum Germaniae regionum consuetudine, rata haberi posse ac etiam in posterum admitti pia quaedam Missarum Legata ex fundatorum lege coram SSmo Sacramento solemniter exposito celebrandarum in suffragium unius vel plurium Fidelium defunctorum, quamvis eiusmodi Missae, salva tantum ipsarum applicatione, quae semper fuit iuxta mentem fundatorum, nunquam ob dictam SSmi Sacramenti expositionem celebrari possint de Requie, nec iis diebus, quibus aliunde per Rubricas liceret. Hac S. Congregationis responsione accepta, quum Episcopus Orator incertus haeserit: an eiusmodi Missae pro defunctis applicandae beneficio Altaris privilegiati quoad Indulgentiam plenariam pro defunctis lucrandam, gaudeant: pastoralis sui muneris esse duxit, opportunam hac de re declarationem ab eadem Sacra Congratione humillimis precibus implorare. Sacra porro Congregatio in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, superiori Dubio accurate perpenso, visisque Litteris Apostolicis in forma Brevis Summorum Pontificum Alexandri VII. diei 21 Ianuarii 1667, Clementis IX. diei 23 Septembris 1669 et Innocentii XI. diei 4 Maii 1668 rescribendum censuit. « *Affirmative, dummodo Altare, ubi eiusmodi Missae celebrantur, gaudeat privilegio Apostolico pro Animabus Fidelium defunctorum.»* (1) Die 14 Augusti 1858.

ti) Videsis alterum Decretum Urbis et Orbis recens editum per S. C. Indulgentiarum, quod retulimus in *Fol. I. pag.* 42.

Belata postmodum quum fuerit per B.. P. D. Secretarium SSmo D. N. S. Congregationis sententia, illam Sanctitas Sua ratam habere et confirmare dignata est. Die 19 eiusdem mensis et anni.

NOTHING AMEN.

Biîius D. Riccardus Boskel Episcopus Nothingamen. exponens huic Sanctae Sedi Apostolicae per totam Angliam iussu sa. me. Bened XIV. in Suffragiis Sanctorum fieri commemorationem Sancti Georgii Martyris Patroni Regni, et Ecclesiam Cathedralem Nothingamensem rite consecratam fuisse sub titulo et invocatione S. Barnabae Apostoli, illud pariter addidit, quod in Breviario Romano eadem Oratio assignetur pro S. Barnaba et S.Georgio, variato tantum Sancti nomine. Quocirca ad amovendum omne Dubium Episcopus Orator ab eadem S. Sede humillime postulavit, ut declarare dignaretur, an ab iis qui sunt de gremio Ecclesiae Cathedralis, in suffragiis Sanctorum per Annum recitandis, post commemorationem S. Barnabae Titularis facienda sit commemoratio S. Georgii Martyris cum Oratione illa, quae in Breviario Romano habetur die 23 Aprilis, vel potius varianda sit Oratio Sancti Georgii sumendo aliam de Communi unius Martyris non Pontificis, quoties cum illa S. Barnabae concurrat?

S. Congregatio rescribere rata est. « *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*»

Die 14 Augusti 1858.

ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM.

Extensor Kalendarii provinciae Romanae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum exposuit, S. R. Congregationem die 7 Decembris 1844 in una Mechlinien, requisitam in dubio octavo: an in Ecclesiis, ubi Conversio S. Pauli colitur tanquam Titulus ritu duplici primae Classis cum Octava, alterum Festum eiusdem S. Apostoli , scilicet Commemoratio eius die 30 Iunii habeat ritum duplicem primae Classis, ac secundae Classis, vel an duplicis *maioris* tantum, tanquam Festum secundarium? respondisse: Nisi constet de speciali indulto quoad ritus elevationem ritu tantum duplicis maioris gaudet. Advertens vero Orator, in Ecclesia S. Mariae de Victoria, quam suus Ordo Romae possidet, Conversionem S. Pauli haberi tauquam titul. Ecclesiae eiusdem, ideoque celebrari sub ritu duplici primae Classis cum Octava, S. Congregat, humillime supplicavitpro declaratione sequentium Dubiorum, nimirum

I. Utrum in enunciata Ecclesia S. Mariae de Victoria Urbis, Commerationis S. Pauli Apostoli Officium die 30 Iunii ritu duplici *maiori* gaudere debeat?

II. Et quatenus affirmative, an die praecedenti 30 Iunii, in festo scilicet Apostolorum Petri et Pauli, secundae Vesperae ordinandae sint, ut in Ecclesia propria, scilicet totum de sequenti cum commemoratione S. Petri Apostoli?

Sacra Congregatio rescribendum censuit:

Ad I. *Quatenus Ecclesia revera dicata sit sub titulo Conversionis S. Pauli Apostoli servetur Decretum in Mechlinien, diei* 7 *Decembris* 1844 *quod ita legi debet: « Nisi constet de Speciali Indulto quoad ritus elevationem, ritu tantum duplicis minoris gaudet. »*

Ad II. *Negative, et secundas Vesperas diei XXIX. Iunii ordinandas esse in casu tanquam in Ecclesia non propria Sancti „Pauli.*

Die 14 Augusti 1858.

QUEBECEN.

Rmus D. Franciscus Baillergenn Episcopus Ilsae, Coadiutor et Administrator Apostolicus Dioecesis Quebecen, exposuit Sanctae Sedi Apostolicae Paroeciam Quebecensem Anno 1670 cauonice erectam fuisse ad quoddam Ecclesiae Cathedralis Altare in navi laterali, diversum titulum habens ab eo, qui proprius est eiusdem Cathedralis Ecclesiae; Parochum vero eiusque Vicarios, a tempore factae erectionis usque adhuc, agere semper cbnsuevisse Festum Titulare dicti Altaris ritu Titularibus competenti, nimirum duplici primae Classis cum Octava, nec non Titularis ipsius Commemorationem addere commemorationibus communibus, seu suffragiis Sanctorum, quoties in recitatione Divini Officii suffragia ipsa Sanctorum a Rubricis praescribuntur. Dubitans autem Episcopus Orator num rite actum huc usque fuerit, et num iuxta inductam consuetudinem Parochus eiusque Vicarii sese in posterum gerere possint, rem omnem pro opportuna definitione ad Sacram Rituum Congregationem deferri curavit. Relata itaque eiusmodi Dubia per R. P. D. Secretarium in Ordinariis eiusdem S. Congregationis Comitiis, omnibus accurate perpensis , respondendum censuit. *Titularem Altaris ubi instituta est Parochia non gaudere privilegio Duplicis primae Classis cum Octava, nec maiori ritu a Parocho eiusque Vicariis esse celebrandum, quam celebratur in Cathedrali Ecclesia, excepta tantum eiusdem Tituli Commemoratione in suffragiis, quam a Parocho eiusque Vicariis addi convenit.* Die 14 Augusti 1858.

SANCTI CLAUDII.

Rme **Due.** Relatis a subscripto S. R. C. Secretario in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die habito precibus, quibus ab hac S. Sede Apostolica implorabas facultatem, attenta istius Paroeciae vastitate, tecum deferendi etiam Oleum Sanctum, dum sacrum Viaticum Fidelibus Paroeciae ipsius administrare debes; Sacra ipsa Congregatio tibi insinuare censuit, ut agendi normam desumas ex Rituali Romano. « De Sacramento extremae Unctionis c. I. §. XIII. » *Si autem acciderit;* nec non ex praescriptione a S. Carolo Borromaeo facta in Concilio provinciali Mediolanensi IV. quae sic habet. « Quum autem is (Parochus scilicet) ad aegrum, qui a Parochiali Ecclesia longius abest, gra-

viter ac non sine periculo mortis febri morbove laborantem SSmum Corpus Domini defert, ne ubi ad parochiale domicilium ipse redierit, mortem ille prius obeat, quam ad extremae Unctionis Sacramentum, eidem ministrandum reverti possit, vasculum etiam sacrae illius Unctionis secum ferat, illam ei, postquam Corpus Domini praebuerit, ministraturus , si ita morbi ingravescens ratione, mortisque periculo, faciendum censuerit.»

Haec pro meo munere tibi communicans , ut diu bene valeas ex animo adprecor. Romae 14 Augusti 1858. Rmo D. Henrico De Vaulchier Parocho Civitatis de Dole Dioecesis Saucti Claudii.

TUNQUINI OCCIDENTALIS.

Rmus Dominus Carolus Rubertus Ieantet Episcopus Pentacomiensis Coadiutor Vicarii Apostolici Tunquini Occidentalis ab hac S. Sede Apostolica supplicibus votis postulavit, ut super sequentibus tribus Dubiis mentem suam aperire, eaque declarare dignaretur, nimirum

I. Diaconus, qui ex mandato sui Vicarii Apostolici defert sacrum Viaticum infirmis, potest ne facere aspersionem aquae benedictae, dicere *misereatur, indulgentiam, signare infirmum,* vel *semetipsum,* dicere *Dominus vobiscum cum Oratione, et benedicere cum Sanctissimo Sacramento infirmum et assistentes?* Secus quid faciendum?

II. Si idem Diaconus ex pari mandato precans pro Defuncto dieat Vesperas, aut Laudes, vel preces exequiarum in Rituali, debebit ne eas cantare, aut legere? Debebit ne legere *Non intres,* cantare *Libera,* et circumiens feretrum poterit ne corpus aspergere aqua benedicta, et incensare , ac benedicere sepulchrum, et dicere alias preces, exceptis excipiendis, iuxta Rituale, praesertim si faciat has privatim in domibus privatis?

III. in Litaniis omnium Sanctorum post Versum: *Sancte Raphael,* si addatur distincta invocatio novem Chor. Angelorum, vel addatur invocatio unius vel plurium Sanctorum pro devotione cuiuscumque, amittuntur ne omnes Indulgentiae a Summis Pontificibus concessae in recitando sic Litanias? Si respondeatur affirmative, Episcopus Orator implorat ab eadem S. Sede ut easdem Indulgentias sibi iterum concedere dignetur.

Sac. Congregatio rescribendum censuit.

Ad I. *Deficiente Presbytero et Vicarii Apostolici concurrente licentia, affirmative in omnibus.*

Ad II. *Ut ad primum.*

Ad III. *Observanda Decreta, quae omnem vetant in Litaniis additionem.*

Die 14 Aug. 1858.

ULTRAIECTEN.

Perillustr. etRiïie Dñe uti Frater. Quum in Ordinariis Comitiis S. R. C. hodierna die ad Vaticanum habitis subscriptus Secretarius retulerit Litteras ab Amplitudine Tua SSmo D. N. Pio Papae IX. die 4

Martii vertentis anni datas, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi saluberrimum Amplitudinis Tuae consilium adoptandi in ista Dioecesi Ultraiectensi Rituale Romanum, exclusis quibuscumque aliis Ritualibus libris summopere commendarunt, et quin illud quamprimum eadem Amplitudo Tua executioni demandatura sit dubitare minime potuerunt.

Quod vero attinet ad renum unctionem, quam in administrando Sacramento extremae Unctionis nunquam in ista Dioecesi Amplitudo Tua adhibitam fuisse testatur, et quam idcirco postulat, ut in Rituali Romano omitti permittatur, visum est S. Congregationi nullam prorsus sive in hac sive in alia quacumque re suppressionem vel immutationem in Rituali induci oportere, sed illud voluit integre, et fideliter imprimi prout a Paulo Y. editum, et a Benedicto XIV. recognitum et castigatum fuit. Quod si unctio renum inusitata istic hactenus fuit, declaravit S. Congregatio patienter se quidem laturam si singularia istius Dioecesis adiuncta impediant quominus illico, et universim ad praxim unctio isthaec deducatur, insimul tamen ardentissimum votum suum expressit, ut curante Amplitudine Tua, et docentibus Parochis, paulatim et sensim sine sensu disponantur Fideles ad istam quoque specialem unctionem in extremo agone recipiendam iuxta Ritualis Romani praescriptiones.

Dum pro mei muneris ratione Amplitudini Tuae Sacrae Congregationis mentem communico , ut ipsa diu felix et incolumis vivat ex anmo adprecor.

Romae die 14. Augusti 1858.

Perillmo et Rmo Dno uti Fratri Archiepiscopo Ultraiectensi.

VENAFREN.

In Civitate Venafren. ubi ab antiqua aetate penes Coenobium Sanctorum Nicandri, Marciani et Dariae Religiosa extat Patrum Capuccinorum Familia, nonnisi superiore Anno 1857 Coenobium Sanctae Mariae de Monte Carmelo pro Familia sui Ordinis Patres Minores de Observantia, approbante Sede Apostolica, aperuerunt. Exorta statim inter utramque Religiosam Familiam controversia de iure praecedendi in supplicationibus, aliisque publicis Functionibus, eaque a Rmo Venafren. Episcopo ad S. R. C. deducta, haec ad impediendum , lite pendente, dissidiorum progressum sub die 6 elapsi Februarii rescripsit : exquiratur Votum utriusque Procuratoris Generalis et postea ponatur in Folio, exquisito voto alicuius Caeremoniarum Magistri, et interim absque praeiudicio iurium partium servetur ultimum Decretum in Coversanen. diei 7 Februarii 1847 et haec dispositio communicetur utrique procuratori.

Facta autem Rescripti huius communicatione quum et propria iura utrinque fuerint producta, et a delecto Caeremoniarum Magistro edi-

tura votum, Emus et Rmus Dnus Card. Ludovicus Altieri in Ordinariis S. R. Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis sequens Dubium proposuit: An in Processionibus aliisque Sacris Functionibus praecedere debeant Fratres Minores de Observantia, seu potius Fratres Minores Capuccini in casu? S. C. respondit *Negative ad 'primam partem, affirmative ad secundam.*

TAURINEN.

Rme Due. De Controversia, quam Rev. Parochus Ecclesiae Sanctorum Martyrum in Urbe Taurinensi superiore Anno 1857 excitavit adversus Rev. Parochum S. Dalmata ob erectam in huius Ecclesia non longe dissita ab alia Sanctorum Martyrum Societatem Immaculatae Conceptionis et sacri Cordis B. Mariae Virginis pro conversione Peccatorum, actum fuit in Ordinariis S. R. Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis. Sententiam itaque rogante Eñio et Rmo Dno Cardinali Iosepho Bofondi, Sacra Congregatio, auditis, quae a Te superiore Anno exposita fuere in Epistola diei 26 Maii, visis iuribus ab utraque parte scripto allegatis, votoque perpenso, quod delectus Apostolicarum Caeremoniarum Magister desuper exaravit, censuit praeexistentiam Piae Confraternitatis SSmi et Immaculati Cordis B. M. V. pro conversione Peccatorum in parochiali Ecclesia Sanctorum Martyrum canonice erectae, et Archiconfraternitati Parisiensi B. M. V. a Victoriis pro Indulgentiarum communicatione iamdiu aggregatae, nullimode impediresimultaneam existentiam Societatis Immaculatae Conceptionis, et Sacri Cordis B. M. V. pro conversione Peccatorum in Parochiali Ecclesia Sancti Dalmatia interveniente auctoritate Ordinaria, recentius institutae, nec locum esse in casu applicationi Constitutionis *Quaecumque* a Clemente VIII. editae die 17 Decembris 1604.

Quoniam vero in re, de qua agitur, ita iura partium sunt attendenda, ut inspici simul debeat quid ad spiritualem Fidelium aedificationem potissimum conferat, hinc eadem S. Congregatio prudenti tuo arbitrio commisit, ut publica pietatis exercitia, quae ex instituto duarum Sodalitatum in propriis ipsarum Ecclesiis fiunt, si eadem forte utrobique iisdem diebus et horis peragantur, idque dissidiis ac querelis occasionem forte praebent, Ipse, prout in Domino expedire iudicaveris, divides, et piis utriusque Ecclesiae exercitiis diverso tempore assignes.

Interim ut diu bene valeas ex animo adprecor. Romae die 14 Augusti 1858.

Rmo Dno Vicario Generali Taurinensi.

GRANATEN.

Rmus Dnus Salvator de Rogas Archiepiscopus Granaten, pro sua conscientia quiete et pastoralis muneris adimplemento supplici da-

to libello ab hac sacra Rituum Congregatione humillime postulavit, ut sequentia Dubia de Missa celebranda in Anniversario tum electionis, et consecrationis Episcopi, tum creationis et cognationis Summi Pontificis solvere dignaretur, nimirum

I. An Missa Solemnis in Anniversario electionis et consecrationis Episcopi sit praeceptiva in Cathedralibus et Collegiatis Dioecesis, licet Coeremoniale Episcoporum lib.2 cap. 35 num. 1 solum dicat *celebrari convenit?*

II. Et quatenus affirmative, an sit praeceptiva haec Missa solemnis in ambobus Anniversariis tam electionis seu confirmationis , quam consecrationis, ut annuere videtur Caeremoniale, et opinatur Talù ad Decretum 817 suae Collectionis, vel solum sit praeceptiva in Anniversario consecrationis, ut innuere pariter videtur Pontificale Romanum part. I. tit. 13. in fine, simulque Decreta huius Sacrae Congregationis, et praxis Ecclesiarum ?

III. An praeter hanc Missam solemnem in Cathedrali et Collegiatis post Nonam tali die, vel diebus celebrandam, Sacerdotes eiusdem Cathedralis et Collegiatarum in Missis privatis commemorationem facere debeant de praedicto Anniversario, vel Anniversariis, licet aliter opinetur Merati in Gavantum part. 1. tit. IV. num. IX. cum praxi, ut ait, Basilicarum Urbis, in quibus praeter Missam solemnem de die Anniversaria tam creationis quam coronationisSummi Pontificis nullam Missam privatam, vel commemorationemfieri asserit a Sacerdotibus etiam illarum Basilicarum?

IV. Et quatenus Affirmative ad Dubium tertium, an etiam de eodem Anniversario, vel Anniversariiscommemorationem facere teneantur in Missis tam cantatis quam lectis omnes Sacerdotes saeculares totius dioecesis Kalendario dioecesano utentes non obstante contraria antiqua consuetudine ?

V. Et quatenus Affirmative ad Dubium quartum, an etiam de eodem Anniversario commemorationem facere teneantur in omnibus Missis cantatis, et lectis omnes Sacerdotes Regulares totius Dioecesis proprio Kalendario utentes, non obstante pariter contraria perpetua consuetudine, et quod illorum Kalendarium generatim plures comprehendat Dioeceses?

VI. Iuxta Decretum S. R. C. in Aquen. die 2. Septembris 1741. Ad Dubium XI. de Episcopo translato celebranda est Missa in Ecclesia, cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die, quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit: quaeritur ergo utrum celebrari etiam debeat , vel saltem possit, Missa, vel respective commemoratio consecrationis eiusdem ?

VII. Utrum in toto Orbe Catholico sit praeceptiva commemoratio pro Summo Pontifice regnante in omnibus Missis cantatis et lectis in die Anniversaria tam creationis quam

coronationis eiusdem, quamvis hucusque in his partibus neque facta fuerit, neque huiusmodi praeceptum cognitum fuerit, neque erui necessario videatur ex Rubricis Missalis, neque ex capitibus 31 et 32 Coeremonialis Sanctae Romanae Ecclesiae?

Sacra Congregatio audito voto unius ex Caeremoniarum magistris respondit:

Ad 1. *Affirmative accedente mandato Episcopi.*

Ad II. *Affirmative ad primum.*

Ad III. *Affirmative ad primum.*

Ad IV. *Affirmative ad primum.*

Ad V. *Affirmative iuxta Decreta in una Portugallien. diei* 17 *Septembris* 1785, *et in Namurcen, diei* 23 *Maii* 1835 (1).

Ad VI. *Per Anniversarium Translationis nihil detrahi Anniversario consecrationis Episcopi.*

Ad VII. *Affirmative,*

Die 14 Augusti 1858.

MONTIS ALBANI

Rmus Episcopus Dioecesis Montis Albani in Galliis ab hac S. R. C. sequentium Dubiorum declarationem supplicibus votis imploravit, nimirum

I. An possit Sacerdos, quum Matrimonia extra Missam celebrantur, sicut in Ecclesiis Civitatum Montis Albani Dioecesis frequenter evenit, sponsis benedictionem impertiri, et orationes recitare, quae in Missali in Missa pro Sponso et Sponsa habentur, quaeque dicendae sunt tum post *Pater noster,* tum ante *placeat,* quando non agitur de Nuptiis , in quibus non est deneganda supradicta benedictio? Et quatenus affirmative, an teneatur ?

II. Licetne Missam pro Sponso et Sponsa, et benedictionem ad diem proxime sequentem vel in aliam multo remotiorem differre , etsi coniuges ante benedictionem Sacer-

(1) Allegata Decreta ita se habent: in *Portugallen.* **quaesitum fuit: «III. Quomodo celebranda est dies anniversaria consecrationis Episcopi, si occurrat in duplici minori? Ratio est dubitandi, quia duplex minor non est de solemnioribus memoratis in Decreto S. R. C.** 4 **Aprilis** 1705, **nec de feriatis, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. 2 cap. 25. » Cui S. C. respondit: ad III.** *Iuxta votum D. Magistri caeremoniarum, nempe in die consecrationis Episcopi occurrente Officio dup., Officium recitandum esse de dicto dup.; in Missis privatis post alias, si occurrant, faciendam commemorationem consecrationis cum Collecta:* **Deus omnium fidelium etc.** *post Nonam celebrandam Missam solemnem pro electione vel consecratione Episcopi cum* **Gloria, Credo et Praefatione** *de communi.*

In *Namurcen.* **« VII. An occurrente die anniversaria consecrationis Episcopi, facienda sit a Sacerdotibus omnibus per totam Dioecesim, vel solum in cathedrali, commemoratio eiusdem consecrationis in Missa.» Cui S. C. respondit: Ad VII.** *Iuxta praxim et Decretum in Portugallen. die* 17 *Septemb.* 1785 *per universam dioecesim in omnibus Missis, praeterquam in Solemni dicenda in Cathedrali et Collegiatis ecclesiis in quibus post Nonam dicenda est Missa cantata eiusdem Anniversarii*

dotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent ?

III. Utrum prohibitio Nuptiarum tempore Adventus et Quadragesimae intelligi tantum debeat de Missa pro Sponsis, ac de precibus pro Nubentium benedictione in Missali positis, an ipsum etiam attingat Matrimonium , quod cum solis celebratur caeremoniis et precibus , quae in Eituali reperiuntur ?

IV. An facta per Episcopum licentia contrahendi Matrimonium temporibus a S. Concilio Tridentino vetitis, censeatur etiam permissa benedictio coniugum per preces et orationes in Missa pro Sponsis contentas ? Et quatenus negative, an possit Episcopus in casu eam facultatem concedere?

S. C. rescribendum censuit.

Ad I. *Negative in omnibus.*

Ad II. *Negative in casu.*

Ad III. *Affirmative ad primam partem., negq&ive ad secundam, dummodo accedat Episcopi venia.*

Ad IV. *Negative in omnibus.*

Die 14 Augusti 1858.

BRIOCEN.

Rmus Vicarius Capitularis Dioeceseos Briocen. exposuit huic S. Sedi Apostolicae in Kalendario dioecesano, anno 1847 ab eadem S. Sede approbato die XV. Aprilis, affixum fuisse festum Canonizationis S. Guillelmi Episcopi Briocensis, quod in Cathedrali agi debet ritu duplicis secundae classis, et in Dioecesi ritu duplici maiori ; insuper in eodem Kalendario sequenti die XVI. eiusdem mensis occurrere festum S. Paterni Episcopi sub ritu duplici maiori. Quum autem vertente hoc anno 1859 enunciata die XV. Aprilis incidat festum septem Dolorum B. M. V. orator ab hac S. R. Congregatione declarari petiit : utrum in eadem Cathedrali festum Dolorum Virginis reponi debeat die immediate sequenti, nimirum XVI. Aprilis, translato iuxta Rubricas Officio S. Paterni? vel potius, an recitari debeat de S. Paterno, translato in primam diem liberam post Dominicam in Albis festo septem Dolorum?

S.C. rescribendum censuit:*Quoad primum affirmative; quoad secundum provisum in praecedenti.*

Die 26 Martii 1859.

NORTINGHAMEN.

A Secretario, relatis in Ordinariis Comitiis S. R. Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis, humillimis precibus, quibus Riïius Dflus Riccardus Roskel Episcopus Nortinghamen. declarari petiit : An Festum de S. Barnaba Apost. Cathedralis illius Ecclesiae Titulari sub ritu duplici primae classis cum Octava fieri debeat ab iis solum, qui vere sunt de gremio eiusdem Cathedralis Ecclesiae, seu potius iuxta alias decreta ab universo Clero Saeculari totius Dioeceseos ? Emi et Rïïii Patres sacris tuendis Ritibus praepositi rescribere rati sunt: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Die 27 Martii 1859.

CONGREGATIONIS SCHOLARUM PIARUM.

Praepositus Provincialis Congregationis Scholarum Piarum utriusque Castellae supplicibus votis postulavit ab hac S. R. Congregatione sequentium Dubiorum declarationem, nimirum

I. Quum anno vertente 1859 tribus subsequentibus diebus occurrant tria festa ritus duplicis secundae classis, videlicet S. Cordis Iesu die prima Iulii, Visitationis B.M.V, die secunda et pretiosissimi Sanguinis Domini die tertia eiusdem mensis; quaeritur quomodo ordinandae sint Vesperae praedictorum festorum in respectiva concurrentia?

II. Commemoratio S. Pauli Apostoli ob infra Octavam SSmi Corporis Christi in Hispania privilegiatam debet hoc ipso anno 1859 transferri iuxta Rubricam propriam in diem quintam Iulii; at quum subsequenti die quinta in Hispania celebretur ritu duplici minori festum Vesperae Commemorationis S.Pauli, dimidiaudae sunt ; quaeritur ergo quomodo facienda sit commemoratio praecedentis; utrum per Antiphonam de S. Paulo cum sequenti commemoratione S. Petri, an potius per antiphonam communem duorum SS. Apostolorum?

III. In Provincia Castellae Scholarum Piarum ex praescripto Regulae die tertia Novembris decantatur solemniter integrum Officium Defunctorum pro omnibus Religiosis Ordinis, qua etiam die pro ipsis Religiosis Defunctis Missae omnes applicari debent. Iamvero quum, ab immemorabili, usus invaluerit in praedicto Officio ad Laudes omittendi Psalmum *De profundis,* Missasque omnes celebrandi de Requie, quamvis in Hispania dicta die tertia Novembris occurrat Officium duplex minus Sanctorum innumerabilium Martyrum Caesaraugustanorum,contra quorumdam opinionem, caeteri sustinere conantur antiquam consuetudinem servari posse ea potissimum de causa , quia officium non recitatur sed cantatur. Quaeritur ergo : an liceat in eiusmodi Officio solemniter decantato omittere Psalmum *De profundis,* ac etiam utrum possint Missae celebrari de Requie, non obstante quod recitetur Officium duplex de enunciatis Sanctis Martyribus?

S. C. rescribendum censuit:

Ad I. *Iuxta Rubricas et huius S.C. Decreta festum Visitationis B. M. V. habere debebit integras utrasque Vesperas.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad III. *Negative in omnibus.*

Die 26 Martii 1859.

FESULANA.

Quum Rmus Dnus Ioachim Antonielli Episcopus Fesulanus, ad amovendam quamcumque ulteriorem commissi sibi Cleri anxietatem quoad usum sacrorum Paramentorum coloris flavi, a S. R. Congregatione declarari petierit; utrum sacra Paramenta serica coloris flavi adhi-

beri adhuc valeant loco coloris albi, atque eadem renovari liceat? S. C. rescribendum censuit ; *Iuxta alias decreta, negative in omnibus.* Die 26 Martii 1859.

CADURCEN.

Redactor Kalendarii Liturgici Dioeceseos Mechlinien, anno 1844 ab hac S. R. Congregatione nonnullorum Dubiorum solutionem exquirens Dubio secundo petiit : Iuxta Decretum S. R. Congregationis diei 12 Novembris 1831 celebrari non debet ritu duplicis primae classis cum *Credo* et octava festum titularis Cappellanim publicarum , quae existunt in Hospitalibus Domibusque Regularium. Verum existunt in Dioecesi Mechliniensi plura huiusmodi Oratoria benedicta quandoque etiam consecrata , quibus unus saltem Sacerdos tanquam Director seu Pastor adscriptus est, qui ex speciali commissione Ordinarii non tantum ibidem celebrat, sed et munia quaedam Pastoralia exercet v. g. instruendo Populum, aliqua Sacramenta administrando etc. Quaeritur ergo, an sub Decreto supracitato comprehendantur etiam praedicta Oratoria ? Cui quidem Dubio S. R. Congregatio die 7 Decembris eiusdem anni 1844 respondit: Negative iuxta Decretum diei 12 Decembris 1831. Iamvero quum in Indice Collectionis Decretorum authenticorum S.R. Congregationis Decretum istud Mechliniense indicetur hoc modo. Titulares Oratoriorum seu Cappellarum publicarum non sunt colendi ritu primae classis cum Octava. Sacerdos D. Ferrand ex Urbe Cadurcensi, assentiente Rmo Ordinario ab eadem S. R. Congregatione humillime declarari petiit, quid in praxi tenendum a Sacerdotibus adscriptis Cappellis, in quibus ex speciali commissione Ordinarii munia quaedam Pastoralia exercent ?

S. C. respondendum censuit : *Standum decisioni prout continetur in laudato Decreto diei 7. Decembris* 1844. *ad Dubium II. et non sensui gui eidem Decreto tribulus, fuit per errorem a Compilatore Indicis.* Die 26 Martii 1859.

MECHLINIEN.

Ut in recitatione Divini Officii ac celebratione sacrosancti Missae Sacrificii omnia disponantur et fiant secundum Rubricas et Decreta Sacrorum Rituum Congregationis, hodiernus Redactor Kalendarii Mechliniensis de expresso consensu scriptis etiam manifestato Emi et Rmi Dñi Card. Engelberti Sterchx Archiepiscopi Mechliniensis , eidem S. Congregationi sequentia Dubia proposuit ut quid in casibus propositis sit agendum declarare dignararetur.

I. Dominica I. Iulii occurrit festum pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. hoc vero anno 1859 sequenti die celebrandum erit ritu duplici maiori festum Sacratissimi Cordis Iesu translatum ex die hesterna (quae erat dies eius fixa in Kalendario Mechliniensi iuxta in-

dultum diei 23 Augusti 1850.) Quaeritur utrum in secundis Vesperis pretiosissimi Sanguinis omitti debeat commemoratio sequentis festi Sacratissimi Cordis, uti decretum fuit die 17 Augusti 1851 in concurrentia Octavae Corporis Christi cum eodem festo Sacratissimi Cordis.

II, Decrevit S. R. Congregatio in Ostunen. die 6 Septembris 1834, omittendam esse commemorationem Sanctissimi Sacramenti in Missa solemni de Sacratissimo Corde Iesu celebrata cum cantu in eius festo ante Sanctissimum Sacramentum expositum. Postea vero propositum fuit Dubium: utrum omittenda sit commemoratio de Venerabili, quando Missa propria Sacratissimi Cordis Iesu dicitur ad Altare, in quo Sanctissimum Sacramentum patenter est expositum, si alioquin praedicta commemoratio esset facienda. Et Sacra eadem Congregatio die 22 Maii anni 1841 in Mechlinien, respondit: Ad modum Collectae permitti posse. Hinc in praedicta Archidioecesi differentia orta est in praxi. Alii scilicet dicunt servandam omnino esse dispositionem Decreti in Ostunen. die 6 Septemb.anni 1834 et Decretum posterius in Mechlinien, censent intelligendum dumtaxat esse de casu, in quo commemoratio de Venerabili praescripta sit ab Episcopo ad modum *Collectae seu Orationis imperalae.* Alii e contra dicunt commemorationem de Venerabili semper addi posse dummodo aliunde Rubricae non obstent. Quaeritur itaque quisnam in memorato Decreto diei 22 Maii 1841 sit sensus horum verborum. *Ad modum Collectae.*

III. Quum hoc eodem anno 1859 dies 30 sit impedita propter occurrentiam diei Octavae Corporis Christi, Commemoratio S. Pauli Apostoli transferri debet in Dioecesi Mechlinien, in diem 5 Iulii. Postridie autem, nimirum die 6 Iulii, faciendum est Officium de die Octava SS. Apostolorum. Quaeritur primo: utrum in casu Vesperae integrae sint de Octava Sanctorum Apostolorum ut in Breviario, vel de praecedenti Festo Commemorationis S. Pauli cum Commemoratione S. Petri? Quaeritur secundo: quomodo ordinandae sint Vesperae quando Commemoratio S. Pauli celebrari debet postridie diei Octavae SS. Apostolorum, seu 7 Iulii: an scilicet de die octava SS. Apostolorum, an potius de sequenti festo Commemorationis S. Pauli cum commemoratione S. Petri?

IV. In illis Ecclesiis, quarum titulus est Conversio S. Pauli Apostoli, quae consequenter celebratur ritu duplici primae classis cum Octava, quandoque faciendum est intra illam Octavam Officium de festo Cathedrae S. Petri accidentaliter translato ex die 18 Ianuarii. Quaeritur utrum in hoc casu pro commemoratione S. Pauli in primis Vesperis ad *Magnificat* et in Laudibus ad *Benedictus* sumi debeant

Antiphonae cum Oratione ex festo Conversionis eiusdem: an vero illae, quae in Breviario et Missali assignantur in Cathedra S. Eetri die 18 Ianuarii ?

S. C. audito voto Magistri Caeremoniarum respondere censuit.

Ad I. *Affirmative.*

Ad IT. *Verba* Ad modum Collectae *intelligenda esse de Collecta seu Oratione ob publicam causam ab Episcopo imperata.*

Ad UT. *Quoad primam quaestionem : agendum a Capitulo de die octava sanctorum Apostolorum cum unica Oratione utrique Apostolo communi. Quoad secundam quaestionem: Agendum a Capitulo de Commemoratione S. Pauli cum Oratione eiusdem propria ac distincta a S. Petri commemoratione ?*

Ad IV. *Affirmatiae ad primam partem, negative ad secundam..*

Die 26 Martii 1859.

VICARIATUS APOSTOLICI TUNKINI OCCIDENTALIS.

Rmus D. Petrus Andreas Retord Episcopus Acanten. Vicarius Apostolicus Tunkini Occidentalis sequens Dubium S. Rituum Congregationi pro opportuna declaratione proposuit, nimirum : utrum quando Festum S. Titi Episcopi Confessoris non potest poni ante diem 19 Ianuarii, in qua incidit Festum S. Canuti Regis Martyris sub ritu semiduplici ad libitum , debeat poni in praefata die? Et in casu affirmativo: num facienda sit commemoratio S. Canuti, sicut et SS. Marii et Soc. MM. an potius commemoratio S. Canuti debeat omnino omitti ? Vel nonne melius esset in die propria fieri de S. Canuto sub ritu semiduplici, et festum S. Titi ad primam sequentem diem non impeditam transferri?

S. C. rescribere censuit: *Festum S. Titi assignandum, tanquam in sede propria die* 6 *Februarii nisi in Kalendario Dioecesano eadem die occurrat aliud Festum vel altioris Classis vel proprium Dioeceseos.*

Die 26. Martii 1859.

EUGUBINA

Riñus D. Innocentius Sannibale Episcopus Eugubinus exponens huic S. Sedi anno 1805 iussu cl. me. Angeletti Episcopi Eugubini prodiisse libellum Sanctorum Dioeceseos Eugubinae sic inscriptum : Officia Sanctorum de praecepto pro Regularibus in Ecclesia Eugubina ex Indulto Apostolico recitanda; illud pariter addidit Sanctimoniales Ordinario subiectas, quae tamen utuntur proprii Ordinis Kalendario, recitationem omittere Officiorum in memorato Libello descriptörum (quorum nonnulla nec concessionis Rescriptum praeseferunt) exceptis Officiis S. Patroni Loci Titularis, et Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, quae a Regularibus etiam recitari debent. Iamvero quum Episcopus Orator ab hac. S. R. Congregatione declarari petierit:

I. Utrum Episcopus possit, vel debeat iniungere omnibus Sancti-

monialibus' recitationem Officiorum, quae in enunciato Libello continetur, quamvis ipsae Sanctimoniales ob multiplicitatem Officiorum Kalendarii Ordinis quamplura Officia singulis annis ad ritum simplicem redigere teneantur ?

IL Quum in festis S. Patroni Titularis et Dedicationis Ecclesiae: Cathedralis Eugubinae ex benigna. S. Sedis concessione Clerus Saecularis et Regularis recitet Officia propria; quaeritur utrum Episcopus Orator possit vel etiam debeat praecipere Sanctimonialibus sibi subiectis, ut haec ipsa Officia adoptent, quamvis adhibeant proprii Ordinis. Kalendarium ?

S. C. rescribendum censuit:

Ad I. *Negative, nisi in Rescripta concessionis eadem Officia declarata fuerint de praecepto etiam pro Regularibus Kalendario Dioecesano minime utentibus.*

Ad II. *Affirmative, dummodo Breviarium , quo Moniales utuntur non discrepet a forma Breviarii Romani.*

Die 26 Martii 1859.

CONGREGATIONIS CLERICORUM EX CALCEATORUM SANCTISSIMAE CRUCIS ET PASSIONIS D. N. I. C.

Clerici Excalceati Congregationis SS. Crucis et Passionis D. N. I. C. degentes in sacro Recessu Oppidi Paleani Dioeceseos Prenestinae exponentes huic S. Sedi Apostolicae in eodem oppido eiusque Territorio die secunda Decembris agi sub duplici praecepto adstandi sacro et a servilibus abstinendi peculiare festum Translationis Sacrae Imaginis B. Mariae Virginis, *de Zancati* vulgo nuncupatae, cum Officio et Missa ritu duplici maiori, a S. R. Congregatione humillime postulaverunt , ut declarare dignaretur : utrum, stante Decreto huius S.Congregationis diei 5 Maii 1736 *in Einsilden. ad Dubium V. de Translatione Festorum,* quicumque Religiosi intra limites eiusdem Territorii degentes, etiam proprii Ordinis Kalendario utentes, debeant eadem ipsa die secunda Decembris Officium recitare de Translatione enunciatae Imaginis, de qua iam festum observant, translato in perpetuum Officio S. Bibianae Virg. Mart. in primam sequentem diem non impeditam: vel potius, utrum, servato ieiunio in pervigilio et festo sub utroque praecepto teneantur ritu semiduplici persolvere Officium S. Bibianae Virg. Mart. in proprio Kalendario occurrens? »

S. C. rescribere rata est: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Die 26 Martii 1859.

TARNOVIEN.

Rmus D. Iosephus Aloisius Pukolski Episcopus Tarnovien. desiderio flagrans , ut in Dioecesi sua sacrae Functiones ordinate fiant servatis Rubricis ac Decretis et praescriptionibus Sanctae Romanae Ecclesiae, a S. R. Congregatione humillime petiit, ut super sequentibus Dubiis sententiam suam dicere dignaretur.

I. An in Vesperis coram SSiïio Sacramento exposito celebrandis addenda sit commemoratio de eodem, atque omittendus versus, *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace?*

II. Utrum occasione Indulgentiarum, vel simili, qua Fideles magna cum frequentia ad sacram Synaxim accedere solent, ne sese penes Altaris cancellos turmatim óbtrudant, possit iisdem, sive per Ecclesiam, sive extra illam, in genua provolutis Eucharisticus panis distribui , an potius debeat tantummodo distribui penes cancellos linteo mundo contectos sive ad gradus Altaris?

III. Utrum Sacerdos SSmum Eucharistiae Sacramentum thurificaturus, postquam illud sub throno, seu baldachino collocavit, debeat stando vel flexis genibus incensum in thuribulo ponere, vel utrum SSmum Sacramentum thurificare debeat in modum crucis novem vel etiam pluribus thuribuli ductibus adhibitis: an potius, praemissa profunda reverentia, tres tantum ductus in eadem linea dirigere erga illud debeat, prouti fit in Crucis incensatione?

IV. In nostris regionibus ab immemorabili tempore invaluit consuetudo, ut in Processione, quae fit cura Sanctissimo Sacramento, semel ante illam et saepius, ea perdurante, Eucharistica benedictio populo donetur. In solemni vero Processione, quae agitur occurrente festo Corporis Christi, invaluit insuper, ut quoties ad aliquam stationem acceditur, vel ab ea receditur, toties benedictio donetur, et in reditu ad Ecclesiam Celebrans intonans Hymnum, *Te Deum laudamus,* benedicat ad quatuor mundi partes : rursusque in Ecclesia populo ab Altari benedicat cantans, *et benedic haeredilati tuae,* postquam SSmum Sacramentum manu regens ter cecinit, *Salvum fac populum tuum Domine.* Invaluit tandem in minoribus Processionibns, ut in reditu ad Altare recitetur Hymnus, *Rex Christe primogenite* etc. et ad verba, *Tuo nos Corpore refice sacroque Sanguine ablue,* benedictio donetur, eademque iteretur post cantum Stropharum, *Tantum ergo Sacramentum* etc. ac *Genitori G enlloque,* a Celebrante absolutum, qui hoc temporis intervallo Sanctissimum Sacramentum manibus tenere solet. Quaeritur ergo an haec omnia rite fiant?

V. An velum, quod imponitur humeris Sacerdotis ad deferendum SSmum Eucharistiae Sacramentum debeat esse coloris diei?

VI. Ob distantiam et consuetudinem invaluit in his regionibus, ut sacrum Viaticum non in Pixide ad infirmos deferatur, sed in vase Patenae simili, quod operculo munitur, et cui pro sancto Oleo aliud vasculum adnexum est. Hoc autem vas linteo obvolutum reponi solet in bursa Stolae consuta, in qua praeterea mos est Rituale, Bombacium , Candelas et Crucem aspor-

tandi. Quaeritur ergo qualis color conveniat huic bursae, ubi defertur Sacrum Viaticum ad Infirmos **cum Sancto Oleo?**

VII. Utrum in administrando Sacramento Baptismi licite Sacerdos uti possit Stola bicolori ex una parte violacea, et ex altera alba, iuxta opportunitatem ex ea parte invertenda, quae colorem praeferat a Rituali praescriptum?

S. R. Congregatio rescribendum censuit :

Ad I. *Negative ad utrumque.*

Ad IL *Praestare in casu, ut plura genuflexoria sive scamna linteo mundo coniecta hinc inde a cancellis circulatim seu in quadrum intra Ecclesiam ordinentur, et in extremitatibus interiecti spatii duo saltem Candelabra disponantur , quae perpetuo colluceant dum fidelibus circumadgeniculatis sacra Communio distribuitur.*

Ad III. *Sacerdotem, dum incensum ponit in thuribulo stare debere, ab eodem vero SSmum Eucharistiae Sacramentum , thurificandum esse triplici tantum ductu, sed genibus flexis, et tam ante, quam post incensationem profunda facta capitis inclinatione.*

Ad *IV.Expositos usus alienos esse a Rubricis et Decretis praescribenlibus, ut in supplicatione SSrM Sacramenti non adeo frequenter extra Ecclesiam benedictio donetur, sed. semel vel iterum dumtaxat: ut in reditu supplicationis ad Ecclesiam deponi debeat SSmum Sacramentum super Altari, et nonnisi semel cum eo benedici, et quidem post expletum cantum Stropharum,* **Tantum ergo - Genitori Genitoque,** *cum versículo et oratione: tandem vero ut in actu benedictionis nil prorsus cantetur.*

Ad V. *Velum humerale semper debere esse coloris albi.*

Ad VI. *Praedictum usum tolerari omnino non posse, et curandum ab Episcopo ut serventur praescriptiones Ritualis Romani.*

Ad VII. *Affirmative.*

Die 26 Martii 1859.

COMPOSTELLANA.

Sacra Rituum Congregatio,Rmo Dno Michaeli Sarcia Cuessa Archiepiscopo Compostellano, nomine éditons Kalendarii ecclesiastici in usum Cleri sibi commissae Dioeceseos humillime requirenti: Utrum in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum reponi possit aliquod festum ritus duplicis quod in fine anni supersit, quodque redigendum sit ad ritum simplicem? respondendum censuit: *Affirmative, quatenus agatur de duplici minori, cui ceteroquin iuxta ordinem translationis aliorum Officiorum eadem die competeret repositio, et dummodo hoc pacto locus ante anni finem dari queat alii duplici (non autem semiduplici) pariter translato.*

Die 26 Martii 1859.

CARTHAGINEN.

Quum Rmus Dnus Marianus Barrio Episcopus Carthaginen. S. R. Congregationem humillime exoraverit, ut super sequenti Dubio sen-

tentiam suam elicere dignaretur, nimirum:

Tn Processionibus publicis huius Ecclesiae Cathedralis: num Reliquiae Patroni Dioeceseos, quae deferuntur clausae im magna capsa argentea super humeros , debeant praeesse Imagini B. M. V. (non Patronae neque Titularis specialis) delatae etiam super humeros?

S. C. respondendum censuit, *honoratiorem locum prae Reliquiis Patroni competere Imagini Beatae Mariae Virginis.*

Die 26 Martii 1859.

SAPPEN.

Quum festum S. Marci Evangelistae hoc anno occurrat Feria secunda Paschatis Resurrectionis, eaque die iuxta Rubricas sit peragenda Processio Litaniarum maiorem Reverendissimus Dnus Petrus Severini Episcopus Sappen, a S. R. Congregatione declarari petiit: utrum in Ecclesiis Parochialibus Sacrarum Missionum in Albania, queis unicus tantum Sacerdos est addictus, celebrari debeat post Processionem Missa Rogationum : an potius Missa Feriae secundae Paschatis, ratione potissimum habita, quod in his regionibus Feria secunda et tertia Paschatis adhuc festivae de praecepto serventur ?

S. C. rescribere censuit: *In casu de quo agitur, legatur Missa de die cum commemoratione Rogationum sub unica conclusione.*

Die 26 Martii 1859.

IMOLEN.

Eme et Rfîie Dñe Obme.

Etsi S. R. Congregatio anno 1838 die 1 Septembris rescripserit in Eystecten. nihil obstare quominus benedictio Nuptiarum in Missali praescripta intra Missam, extra ipsam Missam detur ; attamen anno 1853 die 23 Iunii in una Limburgen. re maturius perpensa, ab illa decisione recedens , mandante S. D. N. Pio Papa IX. decrevit: Banedictiouem Nuptialem nonnisi in Missa impertiendam esse, nec diversimode declaravit anno mox elapso 1858 die 14 Augusti Dubiis respondens ea de re propositis a Riho Episcopo Montis Albani. Quum itaque novissima S.Congregationis decreta solemnem Nuptiarum benedictionem abstrahi vêtent a Missa, Eminentia Vestra iam videt Dubiis ab ipsa nuper exhibitis, quae id licere supponunt, nullum hodie locum superesse posse, postquam supradictum Decretum in Eystecten. quo unice innituntur, fuit revocatum (I).

Interim E. V. manus humillime deosculor.

Eminent. Vestr. Romae die 26 Martii 1859 Emo etRñioDño Card. Caietano Baluffi Episcopo Imolen.

(l) Hic habes explicitum exemplum , quo S. C. in legis liturgicae declaratione a decisis recessit, iuxta ea quae praenotavi initio huius Appendicis.

STRIGONIEN.

In Synodo Provinciali novissime Strigoniae celebrata orta est controversia de praecedentia sedendi, subscribendique inter Episcopos provinciales ibi congregatos. Affirmantibus se quidem Emo et Rmo Domino Card. Archiepiscopo aliisque Episcopis praecedentiae ordinem inter singulos suffraganeos desumendum esse a die, qua quisque illorum comprovincialem sedem obtinuisset, Rmus Georgius Girk Episcopali consecratione et titulo Ecclesiae Adrasensis *in partibus* ab anno 1838 donatus, qui Episcopus Provincialis Quinque Ecclesien. renuntiatus est die 10 Martii 1853, protestatione interposita, prolatisque in medium Can. *Episcopus VIII.* dist. 17, Can. *Placuit* 1. Dist. 18, Cap. *Cum certum* 1. de Maiorit, et obed., *Caeremoniale Episcop.* Cap. XXXI. lib. 1 n. 15 aliisque Auctoritatibus praecedentiam sibi omnino deberi existimavit supra reliquos Coepiscopos recentius consecratos, licet ratione adeptae Comprovincialis Sedis antiquiores. Synodo interim pacifice absoluta, delata controversia fuit ad pedes SSmi D. N. Pii Papae IX. eoque iubente, iudicio S. R. Congregationi subiecta.

Haec porro , utraque parte in scriptis audita, necnon exquisito desuper Voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis, referente Eñio et Rmo D. Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Albanen, et S. R. Congregationi Praefecto, controversiam ipsam mature discussit ac definivit. Perpendens itaque Canones aliasque Auctoritates ab Episcopo *Quinque Ecclesien.* deductas, dum decernunt tamquam regulam statuendae inter Episcopos praecedentiae praerogativam ordinum et tempus Ordinationis seu Consecrationis, spectata Ecclesiae disciplina et praxi, non *absolute* intelligi debere sed *discretive,* nimirum *ceteris paribus* in eodem gradu existentibus: atque insuper attendens vigentem ab antiqua aetate in Hungarico Regno consuetudinem interpretationi Episcopi *Quinque Ecclesien.* aperte esse contrariam, declaravit: In casu de *quo* agitur, praecedentiam Episcopo *Quinque Ecclesien.* competere iuxta tempus adeptae Sedis Episcopalis *Quinque Ecclesien.* (1) Die 26 Martii 1859.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM GENERALE

Quum Archiepiscopi atque Episcopi omnes Hiberniae Anno 1854 Dublini congregati a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. humillime postulaverint, ut festum Sancti Patritii Episcopi Confessoris, atque Hiberniae Patroni, quod in Breviario Romano ritu semiduplici notatur die 17 Martii, ad ritum duplicem pro universa Ecclesia Catholica elevare dignaretur ; Emi ac Rmi Patres Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando in generalibus

(i) Confer quaestionem affinem, quam retuli pag. 319.

Comitiis eodem Aimo habitis die 21 Iulii censuerunt supplicandum Sanctissimo pro gratia.

Hanc vero Sacri Consilii sententiam, quum, instante nuper novis precibus Archiepiscopo Dublinensi, Sanctitas sua benigne exceperit, iussit, ut festum Sancti Patritii-Episcopi Confessoris die 17 Martii amodo recolatur in universa Ecclesia ritu duplici minori, praesensque a Sacra Rituum Congregatione edi Decretum, ac promulgari mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 Maii 1859.

MEDIOLANEN.

Praeeminentiarum.

Statuta Capituli Metropolitanae Ecclesiae Mediolanensis primum a S. Carolo Borromaeo condita, deinde **a** Friderico Cardinale Borromaeo, facultate sa. me. Clementis VIII. Pontificis Maximi interveniente, recognita et absoluta, decernunt, ut Archiepiscopo gravi de causa impedito, Divina officia, quae certis diebus solemniter ille celebrare deberet, celebrentur ab Archipresbytero,qui est prima Dignitas, eoque absente vel impedito, a Primicerio, deinde **a** Praeposito, post a Decano, iisque omnibus impeditis, ab eo inter Canonicos, quos vocant Ordinarios, qui prior post Dignitates sit praesens. Quum autem D. Carolus e Comitibus Caccia Dominioni Canonicus Primieerius, qui in Ordine Presbyterorum est secunda Dignitas, paucis abhinc annis Episcopus Titularis Famaugustan. ac insimul Auxiliaris Rmi Domini Bartholomaei Romilli Archiepiscopi Mediolanensis a Sancta Sede Apostolica renuntiatus fuerit, existimavit non quidem ratione Primiceriatus, sed ratione honoris et obsequii, quod praecellenti Episcopali Dignitati et characteri debetur: praecipue autem ratione qualitatis Episcopi Auxiliaris, praedictum ius pro Archiepiscopo impedito divina Officia solemniter celebrandi, posthabita etiam prima Capituli Dignitate, sibi exclusive competere, prout saepius de facto celebravit, etiam praesente aliquando, et assistente ipso Archiepiscopo. Evectus autem Mense Aprili 1858 ad primam Dignitatem Archipresbyteratus Canonicus Dominus Caesar Maria Pertusati obstitit, et ius illud sibi omnino prae ceteris, quamvis alia quamtumlibet insigni Dignitate a Capitulo extranea fulgentibus , competere contendit, tum ex ipsa nativa eiusdem primae Dignitatis indole, sive iurium Capitularium natura, tum ex peculiari et positiva dispositione Statutorum, quae per diuturnam annorum seriem viguerunt et vigent. Ac ne sibi, suisque Successoribus ex hoc praeiudicium unquam inferatur, Sacrorum Rituum Congregationem adivit supplici oblato libello, quo in id praecipue intendeus, ut sarta tectaque Constitutionum Capitularium dispositio servetur, sequentia Dubia proposuit.

I. Absente vel nolente Archiepiscopo Pontificalia celebrare, spectat

ne ad Capitulum, nempe ad eius Dignitates ordine respectivo hinc primo ad Archipresbyterum, vel potius ad Episcopum Auxiliarem, etsi Canonicum non prima Capituli Dignitate praeditum?

II. In Supplicationibus sive SSmi Corporis Christi, sive Sancti Clavi spectatne, absente Archiepiscopo ad Auxiliarem Episcopum Canonicum, vel ad Capitulum, et pro eo ad Archipresbyterum SS. Eucharistiam, et sacrosanctum Clavum deferre?

III. Aegrotantibus Canonicis,Sanctissimum Viaticum, extremam Unctionem, et cetera quae rite praescribuntur, sunt ne praestanda ab Episcopo Auxiliari Canonico vel ab Archipresbytero, qui est etiam Parochus?

IV. Funeribus et exequiis Canonicorum praeerit ne stola indutus Canonicus Auxiliaris Episcopus, an potius Archipresbyter prima Dignitas et Parochus?

V. An qualitas Praefecti Capituli et Chori usque modo primae Capituli Dignitati collata, et acta iurisdictionalia respective per Apostolicas provisionis Litteras generice confirmata, respectu Pontificalis Dignitatis Canonici Episcopi Auxiliaris imminuta, yel sublata censeri queant.

VI. Episcopus Auxiliaris Mediolanensis titulo Famuugustan. in partibus annua congrua Episcopatui adnexa donatur, ut in Pontificalibus, nempe exercitio ordinis, Archiepiscopum sublevet.

Quaeritur: an et quoties huiusmodi Officii causa Auxiliaris Episcopus Canonicus absit a Choro, frui identidem possit tum annua congrua tum distributionibus quotidianis, et an sit de iure Capituli, eum absentem ut supra, ad distributiones admittere nec ne?

Quo autem Sacra Congregatio in iis definiendis procederet, omnes interesse habentes per Vicarium Generalem Mediolanensem scriptis audiri voluit. Atque hinc prodierunt 1. Deductiones Canonici Primicerii Episcopi Titularis a Sacrarum Coeremoniarum Metropolitanae Ecclesiae Magistro Exaratae: 2. Votum Capituli a tribus de numero Canonicorum, quos Ordinarios dicunt, ab ipso electis emissum, et ab eodem Capitulo approbatum: 3. Novae animadversiones Canonici Archipresbyteri: 4. Demum Litterae datae ex Curia Archiepiscopali, quae continent Vicarii Generalis super exorta controversia sententiam. Omnia haec prae oculis habens Sacra Congreg, requisito prius desuper Voto alterius ex Apostolicarum Coeremoniarum Magistris, quod una cum documentis supra enunciatis, aliisque, quae opportuna visa sunt, typis vulgatum est, in Ordinariis huius diei Comitiis ad Vaticanum habitis referente Emo et Rmo D. Card. Prospero Caterini, controversiam totam, ac Dubia mature examinavit, utriusque partis iura, privilegia, deductiones omni ex parte diligentissime discussit, et

unanimi suffragio respondendum censuit.

Ad I. *Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.*

Ad II. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

Ad III. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam, servata tamen vigente consuetudine.*

Ad IV. *Negative ad primam partem: affirmative ad secundam.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Ad Sacram Congregationem Concilii.*

Atque ita eadem S. Congregatio rescribere censuit, atque in posterum servari mandavit. Die 19. Septembris 1859.

MESSANEN.

Quum Ecclesia adiecta Asceterio Sanctimonialium Ordinis S. Clarae in Oppido vulgo *Castroreale* Dioecesis Messanen, reparatione indigeret, in operis molitione necesse fuit eam interius omni ex parte instaurare, sed ad praecavendum execrationis periculum eiusmodi instauratio successive et per partes ita facta fuit, ut nec Cruces e proprio loco unquam fuerint dimotae, duabus exceptis, quae Symmetriae causa alibi collocari debuerunt, et maior parietum pars nunquam fuerit decrustata. Modo autem, dubitatione Monialibus suborta, num Ecclesia consecrationem amiserit, rem omnem S. R. Congregationi exposuerunt, humillimis adiectis precibus, ut mentem suam desuper manifestare dignaretur. Sacra porro Congregatio, audito pro informatione et voto Efiio et Rmo Domino Card. Francisco de Paula Archiepiscopo Messanen, respondere et declarare censuit: *In casu, de quo agitur, Ecclesiam non indigere nova consecratione.*

Die 19 Septembris 1859.

CADURCEN.

Vicarius Generalis Episcopi Gadurcen. scire cupiens quomodo sese gerere debeant Parochi eiusdem Dioecesis in benedictione Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto peragenda; quo casu ob magnam Parochiae ab urbe Episcopali distantiam sacra Olea praecedenti Feria V. in Coena Domini ab Episcopo consecrata in promptu habere uequeunt, a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit, utrum iidem Parochi servare debeant Decretum diei 12 Aprilis 1755 in *Lucana ad Dubium III.* iuxta quod Fontis benedictio fieri posse in casu videtur absque sacris Oleis, privar tim subinde ac separatim infunden, dis postquam fuerint recepta : an potius aliud Decretum in *Oriolen,* diei 23 Septembris 1837 ubi praescribitur benedictionem Fontis in casu celebrandam cum infusione sacrorum Oleorum anni praecedentis? S. Congregatio respondendum censuit: *Servandum in caste postremum Sacrae Congregationis Decretum in Oriolen. diei* 23 *Septembris* 1837.

Die 19 Septembris 1859.

URBIS ET ORBIS.

Postquam Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX Anno 1854.

Dogma de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione, universo plaudente Orbe Catholico, solemniter proclamavit, vetus Christifidelium pietas erga splendidissimum istud Deiparae privilegium , nova veluti addita flamma, adeo exarsit, ut si hoc festum nequeat VI. Idus Decembris, quae propria est ipsius dies, ob occursum Dominicae secundae Adventus celebrari, vehementer doleant diu quandoque protrahi debere.

Communibus itaque Cleri, populique fidelis votis Sanctitas Sua satisfacere cupiens , quod de duobus aliis Beatissimae Dei Genitricis festis Purificatione et Annuntiatione a Sacra Rituum Congregatione cautum est Decreto *Vrbis et Orbis* diei 20 Iulii Anni 1748, ad festum quoque Conceptionis extendere dignata est, ac proinde iussit, *ut quibus Annis praedictum festum occurrerit in Dominica secunda Adventus, transferendum sit in Feriam secundam immediate sequentem, quocumque festo etiam aequalis, non tamen altioris ritus in eam incidente.*

Hoc autem Decretum promulgari, atque in generalibus Calendarii Romani rubricis adiici voluit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 24 Maii 1860.

SYRACUSAN.

Metropolitanae Ecclesiae Syracusanae Dignitatum et Canonicorum votis benignissime annuens SSmus Dominus Noster Pius Papa IX. per Apostolicas Litteras : *Quum Sanctitudinem,* datas die 11 Martii 1850 iisdem non modo concessiones iam factas a sa. me. Praedecessore suo Pio Papa VII. per Apostolicas item Litteras, *Ecclesiarum nitorem,* sub die 6 Maii 1816 confirmavit (salvo tamen earumdem Litterarum tenore, et ad tramites Constitutionis *Decet Romanos Pontifices,* IV. Nonas Iulias 1823), verum etiam nova antiquis addens privilegia, permisit eis usum Pontificalium Insignium ad instar Abbatis Moutis Cassini , Faldistorii nimirum cum subpedaneo, absente vel praesente Archiepiscopo , et Sede Archiepiscopali vacante, Baculi Pastoralis cum velo.

Nonnulla autem super huiusmodi privilegiis sive antiquis, sive recentioribus excitata sunt Dubia. Et primo quoad usum Pontificalium Insignium, quae nuper concessa sunt, Rmus Archiepiscopus iisdem Dignitatibus et Canonicis non aliter procedendum esse significavit quam iuxta regulas generales a laudata Constitutione Pii VII. *Decet Romanos Pontifices* (1), traditas, a quibus in eo privilegiorum usu inter alia *Epi-> scopi assensus et Capituli interventus* omnino requiritur. Negant Dignitates et Canonici restrictive hac conditione se teneri, quam sublatam contendunt per Apostolici Indulti verba, quae concessorum Insignium usum quoties *ipsis libuerit* indefinite permittunt. Hinc pro parte earumdem Dignitatum et Canonicorum ,

(i) Hanc Constitutionem retuli pag. **569.**

ut certo et immutabili oraculo definiatur, utra ex duabus opinionibus magis veritati sit consentanea , ex Aula Capitulari die 16 Martii 1859 Syracusis prodiit supplex libellus cum duobus, quae sequuntur, Dubiis sub num. I. et II. et cum nonnullis *Observationibus,* queis resolutionem votis consentaneam suis studiose provocare nituntur. Deinde vero quoad antiquas Pii VII. concessiones potissima quaestio versatur circa latitudinem genericae cuiusdam formulae , qua Syracusano Capitulo , praeter alia, indulgetur uti posse, et gaudere, *ceteris aliis honoribus, praeeminentiis, et decoramentis, quibus Cathedralium Ecclesiarum Catanensis, Messanensis, et Panormitanae Capitula tunc gaudebant,* ex quo nonnulla sibi licere arbitrantur, quae apud praedicta Capitula iam tum in usu fuisse asserunt, quin tamen constet ea (quoniam cum regulis generalibus et cum Decretis Sacrorum Rituum Congregationis minime conabantur) ad eamdem Sacram Congregationem deducta nunquam fuisse, neque favorabilem ab ea , ut par erat, obtinuisse sententiam. Super iis Riïius Archiepiscopus dedit ad eumdem Sanctissimum D. L\ᵀ. Litteras die 14 Decembris 1859quas Dignitates et Canonici appellant *Consulla,* cui quidam ipsi ex Aula capitulari die 30 eiusdem mensis et anni nonnullas observationes addiderunt. Et quoniam tum iu Litteris quam in observationibus praedictis non modo veterum privilegiorum eorumdemque liberi usus confirmatio, verum etiam ampliatio effusis precibus expostulatur: hinc alia effiuxerunt dubia quae sub num. III. et IV. heic proposita leguntur Omnibus itaque praecidendis quaestionibus , sive quoad veteres sive quoad novas concessiones obortis, insequentia quatuor Dubia Sacrorum Rituum Congregationi exposita sunt.

L Utrum ex praefato Brevi Apostolico (diei 2 Martii 1850) standum ad Constitutionem: *Decet Romanos Pontifices,* quae limitat tempora , quibus Dignitas et Canonicus in propria Ecclesia pontificaliter celebrare possit, in reliquis vero Civitatibus cum permissu Episcopi ac praesente Capitulo, vel illud *quoties ipsis libuerit in praefata Metropolitana aliisque eliam Ecclesiis infra tamen Syracusanam, Civitatem* interpretari possit arbitrio Canonicorum, idest Pontificalia ab iisdem exerceri nullis statutis temporibus, sine consensu Episcopi et absque interventu Capituli ?

II. An denique sola Insignia dicantur concessa, non vero ritus ad instar Abbatis Montis Cassini, ut supra?

iii. An et quomodo in praesenti specie Dignitatibus et Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Syracusanae annuendum sit ut pergant adhibere *l'uso dei Coturni e dei Calzari dì seta esleso anche ai Diaconi nelle messe solenni,* ***del*** *fondo rosso sotto le guarnigioni trasparenti dei*

Camici e dei Rocchetti: e della trina benedizione col santissimo Sagramento e nella Messa solenne, ex eo quod huiusmodi usus sibi provenire existimant ex generica, qua gaudent, concessione bonorum, praeeminentiarum ac decoramentorum ad instar Capitulorum Catanien. Messanen, et Panormitan. ?

IT. An et quomodo in casu usus Crucis pectoralis, qui concessas est una tantum cum Pontificalibus insignibus, permitti quoque possit non quidem singulis, sed Capitulariter intervenientibus in Divina Psalmodia , iis diebus quibus Episcopus pallio uti potest, in duabus Processionibus, quae fiunt Mense Decembr i, recurrendo festo Patronae, in Processionibus Sanctissimi Corporis Christi a festo eiusdem die ad totam Octavam inclusive, in Processione Sancti Sebastiani Mense Ianuario : et in Processionibus Rogationum ?

Sacra porro Rituum Congregatio exquisito prius super omnibus alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris voto re undequaque discussa, respondendum censuit : Iuxta 'votum Magistri Caeremoniarum, nimirum:

Ad I. *Quoad primam partem affirmative iuxta modum : scilicet Dignitates et Canonicos concessis pontificalibus insignibus uti posse quoties ipsis libuerit, tam in Metropolitana, quam in aliis Syracusanae Civitatis Ecclesiis, semper tamen assentiente Archiepiscopo et assistente Capitulo: quoad secundam partem provisum in prima.*

Ad II. *Sola insignia iuxta Litteras concessionis.*

Ad III. *Servetur Constitutio,* Decet Romanos Pontifices, *et interim ab hoc usu desistant donec de asserta privilegiorum existentia, de quibus in Dubio Sacrae Congregationi documenta exhibeantur, ab eaque favorabilis sententia obtenta fuerit.*

Ad IV. *Non expedire.*

Atque ita Sacra Congregatio rescripsit , ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

ALGAREN.

Quum in Ecclesia Cathedrali Algarensi usus ab antiqua aetate invaluerit, ut Canonici, Episcopo Pontificalia peragent! , assistentes pileolum in capite retinerent, dubitans eiusdem Ecclesiae Archipresbyter num istiusmodi usus praetextu immemorialis consuetudinis valeat sustineri, ab hac Sacra Rituum Congregatione insequentia Dubia petit declarari :

Í. An Canonici Cathedralis Ecclesiae Algarensis tenere possint in capite pileolum iuxta immemorialem consuetudinem, dum ipsi sacris pluvialibus induti Episcopo Feria V. in Coena Domini Pontificalibus indumentis parato, et a Sacristia ad aram maximam pergen Ii, ut divina peragat mysteria, processionis ordine praecedunt?

II. An vi eiusmodi consuetudinis pileolo uti possint ipsimet Canonici, dum ad praedictam aram maximam

pervenientes stant in circulo coram eodem Episcopo introitum Missae persolvente ?

III. An pileolum e capite deponere teneantur quoties sacra induunt pluvialia, etsi Episcopo non assistant ?

Sacra Congregatio respondere censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Si Episcopo minime assistunt, negative.*

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

BEVERLACEN.

Rmus Dominus Ioannes Briggs Episcopus Beverlacen. a S. Rituum Congregatione humillime declarari petiit.

I. An occurrente festo Patrocinii B. Mariae Virginis ritu duplici primae Classis cum Octava , ultima Octobris Domenica cum festo Sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae, translatoque iuxta Rubricas eorumdem Apostolorum festo, die praecedenti, scilicet 27 Octobris, fieri debeat Officium de Vigilia Sanctorum Simonis et Iudae, ac si eorum festum translatum minime fuisset ?

II. Et quatenus negative , an dicta die 27 Octobris fieri debeat de Officio votivo Immaculatae Conceptionis B. M. V. pro Sabbatis intra Annum concesso exceptis Vigiliis ?

S. Congregatio respondendum censuit :

Ad I. *Affirmative.*

Ad IT. *Provisum in praecedenti.*

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

BARCHINONEN.

Quum Cathedralis Ecclesia Barcinonen, iussu Summi Pontificis Alexandri VII. an. 1661 Apostolicae Visitationi fuerit subiecta , eiusdem Ecclesiae Canonici, auctoritate Visitationis huius invocata, veteres suos usus Rubricis ac Sacrorum Rituum Congregationis Decretis contrarios immutari, seu reformari ab Episcopo haud posse contendunt.

Huc referunt in primis usum, quem praedictae Visitationi anteriorem dicunt, et ab ea nec expresse nec tacite improbatum ; quo fit ut Missa Conventualis tunc tantum a Capitulo cantetur quum nulla occurrunt persolvenda Anniversaria, secus dicitur a Cappellanis inductitiis in Cappella S. Eulaliae sita sub ara maiori, dum in choro cantatur Prima, ut tam Anniversaria, quam Missa Conventualis, si Anniversaria deficiant, celebrentur a Capitulo post Nonam, atque ut Missae feriales, quandocumque occurrunt, non a Capitulo in choro, sed a Cappellanis inductitiis in praedicta Cappella S. Eulaliae celebrentur.

Huc etiam referunt morem in eadem Cathedrali vigentem , quo inductum fuit, ut Episcopus Missam Pontificalem celebraturus non intonet Tertiam, Missamque incipiat post Nonam ; ut duos Diaconos assistentes a Caeremoniale praescri-

ptos non habeat; habeat e contra loco unius duos Presbyteros assistentes, Decanum scilicet et Canonicum antiquiorem posthabitis Dignitatibus, quas ideo excludi suspicio est quod Dignitates non essent olim, sicuti hodie post novissimum Concordatum, de gremio Capituli.

Huc tandem referunt, quod in Missa solemni Celebrans legit Evangelium in cornu Epistolae, dum Subdiaconus Epistolam canit, quod ad cantum Evangelii Subdiaconus minime assistit ; neque hic, sed Diaconus librum Celebranti osculandum praebet, et quidem post intonatum Symbolum, aut *Dominus vobiscum;* quod Concio inter Missarum solemnia non immediate post Evangelium fit, sed post Unificationem oblatorum ; quodque pax non a Subdiacono, sed a Diacono Choro defertur.

Iam vero cum haec omnia tanquam Rubricis contraria, hodiernus Episcopus Barchiuonen. removere cupiat, insequentia Dubia super praedictis usibus Sacrorum Rituum Congregationi enodanda proponit.

I. Utrum canenda sit quotidie Missa conventualis a Capitulo in Choro; an potius standum veteri consuetudini, de qua supra, in Visitatione Apostolica anni 1661 neque approbatae, neque improbatae, sed silentio praetermissae ?

II. Utrum ex proventibus Canonicorum, an potius ex Sacrarii vel Fabricae redditibus sit desumendum stipendium pro Cappellanis Missam Conventualem celebrantibus ?

III. Utrum servari possit usus canendi tam Missam de festo, quam Anniversaria post Nonam; an potius obtemperandum sit Rubricis praecipientibus, ut Anniversaria celebrentur post Primam , Missa de festo post Tertiam, et Missa ferialis post Sextam aut Nonam?

IV. Supposito quod ex novissimo Concordato omnes Hispaniae Ecclesiae aequali Dignitatum, Canonicorum , et Magistrorum numero ditatae fuerint, utrum adhuc locum habeat Decretum *in una Hispaniarum diei* It *iunii* 1603 de non abolitis per Caeremoniale Episcoporum immemorabilibus, et laudabilibus consuetudinibus, quod quidem Decretum fundatum videtur in Ministrorum varietate penes Hispanos tunc existenti; an potius amissis antiquis consuetudinibus servandum sit Caeremoniale Episcoporum ?

V. Quatenus probetur usus de duobus Presbyteris assistentibus , utrum Officium istud exercendum sit a duabus praestantioribus Capituli Dignitatibus, an potius a Decano et antiquiore ex Canonicis , sicuti quando Dignitates non erant de gremio Capituli?

VI. An superius descripti usus quoad Missam solemnem , et ab antiquo servati , retineri valeant ?

VII. An in reformandis abusibus suae Cathedralis Ecclesiae , possit Episcopus Orator sese conformare praxi Ecclesiae Metropoli-

tanae Tarraconensis, ubi omnia ad divinum cultum pertinentia rite, perfecte, ac iuxta Rubricas peraguntur ?

S. G. rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad II. *Provisum in praecedenti.*

Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad IV. et V. *Dilata, et scribat aliquis ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris.* -

Ad VI. *Servandas esse strictim Rubricas Missalis Romani, quavis non obstante contraria consuetudine, seu potius corruptela.*

Ad VII. *Provisum in praecedentibus.* Die **24** Martii 1860.

MENEVEN ET NEWPORTEN.

Quum ex Decreto S. C. de Propaganda Fide Sanctus David Episcopus confessor sit praecipuus apud Deum Patronus Dioecesis Meneven. et Neweporten. eiusque festum die 1 Martii occurrens agatur ibidem sub ritu duplici primae Classis, et extra Quadragesimam cum Octava, hinc fit ut quibus annis Feria IV. Cinerum incidit post diem Octavam Martii, sicut contigit superiore anno 1859, eadem die sit recitandum Officium de die Octava festi. Quum autem die octava Martii pro universa Anglia occurrat festum Sancti Felicis Episcopi confessoris sub ritu duplici minori, et nonnisi rarissime accidat, ut eadem dies praecedat ieiunium Quadragesimale, Rmus Episcopus Meneven. et Newporten. a S. R. Congregatione declarari petiit : utrum in Kalendario eiusdem Dioecesis praenotata dies vacua relinqui debeat pro Octava S. Davidis, quamvis rarissime agi queat translato inde in perpetuum ad primam diem liberam festo S. Felicis ?

S. Congregatio, rescribendum censuit : *Affirmative.*

Atque ita servari mandavit. Die **24** Martii 1860.

MELITEN.

Rmus D. Caietanus Pace Forno Archiepiscopus Episcopus Meliten, exposuit huic Sanctae Sedi Capitulum Cathedralis suae iamdiu obtinuisse usum Mitrae simplicis in celebratione nonnullarum sacrarum Functionum. Anno vero 1850 die 6 Decembris per Apostolicas litteras in forma Brevis impetràvisse, tum ut Canonicus celebrans in aliqua Ecclesia Dioecesis de expressa venia Rmi Episcopi in scriptis data, absente licet Capitulo , Mitram simplicem adhiberet, tum etiam ut Canonicus celebrans diebus solemnibus praesente Capitulo assumeret praeter Mitram simplicem etiam Dalmaticam et Tunicellam, Chyrothecas, Sandalia ac uteretur Palmatoria, Canone et Faldistorio. Quum autem in Brevi concessionis nil prorsus enuncietur utram Canonicus celebrans, assistente Episcopo Ordinario, insignibus concessis Anno 1850 uti valeat; hinc Orator a S. R. Congregatione sequens Dubium declarari humillime petiit: An Dignitas vel Canonicus Ecclesiae Cathedralis Me-

liten, in diebus solemnibus celebrans j interveniente et assistente Episcopo, uti valeat insignibus concessis anno 1850 vel potius coram Episcopo uti tantum debeat Mitra simplici primitus concessa?

Sac. Congregatio respondendum censuit: *Iuxta Litteras concessionis assistentiam Episcopi in casu minime obstare quominus Dignitas vel Canonicus Pontificalibus insignibus utatur, servato eiusdem concessionis tenore.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

MILITEN.

Quum festum pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. ritu duplici secundae classis affixum Dominicae primae Iulii concurrat boc anno in primis vesperis cum secundis Vesperis commemorationis S. Pauli Apostoli, ac proinde die 30 Iunii integrae Vesperae ordinandae sint iuxta rubricas de sequenti, seu de pretiosissimo Sanguine cum commemoratione praecedentis, seu Sancti Pauli, Rmus Dominus Philippus Mincione Episcopus Militen, a S. R. Congregatione declarari petit: utrum isthaec commemoratio exclusiva esse debeat de S. Paulo Apostolo, an simul complecti, prout in Breviario indicatur, utrumque Apostolum Petrum et Paulum? S. Congregatio respondendum censuit: *Commemorationem fieri debere de utroque simul Apostolo, prout indicatur in Breviario.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

ORDINIS MINORUM
S. FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Dum Sacra Rituum Congregatio anno 1854 expenderet nonnulla Dubia proposita a Kalendarista Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Provinciae Ianuensis post acceptum super Dubiis ipsis rotum Rmi Procuratoris Generalis, ad Dubium III. hisce conceptum terminis: Quotannis in nostra Ecclesia S. Catharinae Flisce Ad urnae Ianuensium patronae dies octava eiusdem incidit in Dominicam quintam post Pascha, cui Dominicae in Kalendario Capuccinorum festum mobile Dedicationis Ecclesiae Patriarchalis Assisiensis sub ritu duplici maiori assignatum est. Quum autem in nostra Ecclesia Officium praedictae Dedicationis semper impediatur ob talem diem octavam ; an Officium Dedicationis assignandum sit perpetuo alicui diei liberae, vel potius considerandum ceu translatum quotannis? respondere censuit: *Non esse transferendam Dedicationem Ecclesiae Patriarchalis Assisiensis, utpote festum totius Ordinis Franciscani; posse tamen permitti Commemorationem diei octavae Sanctae Catharinae.*

Modo vero hodiernus Superior Capuccinorum familiae Genuensis videns hanc declarationem S. Congregationis impedimento esse quominus devotioni satisfiat Sacerdotum Genuensium Missam S. Catharinae in propria ipsius Ecclesia die Octava festi celebrare postulantium, capiensque in eadem Ecclesia ad vi-

tam revocare intermissum S. Sedis indultum diei 30 Aprilis 1796 ab eadem S. B. Congregatione postulavit:

1. Ut in illa Ecclesia Dominica quinta post Pascha agi queat in die octava S. Catharinae, translato ad aliquam diem sequentem liberam Officio Dedicationis Ecclesiae Patriarchalis Assisiensis.

2. Insuper imploravit, ut a Cappellanis Ordinis Capuccinorum die 22 Martii recitari valeat Officium cum Missa Commemorationis S. Catharinae occurrentis tum in Kalendario Dioecesano sub ritu duplici, tum in Martyrologio Romano cum facultate transferendi ad primam diem liberam Officium S. Benvenuti Episc. Conf. in Kalendario Ordinis ea die occurrens ritu duplici maiori:

Eiusmodi praemissis postulationibus Orator ab ipsa S. Congregatione sequentia duo Dubia declarari petiit:

I. Utrum liceat Sacerdoti in Sacello Valetudinarii celebranti deferre post Communionem Particulas in Patena, et pergere ad cellulas infirmorum, ut eis Communionem praebeat, aut aliquando etiam Viaticum vel potius reservare debeat Particulas, ut id praestet post Missam ? Et quatenus affirmative ad hanc secundam partem, tunc quid agendum de fragmentis, si consummatae fuerint omnes Particulae, et alius ibi ea die non sit celebraturus ?

II. Apud Capuccinos Ianuenses usus extat monasticae flagellationis, qui eam in Choro perficiunt uti in loco commodi ori. In tali exercitio sane exigit modestia ut omnimodae lenebrae totam se. flagellantem Communitatem comprehendant. Hinc ad id assequendum ipsamet lampas SSmi Sacramenti extinguitur, ne per repercussionem suae lucis in superiori abside Chorus illucescat. Perdurante tamen flagellatone suppletur lampadis extinctioni per aliud lumen repositum ac inspectabile intra primum Chori armarium. Quum de bui us praxis licitudine non idem omnes in Communitate sentiant; ideo quaeritur: an extinctio Iampadis coram SSmo Sacramento ardentis ad obtinendas tenebras pro Religiosis in Choro se flagellantibus suppleto alio lumine extra Altare occluso, tolerari possit in casu?

SacraC. rescribendum censuit.

Quoad postulatum *I.Servetur Decretum diei* 8 *Aprilis* 1854 *ad Du-Mum III.*

Quoad II. *Negative.*

Ad dubium I. *quoad primam partem negative, iuxta Decretum diei* 19 *Decemb.* 1829 in Fiorentina ad dubium primum (1). *Quoad secundam*

(i) In citata Florentina sic propositum fuit primum dubium : « An tempore Sacrosancti Missae Sacrificii in administratione Viatici praesertim in Xenodochiis liceat ab Altare recedere usque ad aegrotorum lectum recitando interim Psalmum *Miserere,* **ut fieri solet extra Missam: » cui S. Congregatio respondit:** *negative quoad psalmum* **Miserere** *recitandum. Insuper animadvertendum, quod si celebrans pro*

partem affirmative et fragmenta reponantur in píxide quae in tabernaculo asservatur.

Ad II. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

VARMIEN.

Exposuit nuper Rßius Episcopus Varmien. in universa illa Dioecesi veluti praecipuum apud Deum patronum invocari Sanctum Andream Apostolum, eiusque festum solemniter agi die propria, nimirum 30 Novembris sub ritu primae Classis cum octava, et sub duplici praecepto adstandi Sacro, atque a servilibus abstinendi. Quum vero Dioecesi Yarmiensi per Bullam *De salute animarum,* latam Anno 1821 a Summo Pontifice Pio VII. nonnullae Parochiae, quae Dioecesibus Culmensi et Pomesaniensi antea subiiciebantur, perpetuo fuerint unitae; quumque utrique huic Dioecesi suus extet peculiaris et distinctus Patronus, Culmensi scilicet S. Laurentius Martyr, Pomesaniensi vero S. Ioannes Apostolus et Evangelista, idem Rmus Episcopus ab Apostolica Sede declarari petiit; utrum in praedictis Parochiisfestum Sancti Andreae Apostoli solemnitate et obligatione sit modo agendum ac in reliqua Dioecesi Varmiensi; et quatenus affirmative, an pro iisdem Parochiis cessaverit obligatio recolendi festa Patronorum Dioecesuum Culmensis et Pomesaniensis quibus olim adscrr ptae fuerunt.

S. Congregatio respondendum censuit: *Affirmative in omnibus.*

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit. Die 24 Martii Í860.

VICARIATUS APOSTOLICI PONDICHERII.

Post acceptum Decretum S. Rituum Congregationis diei 9 Iulii 1859 Rmus D. Clemens Bonnand Episcopus Drusiparensis, Vicarius Apostolicus Pondicherii relate ad celebrationem Octavae S. Francisci Xaverii Confessoris a sa. me. Benedicto XIV. constituti in Patronum praecipuum et Protectorem Indiarum Orientalium, quoad Dubium tunc propositum numero secundum, declarari adhuc petiit:

I. Utrum Octava S. Francisci Xaverii, cuius festum agitur ritu primae Classis sit dignior quam Octava Immaculatae Conceptionis, de qua festum recolitur ritu secundae Classis, ac proinde die 9 Decembris recitari debeat de Octava S. Francisci Xaverii cum commemoratione Octavae Immaculatae Conceptionis ?

II. Et quatenus affirmative quae^ nam Lectiones recitari debeant in hac die 9 Decembris, septima infra Octavam, tam in secundo, quam in tertio Nocturno?

Sacra Congregatio rescribendum censuit.

Quoad I. *Affirmative.*

Viatici administratione intra Missam, . ministrationem non licere.

tare e conspectu suo amittat, hanc ad-

Quoad II. ***Lectiones secundi Nocturni erunt, quas exhibet Octavarium Romanum de 7 die infra Octavam Confessoris non Pontificis: in tertio Nocturno autem recitabuntur iterum Lectiones, quas pro die tertia infra octavam S. Francisci Xaverii assignat Proprium Societatis Iesu.***

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

VICARIATUS APOSTOLICI DISTRICTUS OCCIDENTALIS SCOTIAE.

In Districtu Scotiae Occidentali nova nuper extructa fuit Ecclesia, cuius fenestrae vitris coloratis munitae imagines referunt Virorum cum fama Sanctitatis vel Martyrii mortuorum, sed nunquam inter Beatos aut Sanctos ab Apostolica Sede adscriptorum. Id animadvertens eiusdem Districtus Vicarius sui muneris esse duxit ab hac S. R. Congregatione sequentis Dubii declarationem implorare. An liceat Ecclesiarum fenestras ornare praefatis imaginibus in vitro depictis, quando imagines ipsae nullum prorsus praeseferunt Ecclesiastici cultus indicium, dictaeque fenestrae nulli altari immineant?

S. C. respondit : ***negative.***

Atque ita servari mandavit. Die 24 Martii 1860.

CARCASSONEN.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Carcassonen, exponens Breviarium Romanum Mechliniae editum anno 1856 in Festo prodigiorum B. Mariae Virginis die 9 Iulii in antiphona ad ***Magnificat*** et in Responsoria post Lectionem VII. exhibere verba ***tuum sanctum patrocinium.*** Breviarium vero Romanum Turonis cusum anno 1853 indicare tantum eadem die : Omnia ut in Festis B. Mariae Virginis: a Sacra Rituum Congregatione declarari postulavit cuinam ex enunciatis duabus editionibus fides habenda sit?

S. C. rescribere censuit: ***Dicendum in casu*** « Tuam Sanctam festivitatem. « Die 7 Augusti 1860.

MONTIS PESSULAN.

Cum Director Kalendarii Dioecesis Montis Pessulan. a Sacra Rituum Congregatione declarari petierit utrum in Festo Sancti Irenaei Episcopi Martyris sub ritu duplici minori Lectiones primi Nocturni legi debeant de Scriptura occurrente, vel potius esse debeant de Epistola Beati Pauli Apostoli ad Timotheum uti habentur in Appendice Breviarii Romani ?

S. C. rescribere censuit: ***Lectiones primi, nocturni in Officio S. Irenaei esse proprias, nimirum de Epistola secunda Beati Pauli Apostoli ad Timotheum.*** Die 1 Augusti 1860.

NICOTEREN. ET TROPIEN.

Quum in Cathedrali Ecclesia Nicoterensi nonnullae exortae fuerint controversiae circa Functiones Pontificales, ad easdem definiendas Rmus Dominus Philippus De Simone Episcopus Nicoteren. et Tropien, a Sacra Rituum Congregatione, in sequentium Dubiorum solutionem humillime postulavit, nempe:

I. An praecisa consuetudine inter Functiones Pontificales, quae absente vel impedito Episcopo spectant ad primam Dignitatem, sint etiam accensenda Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, et Officium Feriae VI. in Parasceve?

II. An Functiones Pontificales praememoratae sint illae tantum , quae recensentur Cap. i. et 34. Libri II. Caeremonialis Episcoporum, prout ex Declarationibus ipsius Sacrae Rituum Congregationis diei 7 Aprilis 1696 et 22 Iunii 1697 ***in Abellinen,*** et die 7 Decembris 1771 ***in Hydruntina Praeeminentiarum n.*** 9 clarissime eruitur: vel potius illae omnes quae in una ***Andrien.*** diei 3 Decembris 1672 nominatim designantur ?

S. C. rescribendum censuit.

Ad I. ***Negative.***

Ad II. ***Affirmative ad primam partem: negative ad secundam.***

Die U Augusti 1860.

URBIS ET ORBIS

MISSALE ROMANUM:.

Quum duo Romae nova Missalia quamprimum debeant in lucem prodire, alterum ex Typographia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide alterum ex Typographia Iosephi Salviucci, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius inhaerens Decreto generali ***super editione Librorum Liturgicorum*** diei 26 Aprilis 1834 sui muneris esse duxit omni vi eniti, ot eadem plane concordent cum archetypo editionibus Clementis VIII. ac Urbani VIII. nec non cum alia ad illas fidelissime exacta, typisque Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Anno 1714 impressa , pro qua adornanda ipsa Sacra Rituum Congregatio diebus 25 Septembris 1706 et IB Septembris 1714 duo tulit ***Urbis et Orbis Decreta.*** Quo vero Secretarius praedictus propositam metam attingeret, viris non minus diligentibus quam Rubricarum scientia praeditis in partem laboris adscitis, omnia illa, de quibus dubium aliquod exoriri potuit, non modo cum allegatis, sed quoties necesse visum est, etiam cum quatuor aliis optimae notae editionibus conferre curavit non multum post Urbanum VIII. cusis sive Romae Anno 1643 a Bernardino Tani, et anno 1677 a Typographia Reverendae Camerae Apostolicae , sive Venetiis Anno 1640 a Petro Ciera, et Anno 1654 a Francisco Boba. Confugit insuper ad Decreta authentica Sacrorum Rituum Congregationis, atque ex iis tutissimam normam desumpsit ad plura praesertim in Rubricis emendanda, vel resecanda a Typographos in recentioribus Missalis Romani editionibus immutata, vel addita. Verum quum in hoc examine nonnulla sibi occurrissent gravioris momenti Dubia, eadem discutienda ac dirimenda subiecit Congregationi Sacrorum Rituum Particulari a SSiïio Domino Nostro Pio Papa IX. hunc in finem delectae. Haec autem quum die 25 Septembris 1860 convenisset in Aedes Emi et Rmi Domini Cardinalis

Costantini Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis Praefecti singulis mature perpensis, proposita Dubia definivit, ut sequitur :

Dubium I. Certumestiu Oratione « *Nobis quoque peccatoribus* » intra Missae Canonem nonnisi tria ista verba clara voce esse dicenda idque aperte innuunt tum Rubricae generales Cap. XVI. N. 1 tum Ritus servandus in celebratione Missae Cap. IX. n. 3 ubi ita praescribitur. Quum dicit (Sacerdos) NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS *vocem aliquantulum elevat,* ET PROSEQUITUR SECRETO FAMULIS TUIS etc. Sed quum accurata est haec distinctio inter verba secreto aut elevata voce dicenda desideretur in Rubrica Ordinis Missae absolute praescribente, *manu dextera percutit sibi pectus* ELATA PARUM VOCE DICENS : *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis* etc. Quaeritur, an ad clariorem hanc postremam Rubricam reddendam post verba: *nobis quoque peccatoribus,* addi possit inter parenthesim brevis haec adnotatio: *Et prosequitur secreto ?*

S. C. respondit: *Non expedire.*

II. Neque in Rubricis generalibus , neque in Ritu celebrandi Missam, neque in Ordine Missae, dum statuitur, ut in fine Missae legatur Evangelium Sancti Ioannis « *In principio erat Verbum* » ulla indicatio occurrit, qua scire possit Sacerdos in qua parte Missalis Evangelium illud reperiatur, et istiusmodi silentium commune est quibuscumque Missalis Romani editionibus non exclusis archetypis Clementis VIII. et Urbani VIII. Quum autem peropportunum videri possit;id aliquo modo in Ordine Missae iudicari, seu remittendo Sacerdotem **per** simplicem citationem Folii ad tertiam Missam Nativitatis Domini, ubi praedictum Evangelium habetur, sive Evangelium ipsum apponendo per extensum in fine Ordinis Missae , prout fieri solet in Canone Missae pontificalis; Quaeritur: An et quomodo allegatio praedicti Evangelii apponi possit in Missalibus proxime edendis ?

R. *Nihil innovetur.*

III. Quum ab anno 1806 in persona Francisci II. Austriae Imperatoris cessaverit Romanum Imperium , non amplius hodie dicendae sunt Orationes pro Romanorum Imperatore assignatae tum Feria VI. in Parasceve in Missa Praesanctificatorum > tum Sabbato Sancto in postrema parte Praeeönii Paschalis, prout expresse declaravit Sacra Rituum Congregatio iu *Sarsinaten.* 3 Augusti 1839, in *Mechlinien,* die 7 Decembris Í 844 ad IV. Quaeritur ergo 1. An praedictae Orationes expungendae sint in novis Missalis Romani editionibus?

R. *Negative.*

Et quatenus negative 2. An ad utramque Orationem brevis apponi debeat Rubrica, qua declaretur eas hodie esse omittendus?

R. *Negative*

Et quatenus negative 3. An saltem istiusmodi adnotatio apponi

debeat initio Missalis post Rubricas generales inter Decreta Sacrorum Rituum Congregationis ?

R. *Affirmative.*

IV. Quotquot in lucem prodierunt post Urbanum VIII. Missalis Romani editiones, recentioribus tantummodo exceptis, Rubricam Missae de solemnitate Corporis Christi hisce -verbis concipiunt. « *Infra Octavam dicitur haec eadem Missa, et non fit de aliquo Sancto, nisi fuerit Duplex occurrens, non autem translatum.* » Rubricae huic perfecte concordat parallela Breviarii Romani Rubrica ante Officium Corporis Christi, quae ita se habet. « *Infra Octavam non fit de Festo nisi fuerit Duplex..,., nec fit de Duplici translato** **t>** Verum quum in recentioribus additionibus primae Rubricae addita privato arbitrio haec verba fuerint « *nisi sit primae vel secundae Classis* »factum hinc est, ut quae intra utramque Rubricam aderat olim perfectissima consonantia, ob recens istiusmodi additamentum omnino cessaverit. Ceterum cum denegari non possit verba « *nisi sit primae vel secundae Classis* » cohaerere declarationi in nonnullis particularibus Decretis a S. Rituum Congregat, factae praesertim in *Ulyxbonen.* diei 30 Maii 1699, ad II. hinc quaeritur: An a praedicta Missalis Rubrica expungenda sint verba recensius addita *«nisi sint primae vel secundae Classis? «*

R. *Negative, eademque verba addantur in novis Breviarii Romani editionibus ?*

Acta, tom. III, fase. XXXVI.

V. In Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis ante Missam legitur haec Rubrica. « *Si hoc Festum venerit in Dominica Septuagesimae, Sexagesimae , et Quinquagesimae fit tantum benedictio ei distributio Candelarum, et Processio, et Missa dicitur de Dominica. Missa autem Festi transfertur ad sequentem diem.* Quid nomine *Sequentis diei* in hac Rübrica foret intelligendum nullum potuit exoriri dubium donec dies tertia Februarii nonnisi a Festo simplici fuit occupata. Ast postquam pro multis Dioecesibus praedictae diei affigi coepit Festum duplex, vel semiduplex, tunc non immerito dubitatum fuit, utrum pro *die sequenti* intelligenda foret ipsa dies tertia Februarii, quamvis impedita, an potius prima dies post eam vacua a festo duplici, vel semiduplici. Cui Dubio Sacra Rituum Congregatio ut occurreret , generale Decretum edidit *Urbis et Orbis* diei 22 Iulii 1748, quo ita cavit : *Quando eiusmodi casus intervenerit, Officium Purificationis esse transferendum ad feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo etiam aequalis non tamen altioris ritus in eam incidente. Et ita servandum mandavit, quando Festum Annunciationis Beatae Mariae Virginis occurrat in Dominica privilegiata. Quod si in hebdomada maiori, vel Paschali, tunc Annunciationis Officium pari cum privilegio in Feriam secundam post Dominicam in Albis voluit transferri. Atque hòc Decretum generalibus Ca-*

ii

fondarti Romani Rubricis adiici praecepit. Quum itaque boc Decretum iuxta mentem Sacrae Congregationis adiici debeat Rubricis generalibus, quaeritur: An in praedicta Missalis Romani Rubrica verba *in sequentem diem* commutanda sint cum hisce verbis *in. Feriam secundam immediate sequentem, quocumque Festo eliam acqwlis, non autem altioris ritus in eam incidente ?*

R *Affirmative.*

VI. Eamdem ob causam quaeritur: An ante Missam Annunciationis Beatae Mariae Virginis sit nova Rubrica adiicienda, qua privilegium huius Festi annunciatur ad formam praecitata Decreti *Urbis et Orbis* die **20** Iulii 1866.

R. *Affirmative.*

VII. Quum autem idem privilegium , et sub eadem clausula ***ut*** *generalibus Calendarii Romani Rubricisadiiciatur* hoc vertente Anno fuerit a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. Decreto *Urbis et Orbis* die **24** Maii tributum Festo Conceptionis Beatae Mariae Virginis, quaeritur: An similis Rubrica huic quoque Festo sit adiicienda ?

R. *Affirmative.*

VIII. In omnibus antiquis Editionibus Missalis Romani, non exclusis illis Clementis VIII. et Urbani VIII. immediate ante Missam Purificationis Beatae Mariae Virginis ita legitur « *Finita Processione.... Candelae tenentur in manibus accensae dum legitur Evangelium, ei iterum ad elevationem Sacramenti usque ad Communionem.* » Huic Rubricae fin recentibus editionibus adiuncta fuerunt haec alia verba ad literam desumpta ex Caeremoniali Episc©-*porum lib 2. Cap. 16. n. 19. *Si vero Missa fuerit de Dominica^, Candelae non accendantur.* Inficiarinequit additamentum istud in se spectatum eam utilitatem praeseferre, ut Rubricae uberius declarandae optime inserviat, ipsaque verba.) quibus conceptum fuit, quatenus derivata ex Caeremoniali Episcoporum vim legis habere. Nihilominus cum eadem additio nova sit, et privato tantum arbitrio facta, quaeritur utrum eadem conservari, an potius supprimi debeat ?

R. *Affirmative a$ primam partem., negative ad secundam.*

IX. Duo Festa septem Dolorum Beatae Mariae Virginis, quarum alterum affixum est Feriae sextae post Dominicam Passionis,, aliarum vero Dominicae tertiae Septembris, reguntur quoad modum translationis non **a** generalibus Breviarii et Missalis Romani Rubricis, sed a legibus omnino propriis, quae intra praedictas Rubricas minime continentur» Siquidem in primo illo Festo cautum est, ut quando celebrari nequit Feria sexta post Dominicam **Pasr** siouis, vel in sequenti Sabbato, illo anno omittatur, nec transferatur ad tempus Paschale. Ita definivit Sacra Rituum Congregatio in *Corduben.* die 3 Septembris 1672 ad III. et IV. De secundo autem Festo duo extant Decreta *Urbis et Orbis* die-

rüni 18 Septembris 1814, et 19 Augusti 1817 quibus regulae illae transferendi de una in aliam Dominicam fuse declarantur. Iamvero quum ad Sacerdotum instructionem peropportunum videatur, ut de modo eadem Festa transferendi aliquid adnotetur in novo Missali, quaeritur: An ante Missam utriusque Festi sit apponenda peculiaris Rubrica, qua Ordo translationis declaretur ad formam praedictorum Decretorum ?

R. *AJfirmative.*

X. Quod in praecedenti Dubio notatum fuit quum locum quoque habeat relate ad Festum pretiosissimi Sanguinis Dominica prima Iulii itíXta Decretum *Urbis et Orbis* datum Caietae die ÍO Augusti 1849 quaeritur: an ante Missam huius Festi apponi debeat peculiaris Rubrica ex verbis praedicti Decreti desumenda?

R. *Affirmative.*

XI. Postquam Sacra Rituum Congregatio in *Remen,* die 16 Februarii f754 definierit quomodo ordinanda sit Missa Inventionis Sanctae Crucis, si transferri eam contingat post Pentecosten, apponi coepit in Corpore Missalis ad diem tertiam Maii Specialis Rubrica id declarans, non iisdem tamen verbis concepta, quae praefert Decretum, sed longe diversis, licet quoad rei substantiam Decreto consonis. Quamquam vero haec Rubrica apprime utilis videatur, nihilominus quum desideretur in omnibus antiquis editionibus, quaeritur 1. An conservari debeat.

R. *Affirmative.*

Et quatenus affirmative. 2. An reformari debeant servatis expressionibus laudati Decreti.

R. *Affirmative.*

XII. Post Decretum *Urbis et Orbis* diei IO Septembris 1847 nullum potest esse dubium, quin Missa Patrocinii Sancti Iosephi Confessoris Sponsi Beatae Mariae Virginis apponenda sit in Corpore Missalis Romani. Sed quum Missa haec ordinata sit pro tempore Paschali, quaeritur: quomodo sit ordinanda Missa Patrocinii Sancti Iosephi in casu translationis post Pentecosten ?

R. *Missam Patrocinii Sancti Iosephi legi debere post Pentecosten uti ordinata est pro tempore Paschali, demptis solummodo* Alleluia, *sumptoque Graduali ex Missa diei XIX. Martii cum Versículo proprio* Fac nos innocuam Ioseph etc. *et tribus* Alleluia *dispositis iuxta Rubricas.*

XIII. In Missa Sancti Laurentii Martyris die X. Augusti post Evangelium legitur. » *Non dicitur Credo nisi in Ecclesia propria, aut nisi venerit in Dominica.* » In Missa autem diei Octavae, quae incidit infra Octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis, notatur absolute, *dicitur Credo.* Iam vero cum in casu prorsus simili, nimirum in die Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, qua *Credo* non dicitur nisi venerit in Dominica» relate ad diem Octavam Rubrica expresse adnotat « *dicitur Credo* PROPTER OCTAVAM SANCTORUM APÓSTOL, PETRI ET PAULI. » Quaeritur:

An etiam in die Octava Sancti Laurentii adiici haec Rubrica possit *« dicitur Credo etiam extra Ecclesiam propriam propter Octavam Assumptionis Beatae Mariae Virginis?*

R. *Negative.*

XIV. Post Missam Sanctorum Apostolorum Simonis et Iudae die XXVIII. Octobris recentiores Missalis Romani editiones hanc habent Rubricam ignotam editioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Anni 1711 ceterisque antiquioribus. *« Si in Vigilia omnium Sanctorum occurrerit Missa de aliquo Festo semiduplici, tunc tertia Oratio erit* A CUNCTIS *non vero de Spiritu Sancto. »* Consonat certissime haec Rubrica cum particulari Decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una *Ordinis Capuccinorum* diei 21 Iunii 1710 ad II. Nihilominus quum eadem desit, iuxta dicta, in omnibus antiquis editionibus, quaeritur : An eadem Rubrica conservari debeat ?

R. *Negative.*

XV. In Decreto *Urbis et Orbis Novum Missale* diei 25 Septembris 1706 ad XI. quum quaesitum fuisset. « *Utrum quando occurrit Dedicatio Basilicarum Salvatoris et Sancti Petri infra Octavam Dedicationis aliarum Ecclesiarum assignandae sint aliae Collectae, vel Orationes, vel sit omittenda Commemoratio?* Sacra Rituum Congregatio respondit : *Sumatur pro Commemoratione alia Oratio de Communi, nempe »* Deus qui invisibiliter etc. *et apponatur Decretum in principio Missalis.* Ex hac clausula responsioni adiecta quisque intelligit non eam fuisse Sacrae Congregationis Mentem , ut haec responsio ad modum Rubricae in Corpore Missalis insereretur, sed tantummodo ut apponeretur in principio Missalis post Rubricas generales inter Decreta eiusdem Sacrae Congregationis. Reapse in Missali edito Anno 1714 a Sacra Congregatione de Propaganda Fide , pro quo adamussim latum fuerat Decretum, nulla quoad variandas Orationes peculiaris Rubrica inserta fuit Missae in Anniversario Dedicationis Ecclesiae; et licet verum sit neque initio Missalis (forsan ex oblivione) nullam adnotationem de eadem re appositam fuisse, constat tamen a quavis nova Rubrica addenda abstinuisse Editores. Ast quod praedicti Missalis Editores piaculo sibi duxerunt, id recentiores Typographi fas sibi esse putarunt, hac addita arbitrio suo Rubrica in praedicta Missa post Orationes pro ipso die Dedicationis assignatas « *Praedictae Orationes debent sumi, quotiescumque occurrerint plures Commemorationes de Anniversario Dedicationis Ecclesiae.»* Haec quum ita se habeant, quaeritur: utrum in novo Missali standum sit adamussim praecitato Sacrae Rituum Congregationis Decreto, an, illo minime obstaute, retineri possit praedicta Rubrica?

R. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

XVI. Missalia hactenus edita Postcommunionem in collatione Sa-

crorum Ordinum exhibent cum conclusione *Per Dominum* etc. licet verba *tuae Redemptionis* demonstrent Orationem dirigi ad Filium Dei, ac proinde postulent iuxta Rubricas conclusionem, *Qui vivis* etc. Certe in casu prorsus simili, nimirum in Postcommunione Missae quotidianae pro Defunctis, quae ita se habet. *« Animabus, quaesumus Domine, famulorum, famularumque tuarum omtio proficiat supplicanlium, ut eas* ei *alpeccatis omnibus exuas, et tuae Redemptionis facias esse participes:»* Missalia omnia ponunt conclusionem *Qui vivis* etc. Quaeritur itaque quomodo concludi debeat Postcommunio in Collatione Sacrorum Ordinum ?

R. *Adhibendam esse conclusionem:* Qui vivis etc.

XVII. Ad omnem incertitudinem adimendam circa interpretationem Rubricae, quae legitur ante Mis-/sam pro Sponso et Sponsa, Sacra Rituum Congregatio Decreto *Urbis et Orbis diei* 7 *Ianuarii* 1784 *approbante Summo Pontifice Pio VI. declaravit: In celebratione Nuptiarum quae fit extra diem Dominicum, vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat Duplex primae vel secundae Classis, etiamsi fiat Officium et Missa de festo Duplici per Annum sive maiori sive minori, dicendum esse Missam pro Sponso et Sponsa in fine Missalis post alias Votivas specialiter assignatam : in diebus vero Dominicis, aliisque diebus fests dei praecepto, ac Duplicibus primae et secundae Classis, dicendum esse Missam de festo cum commemoratione Missae pro Sponso et Sponsa.* Verum quum publice expediat, ut Decretum istud minime ignoretur a Parochis, aliisque Sacerdotibus Nuptiarum benedictionem legitime deputatis, quaeritur 1. An ex eodem Decreto nova Rubrica confici possit, quae apponatur in Corpore Missalis ante Missam pro Sponso et Sponsa ?

R. *Affirmative ad formam Decreti.*

Et quatenus negative, 2 An saltem Decretum ipsum apponi possit initio Missalis post Rubricas generales ?

R. *Provisum in primo.*

XVIII. In Missa propria Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis a Sacra Rituum Congregatione approbata die 21 Iulii 1855 ac inserenda in Appendice Missalis Romani pro aliquibus locis , Secreta ita se habet « *Maiestati tuae, Domine Agnum immaculatum offerentes, quaesumus, ut corda nostra ignis ille divinus accendat, qui cor Beatae Mariae Virginis ineffabiliter inflammavit.* » Inspectis Rubricis Secreta conciodenda videtur, *Per eumdem Dominum* etc. eo quod initio Orationis mentio fiat Filii Dei. Nihilominus, quum,in Missa, quae asservatur in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, Secretae conclusio sit, *Per Dominum;* quaeritur, quomodo sit Secreta haec concludenda ?

R. *Concludendum esse verbis :* Per eumdem Dominum.

XTX. Tn Missa propria Beati Pauli a Cruce paucis abhinc annis approbata, ac similiter inserenda in Appendice pro aliquibus locis, Graduale pro Tempore Paschali desumptum fuit ex Cap. 3. Epistolae ad Colossenses, ita tamen ut Lectioni Vulgatae presse non inhaereat. In praedicta enim Missa legitur. « *Mortui estis, ei vita vestra* ABSCONDITA EST *cum Christo etc. Quum Christus apparuerit vita vestra,* ET VOS *apparebitis etc.* quando vulgata in primo testimonio ita se habet : EST ABSCONDITA: in altero autem testimonio, *tunc et vos apparebitis* etc. Quaeritur itaque: An in nova Missalis editione praedictum Graduale sit reformandum iuxta lectionem Vulgatae ?

R. *Affirmative.*

Facta postmodum de praemissis per Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua superiores responsiones Congregationis Particularis a se deputatae ratas habere et approbare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque Die 27 Septembris 1860.

SANCTI IACOBI DE CHILE.

Rmus Archiepiscopus S. Iacobi de Chile animadvertens in sua Dioecesi, et praesertim in Ecclesia Metropolitana, plures obtinere a vetusta aetate usus ritualibus Ecclesiae legibus adversos, ad omnimodam certitudinem assequendam, an praetextu longaevae consuetudinis retineri iidem valeant, a S. R. Congregatione sequentia Dubia declarare humillime postulavit: nimirum

f. Utrum in Missa solemni, vi assertae consuetudinis, possit Canonicus celebrans, dicto *Munda cor meum:* benedicere incensum et Diaconum, et Evangelium legere dum illud cantatur? Item Missam prosequi statim ac a Chor© cantatas sit versiculus Symboli : *Et incarnatus, est?* Itemque omittere cantum Praefationis et Orationis Dominicalis iis saltem diebus, quibus habetur Concio ?

II. Utrum ferri valeat usus Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono vel Subdiacono, quum praesto non est aliquis Ministroirum ?

III. An in Missa solemni, vi assertae consuetudinis, Canonicus celebrans eiusque Ministri, praesente etiam Archiepiscopo, quum hic suam sedem non occupat, possint sedere in latere Evangelii, ipso in loco ubi sedes Archiepiscopalis collocatur, quia fixa non remanet?

IV. Utrum attenta consuetudine Canonicis celebrantibus, vel Archiepiscopo ministrantibus, liceat sedere in sedibus cameralibus ?

V. Excepto Presbytero et Diaconibus assistentibus ceteri Canonici non assumunt sacra paramenta quum Archiepiscopus solemniter celebrat, vel facit illas Functiones, in quibus id praestare debent omnes Dignitates et Canonici. Quaeritur utrum tolerari possit haec consuetudo ?

VI. Quum Concio habetur coram Archiepiscopo, concionator nuntiat Indulgentias, omissa confessione, et aliis praescriptis in Caeremoniali Episcoporum. Etiam in fine Missae quum Archiepiscopus benedicit populo non Presbyter assistens, sed Cappellanus Cotta indutus publicat Indulgentias. Quaeritur igitur utrum recensita consuetudo servanda nec ne sit?

VII. Attenta consuetudine possunt ne Canonici, licet officio Presbyteri assistentis non fungantur, tum in Cathedrali tum extra, ac etiam praesente Archiepiscopo, Concionem facere Pluviali induti?

VIII. An qui cantat prophetias, possit vi consuetudinis eas relinquere vix a Celebrante earum lectio absoluta sit?

IX. An ubi viget consuetudo, liceat Baptismi Sacramentum solemniter administrare in Sacristia Cathedralis?

X. Utrum attenta consuetudine Canonici qui in solemnitatibus Vesperarum officium faciunt, possint manere in habitu chorali usque ad Capitulum, et tunc tantum assumere Pluviale. Item an liceat ipsis in Officio solemni Matutini et Laudum nunquam se Pluviali induere, et incensare Altare?

XI. An toleranda sit consuetudo Canonicorum, aliorumque'in choro praesentium, nunquam cooperiendi caput dum divina Officia peraguntur?

XII. An, vi assertae consuetudinis, possit unusquisque Canonicus singillatim uti Cappa et Mozzetta, tum extra Metropolitanam, tum etiam extra Dioecesim?

XIII. Utrum ferri possit consuetudo plurium Ecclesiarum huius Archidioeceseos, et praesertim Regularium, asservandi Sanctissimam Eucharistiam in duobus aut tribus Altaribus: et nonnunquam occasione novendialis, aut alicuius festivitatis transferendi etiam in aliud Altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur?

XIV. Utrum servanda sit consuetudo exponendi publicae adorationi Sanctissimum Sacramentum, tum in Ecclesiis Regularium, tum in iis, in quibus adest indultum Apostolicum asservandi Eucharistiam, sine Ordinarii licentia?

S. C. praehabito voto unius ex magistris Caeremoniarum rescribendum censuit.

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Negative.*

Ad VI. *Servetur Caeremoniale.*

Ad VII. *Negative.*

Ad VIII. *Negative.*

Ad IX. *Negative, nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbanda.*

Ad X. *Negat, ad utramque partem.*

Ad XT. *Affirmative ab iis, qui sacris paramenlis non sunt induti.*

Ad XII. *Negative et detur Decretum diei* 31 *Maii* 1817 (1).

Ad XIII. *Negative.*

Ad XIV. *Negative.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 16 Martii 1861.

UBBIS ET ORBIS.

SSmus Dominus Noster Pius Papa IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio summatim apponi, et imprimi mandavit iu principio Missalis duo ab eadem S. Congreg, alias edtta Decreta, videlicet.

Quando occurrit Dedicatio Basilicarum Sanctissimi Salvatoris, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli infra Octavam Dedicationis aliarum Ecclesiarum sumatur pro commemoratione alia Oratio de Communi, nempe Deus qui invisibiliter *etc. Die* 25 *Septembris* 1706 *ad XL*

Orationes pro Romanorum Imperatore tam in Missa Praesanctificatorum Fer. VI. in Parasceve, quam in Une Praeconii Paschalis Sabbatho Sancto, ob sublatum Romanorum Imperium non amplius recitentur: excuduntur tamen, ut antea in novis Missalibus. Die 23 *Sept.* 1860 *ad III.*

Die 14 Martii 1861.

BRIOCEN.

Vicarius Generalis Rñii Episcopi Briocen. a Sancta Sede haec tria Dubia declarari humillime postulavit circa Ordinationem Presbyterorum, nimirum

L An post impositionem mar nuum, dicta, manu extensa, super illos, Oratione: *Oremus fratres carissimi, coelestia dona multiplices etc.* et dictis: *Oremus flectamus genua, Levate,* debeant denuo Pontifex et praesentes Sacerdotes manum extendere super Ordinandos dum dicitur *Exaudi nos quaesumus?*

II. An ab Episcopo, antequam Communionem conferat Presbyteris, in Ordinum collatione dicenda sint illa verba: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam?* Ratio dubitandi est quod iam Presbyteri cum Episcopo dixerunt: *Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.*

III. An manus iunctas tenens Presbyteri Regularis non sui, debeat his verbis: *Promittis Pontifici,* vel *Praelato Ordinario tuo pro tempore existenti,* addere, *et eius successoribus ?*

Sacra porro Rituum Congregatío, suprascriptis dubiis consideratis, rescripsit :

Ad I. *Detur Decretum in* Anicien. *diei* 18 *Februarii* 1843 (2).

(1) Hoc Decretum retuli pag. 585 iu adnotatione.

(2) In allegata *Anicien.* **quaesitum ab Episcopo fuit: «Utrum in Ordinatione Presbyteri extensio manus tam Episcopi, quam Sacerdotum praescripta a PontiGcali fieri debeat non tantum intra haec verba:** *Oremus fratres dilectissimi,* **usque ad** *Flectamus genua,* **sed etiam post genuflexionem intra Orationem, quae incipit,** *Exaudi nos,* **usque ad Praefationem, ita ut genuflexio interrumpa! tantummodo, non autem cessare faciat illam.» Huic dubio plures dubitandi rationes fuerunt ad-**

Àd II. *Servetur Rubrìca Pontificalis Romani.*

Ad III. *Servetur formula a Pontificali Romano praescripta.* Die 14 Martii 1861.

NEWPORTEN.

Dum innotuit Rmo Episcopo Newporten. quod in quodam Altari fixo suae Dioecesis lapis pro sigillo sepulchri Reliquiarum inserviens ob defectum calcis, qua conglutinabatur, amplius sepulchro non haerebat, ipse ut rem melius exploraret, lapidem ipsum manu sua movit, et cum reipsa solutus esset de situ, sublevavit : Reliquias tamen nullo modo tetigit, vel dimovit, et deinde lapidem reposuit. Quibus expositis a S. Sedé declarari humillime postulavit:

I> An Altare, de quo supra, consecrationem amiserit?

II. An debeat denuo consecrari, vel sufficiat sigillum denuo conglutinare et claudere ?

III. In casu quo sigillum tantum debeat iterum reponi, an calx qua conglutinatus debeat benedici prout fit in consecratione Altaris?

S. C. rescribendum censuit: *Altare de quo in precibus, nova consecratione indigere.* Die 14 Mart. 1861.

CARCASSONEN.

Quum Rmus Epicopus Carcassonen, a S. Sede sequentia duo Dubia declarari humillime postulaverit, nimirum

I. Capitulum Cathedralis Ecclesiae Carcassonen, sub invocatione Sanctorum Nazarii et Celsi Titularium prioris Ecclesiae nunc residet ex dispositione sa. me. Pii Papae VII. in Ecclesia Parochiali S. Michaelis Archangeli. Quaeritur ergo an Capitulum Ecclesiae Carcassonen, debeat celebrare Festum Sancti Michaelis Archangeli cum Octava?

II. An addenda sit Commemoratio S. Michaelis Archangeli Suffragiis communibus ante vel post commemorationem SS. Nazarii et Celsi Dioecesis Patronorum ?

S. C. rescribendum censuit.

iectae; et S. C.re apprime discussa respondere censuit: *In Ordinatione Presbyterorum praxim servandam esse Ecclesiae Romanae, quae manus Ordinandis imponit in prima tantum Oratione:* OREMUS FBATRES CHARISSIMI.

Heic adiicimus alterum Decretum in *Jnicien.* eodem die emissum, quod circa Ordinationem versatur; quaesitum nempe fuit: «Quid intelligatur pro Festis de praecepto, in quibus Ordinationes extra tempora expleri debent ab Episcopis, qui hac facultate pollent, et per consequens, an sibi liceat Ordinationem Clericorum perficere in Festo Sancti Ioannis Apostoli et Evangelistae, etsi in Gallia Festum istud non sit amplius de praecepto?» Emi Patres memores de anno 1831 pridie Idus Novembris Sacram ipsam Congregationem in una *Marsorum* ad dubium primum edixisse : *Ordines sacros conferri posse in diebus Apostolorum caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis, ac in iisdem Festis, verum de mane tantum, conferri etiam posse Ordines minores,* precibus memorati Episcopi Anicien. rescribendum censuerunt : *detur Decretum in una* Marsorum *diei* 12 *Novembris* 1831 *ad dubium primum,*

Ad I. *Affirmative.*

Ad IL *Affirmative et commemorationem **S.** Michaelis Archangeli praecedere debere etiam illam Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli.*

Die 14 Martii 1861.

SANCTI MARCI.

Inter cetera postulata S. Congr. Concilii a Pro-Vicario Dioecesis S, Marci in Regno utriusque Siciliae proposita, quum nonnulla Dubia accenserentur Rubricas Ritus Caeremonias unice respicientia, horum examen ab eadem S. C. Concilii diebus 8 Maii, et 16 Novembris superioris Anni 1860 commissum fuit huic S. Rituum Congregationi. Declarari itaque idem Pro-Vicarius expetiit.

I. In Officiis SS. Conf. Pontif. et non Pontif. perpetuo vel per accidens translatis ad diem non obitus debet nec ne mutari tertius versus Hymni Matutinalis ?

H. In Vigiliis et quatuor Temporibus quando post Nonam dici debet Missa Conventualis, recitata Nona, vel adhuc non dicta Nona, an debeat concludi Divinum Officium cum recitatione Antiphonae finalis B. M. V. et ceterarum precum non exclusa oratione *Sacrosantae* etc. ?

III. In Missa Conventuali potest ne tolerari, ut assistens, seu serviens de Altari sit Laicus: et quatenus debeat esse Clericus , hunc decet nec ne se parare Cotta?

IV. An in Funeribus adventitiis possit decantari Missa de Requie, in diebus, quibus Rubrica obstat ratione duplicitatis officii ?

V. An in Exequiis ad Tumulum liceat cantoribus incipere Responsorium: *Libera me Domine',* antequam Sacerdos celebrans compleat legere ultimum Evangelium Missae , et prius quam idem Celebrans se exuat Planeta et Manipulo, et se induat Pluviali, ac se sistat in castro doloris ?

VI. Quonam in loco praefatus Celebrans debeat se exuere Planeta, et Manipulo ac assumere Pluviale'?

VII. In expositione SSmi Eucharistiae Sacramenti dum a Sacerdote Benedictio Fidelibus impertitur, licet nec ne Thuriferario incensare SSmum?

VIII. In Matutinis Sacratissimae Noctis Nativitatis Domini an debeant praeintonari Antiphonae ?

IX. Quinam debeant cantare septimam et octavam Lectionem tertii Nocturni in praefatis Matutinis, interveniente Reviïio Episcopo ?

X. Pro faciendo Mandato in Coena Domini debet nec ne tolerari arbitrium lavandi pedes tredecim opulentis Fratribus Sodalibus SSmi Sacramenti Cathedralis, exclusis pauperibus?

XI. In Sabbalho Sancto post Benedictionem Fontis Baptismatis in actu redeundi ad Altare, an liceat incipere Litanias omnium Sanctorum cantandas ante Altare ?

XII. In Missa Sabbathi Sancti super Altare paratum ad Festum debet nec ne tolerari magnum ve-

lamen nigrum Passionis Domini ad hoc, ut ludrica permittatur descendo:, et amotio illius velaminis in primo ictu tiutinnabuli ad intonationem Hymni: *Gloria in excelsis* etc.

XIII. In die Nativitatis Domini, et in die Paschatis Resurrectionis immediate post peractum Officium matutinale et ante prandium, Canonicis licetne recitare Vesperas et Completorium ratione lautioris prandii protrahendi illis diebus?

XIV. An sit officii Praefecti Chori in solemnitatibus Nativitatis et Pascbatumcurare, ut fiatsyllabus seu catalogus, in quo describantur per ordinem omnes , ad quos de iure et consuetudine spectat , peragere illas sacras Functiones ?

XV. An Tractus Missae Conventualis per integrum dici debeat a cantoribus ?

XVI. An cum dicitur Symbolum iu Missa sit intermiscendum Organum ?

XVII. An Sacerdos in die Dominico celebraturus Missam cum assistentia Ministrorum, expleta functione aspersionis Aquae benedictae, debeat secedere Presbyterio, ubi existit Credentia, et stat scamnum Celebrantis et Ministrorum, et accedere ac introire in Sancta Sanctorum retro altare pro deponendo Pluviali et assumenda Planeta ?

S. Congregatio rescribendum censuit :

Ad I, *Dentur Decreta.*

Ad II. *Servetur Rubrica, et detur Decretum.*

Ad III. *Inservientem Missae Conventuali esse debere Clericum cum cotta.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Responsorium* Libera me Domine, *canendum non esse nisi finita Missa, et conveniens esse, ut illud cantores incipiant cum Sacerdos fuerit pluviali indutus, et Subdiaconus cum cruce ad pedes Tumuli pervenerit, etiamsi castrum doloris adsit in medio Chori.*

Ad VI. *In plano ad cornu Epistolae.*

Ad VII. *Non praescribi, et servandam consuetudinem locorum.*

Ad VIII. *Affirmative.*

Ad IX. *Spectare ad duos assistentes Episcopo.*

Ad X. *In casu curandum , ut non obstante consuetudine lavandi pedes opulentis Fratribus sodalitatis Sanctissimi Sacramenti, eligantur potius, si fieri potest, tot pauperes; quod iuxta Coeremoniale Eipscoporum videtur maiorem humilitatem, et charitatem praeseferre.*

Ad XI. *Episcopo non praesente servandum Missale.*

Ad XII. *Dilata, et rem clarius explicandam.*

Ad XIII. *Negative, et abusum, si adsit, penitus eliminandum.*

Ad XIV. *Catalogum pro omnibus chori functionibus disponendum a Coeremoniarum Magistro, et* ***appro-*** *bandum a prima Dignitate, seu Praefecto chori.*

Ad XV. *Tractum integre canendum, quum Organum non pulsator.*

Ad XIV. *Symbolum integre ea-nendum etiamsi pulselur Organum.*

Ad XVII. *Servandam consuetudinem.*

Atque ita rescripsitet servandum mandavit. Die 7 Septembris 1861.

URBIS ET ORBIS (1).

Sanctitas Sua Apostolica Auctoritate edixit , ut *deinceps festum Sanctae Angelae Merici Virginis cum Officio et Missa aliquibus locis iam concessis, sub ritu duplici minori ab universa Ecclesia recolatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.*

Die 11 Iulii 1861.

NULLIUS MONTIS CASSINI.

In Civitate S. Germani, quae subest iurisdictioni Rmi Abatis Montis Cassini praeter pervetustum Canonicorum Collegium in Ecclesia matrice, alterum quoque non multis ab hinc annis Presbyterorum collegium in Ecclesia Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo institutum fuit. Quum autem ob hanc institutionem a Clero receptitio Ecclesiae de monte Carmelo mota fuerit quaestio circa praecedentiam et iura sibi competentia, idem Clerus receptitius datis precibus ad hanc Sacram Rituum Congregationem sequentia Dubia declarari petiit, nimirum:

Hi

I. An post institutionem Cleri receptitii liceat Capitulo Collegiatae, quamvis non vocato, functiones sacras peragere in Ecclesia S. Mariae de Monte Carmelo, prout ante dietam institutionem servabatur, et, an in associatione Cadaverum, quae ad eamdem Ecclesiam deferuntur, possit Capitulum erigere propriam Crucem, et prosequi exequias supra eadem Cadavera?

IL An Clerus receptitius, non requisito Capituli Collegiatae, aut Parochorum consensu, possit sacras Processiones ducere extra propriam Ecclesiam, et an possit in ipsis Processionibus elevare Crucem propriam absque velo appenso, **vel** saltem laicinia serica alba, quae usque nunc in signum subiectionis apparuit?

III. Quum Capitulum Collegiatae accedit ad ecclesiam S. Mariae <Ie Monte Carmelo debet ne Clerus receptitius huius Ecclesiae cedere locum digniorem, et proprium stallum Capitulo Collegiatae? et in Missa solemni super defuncti Cadaver a proprio Parocho in eadem Ecclesia, etiam cum adsistentia Capituli Collegiatae celebranda, qui debeant ministrare in Officio Diaconi et Subdiaconi, Clerus nempe receptitius vel Beneficiati seu ut aiunt ***i semicanonici*** Collegiatae , sicut in more positum erat ante Cleri receptitii institutionem ?

I.V. Quando Rmus Abbas Ordinarius functiones Pontificales exercet in dicta Ecclesia, erit ne praestanda assistentia Rmo Ordinario,

(I) **Brevitatis causa referimus tantum partem dispositivam praesentis Decreti^ omittentes partem enarrativam in qua indicantur praeclarae gravesque rationes, quibus in Ecclesiae bonum motus est** S. **Pontifex ad illud edendum.**

Ilüi,

et sacrae Vestes inducendae erunt a Clero receptitio?

V. In Cadaverum associatione, cui vocatus ab haeredibus Clerus receptitius una cum Parocho defuncti, debet ne Parochus defuncti celebrare Missam, et reliquas functiones supra Cadaver, etiam quando defunctus obierit extra limites suae Paroeciae?

VI. An Parochus defuncti, intra cuius Paroeciae limites existit praedicta Ecclesia de Monte Carmelo, possit licite et libere functiones facere supra defunctorum Cadavera, quae ad hanc Ecclesiam deferuntur, et an idem liceat Parocho, cuius Paroecia sita sit extra limites eiusdem Ecclesiae?

VII. An Parochus alienae Ecclesiae , ac proinde Clero receptitio minime addictus, praeter emolumentum monetae Neapolitanae *di* 25 *Grana* ab haeredibus sibi debitum, possit etiam percipere emolumentum duplex illo, quod cuilibet ex Clero receptitio persolvitur in funerum associatione ?

VIII. Etsi Parocho debetur duplex emolumentum a Clero receptitio ut in dubio praecedenti, debet ne saltem idem Parochus dividere cum participantibus Cleri receptitii emolumentum *di* 25 *Grana,* quod ipsi tantum persolvitur ab haeredibus defuncti?

IX. Potestne Parochus haeredibus defuncti prohibere ne functiones supra Cadaver peragantur in aliena Ecclesia, antequam Cadaver ad locum sepulturae deportetur?

X. Licet ne Rectori cleri receptitii induere stolam in Processionibus?

XI. Si Parochus ius habet celebrandi Missam solemnem supra defunctorum Cadavera in dicta Ecclesia de Monte Carmelo deposita, potest ne hoc in casu committere huius celebrationem alteri Presbytero sibi beneviso, vel tenetur illam committere Oeconomo Paroeciae, vel Vice-Parocho ?

XII. Et quatenus Parochus hoc iure perfruatur, an idem dicendum erit in funere confratris vel consororis scapulari B. Virginis accènsitae, pro quibus Clerus receptitius Missam solemnem celebrare tenetur?

S. C. habita informatione et audito voto magistri caeremoniarum rescribere censuit.

Ad I. *Affirmative, et Capitulum Collegiatae Matricis mamtendum esse in possessióne peragendi Mm functiones sacras sibi benevisas, tum exequias supra Cadavera defunctorum in Ecclesia B. M. V. de Monte Carmelo, quin Clerus receptitius huius Ecclesiae valeat aliquid innovare vel immutare in praeiudicium Capituli Collegiatae.*

Ad II. *Negative nisi de consensu Ordinarii, et quoad Velum dentur Decreta.*

Ad III. *Affirmative quoad primam partem, et quoad secundam in ministerio pro Diacono et Subdiacono iidem inserviant, qui in Collegiata ad tale officium assumuntur.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Affirmative, et Exequiae supra Cadaverain praelaudata Ecclesia de Monte Carmelo peragendae erunt a Parocho defuncti, cuius iurisdictioni subiacet defunctus, donec sepulturae non fuerit Cadaver demandatum.*

Ad VI. *Spectare ad Parochum defuncti.*

Ad VII. *Affirmative.*

Ad VIII. *Negative, et servetur dispositio Rmi A bbalis sub die* 9 Se*ptembris* 1856 *"et* 28 *Junii* 1857.

Ad IX. *Negative, sed exequiae supra Cadaver, si in aliena Ecclesia exequantur, peragendae sunt a Parocho defuncti.*

Ad X. *Negative.*

Ad XI. *Celebratio Missae in exequiis supra Cadaver spectat ad Parochum vel ad alterum Presbyterum, cui munus huiusmodi sit a Parocho cbmmissum.*

Ad XII. *Exequiae, ut in Dubio, peragi poterunt a Clero receptitio postquam Parochus supra Cadaver exequias expleverit, et postquam Cadaver ipsum sepulturae traditum fuerit.*

Atque ita rescripsit, ac servari omnino mandavit. Die 7 Septembris 1861.

SANCTI MARCI.

Archidiaconus Ecclesiae Cathedralis Sancti Marci in Regno utriusque Siciliae, illiusque Dioeceseos Pro-Vicarius Generalis, humillimis precibus a Sacra Rituum Congregatione instanter petiit, ut sententiam suam aperire dignaretur super Dubiis, quae sequuntur, nimirum :

I. Contra Rescriptum Sacrae Congregationis Concilii diei 13 Aprilis 1720 ad Dubium secundum , Canonici habitu Canonicali induti tenentur ne assistere in aula Episcopali , et associare Episcopum , qui in mantelletto procedit de aula in Cathedralem ?

II. An Hebdomadarius et ceteri omnes existentes in Choro teneantur surgere, quando a Dignitatibus, Canonicis et Presbyteris partecipantibus intonantur Antiphonae ?

III. In Benedictionibus Lectionum Hebdomadarius, et omnes alii de Choro tenentur ne surgere?

IV. Au Canonicus Hebdomadarius celebraturus Missam solemnem post aspersionem aquae benedictae in die Dominico faciendam, possit in plano seu in medio Altaris, et ante gradus eius se expoliare Pluviali, et induere Casulam de scamno vel Credentia excipiendam?

V. Praedicto in casu Canonicus Hebdomadarius toto rigore debet ne accedere ad scamnum , vel ad Credentiam, ibique se expoliare Pluviali, et induere Casulam?

VI. An ad Vesperas solemnes praeter Altare Chorale, ubi Sanctissimum Sacramentum non existit* thurificari debeat Altare Ecclesiae, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur ?

VII. An sonus organi toto rigore possit intermisceri cum cantu quando in Missa solemni seu Pontificali integrum Symbolum in notis,

seu *in* cantu Gregoriano et firmo cantato r in Choro ?

VIII. Preces feriales ad Vesperas et ad Laudes diebus ieiuniorum dicendae^ debent ne concini per depresstonem vocis a *fa* ad *re,* vel Hebdomadarius debetne uti voce uniformi ?

IX. Hebdomadarius debetne surgere, et stare in recitandis Orationibus, quae dicuntur post preces feriales ?

Xi In cantu Passionis Textus Evangelicus potestne cantari ab Organista,, maxime qui sit Clericus minorista, vel saltem Subdiaconus?

XL In Officio Feriae VI. in Parasceve nuda Cathedra seu Faldistorium Episcopi quonam io loco po&endam est?

Xil.Jn Missa Sabathi Sancti dum a^Celebratìteintonatur cantus Hymni Angelici, permittenda est descensio pauni seu velaminis Passionis super Altare paratum ad Festum, ita ut habeatur aliquid ludricum atque illuso ri um apud Fideles propter illam subitam, atque scenicam mutationem ornatus et status Ecclesiae, cuius fores seu fenestrae tunc temporis simul aperiuntur?

XIII. Per totam Octavam in Festo Sanctissimi Corporis Christi, quum fuerit solitum ponere super Altare Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento discooperto tempore recitationis Vesperum et ceterorum Divinorum Officiorum, licet ne ad libitum nunc discoöperire, et nunc cooperire illud?

XIV. In actu expositiotiis Sanctissimi Sacramenti debet ne cani aliquid a Choro, seu a Celebrante?

XV. Ecclesiasticis et praesertim Canonicis paratis in associatione defuncti Sacerdotis licet ne deferre eius feretrum, vel saltem deferre quatuor fimbrias panni mortuarii ?

XVI. In die depositionis defuncti debentne dici tres nocturni Officii defunctorum?

XVII. In recitandis Orationibus pro Defunctis videlicet: *Deus Indulgentiarum* etc. *Inclina Domine* etc. potestne superaddi nomen et titulus defuncti?

XVIII. In exequiis, etiam in Anniversariis antequam finiatur lectio secundi Evangelii Missae, et priusquam Celebrans paratus Pluviali accedat ad Tumulum, Cantores possuntne incipere cautum, *Libera me Domine,* nisi Archidiaconus prima Dignitas tempore debito et convenienti praecinerit, vel signo ordinaverit cantum?

XIX. Quinam Ecclesiae locus praeparandum sit pro faciendo mandato in Coena Domini?

XX. Canonicus solemniter celebrans Vesperas et Laudes debetne habere coram **ee** scamnum vel le**gue** ornatum tapete cum libro, in quo intonet Antiphonas, hymnum et canat Capitulum.

XXI. Quomodo intelligendus sit ductus duplex thuribuli, quo Diaconus in Choro incensaré debet singulos Canonicos, videlicet unusqui-

sque ductuum debetne perfici duplici ictu ?

XXII. Episcopo habenti habitum cameralem, et privatim assistenti Missae solemni, et expositioni Sanctissimi Sacramenti Altaris, debet ne ministrari incensum a Canonicis ?

XXIII. In proposito casu Diaconus et Subdiaconus in Missa adsistentes debent ne petere benedictionem, seu permissionem pro canendo Evangelio, et legenda Epistola? debetur ne eidem Episcopo delatio Evangelii pro eo osculando, incensatio etc.?

XXIV. Archidiacono,seu primae Dignitati spectatne intimare *Pater noster,* et indicere nutu, ut incipiatur *Domine labia mea aperies* vel *Deus in adiutorium meum intende ?* Ipsi etiam pertinet ne ad Primam dicere *Dies et actus nostros. Adiutorium nostrum.* Ad Completorium, *Noctem quietam, Benedicat et custodiat*, et in fine Horarum et Matutini *Dominus det nobis,* et antequam per ipsum detur finis Divini Officii nemo expleta functione a Choro potestne egredi ?

XXV. Canonicus in Choro et in proprio Stallo potestne ùti pulvinari vulgo dicto *cuscino di pelle ?*

S. C. exquisito voto Magistri Caerem. rescribere censuit

Ad I. *Negative, ac serventur CoereMonialis leges et Decreta.*

Adli. *Omnes debere surgere praeter Hebdomadarium paratum , nisi adsit consuetudo, ut una pars tantum assurgat.*

Ad III. *Servandum Decretum in Triventina diei* 5 *Aug.* 1663 *ad* IV. (1).

Ad IV. *Affirmative ad primam partem, nisi adsit Episcopus.*

Ad V. *Provisum in praecedenti.*

Ad VI. *Affirmative quando Episcopus vesperas non persolvit.*

Ad VII. *Affirmative.*

Ad VIII. *Detur Decretum in una Montis Politiani diei* 9. *Maii* 1739 (2).

Ad IX. *Affirmative.*

Ad X. *Negative.*

Ad XI. *Faldistorium ponendum in primo gradu Altaris in Cornu Epistolae versa facie ad cornu Evangelii ad formam Caeremonialis lib.* 2 *cap.* 25.

Ad XII. *Negative, et, exclusa quavis scenica repraesentatione Altaris, imago coniecta sit velo simplici violaceo ad formam Coeremonialis dimittendo ad hymni Angelici intonationem iuxta usum Ecclesiarum.*

Ad XIII. *Negative.*

(1) In allegata *Triventina* quartum Dubium sic fuit propositum : « an in Benedictionibus Lectionum, hebdomadarius et omnes alii de choro teneantur surgere, cui S. C. respondit : *tenetur hebdomadarius semper surgere, et alii de choro tenentur, quando solemniter cantatur.*

(2) In Citata *Montis Politiani* S. C. declaravit: *non esse attendendam consuetudinem continendi preces feriales ad Vesperas et ad Laudes in diebus ieiuniorum per depressiones vocis a* Fà *ad* Re, *sed utendum tono ac voce uniformi per simplicem* Fà.

Ad XIV. *Cantus in actu expositionis permitti tantum, potest iudicio Episcopi.*

Ad XV. *Negative.*

Ad XVI *Affirmative y nisi accedant rationabiles causae a Rituali indicatae.*

Ad XVII. *Negative.*

Ad XVIII. *Quoad primam Dubii partem provisum per resolutionem diei 7 Septembris* 1861, *quoad secundam partem spectare ad Caeremoniarum Magistrum dare signum Cantoribus ut Responsorium incipiant.*

Ad XIX. *Nisi Ecclesia tam ampla sit, ut in quodam Sacello lotio pedum exequi possit absque tillo irreverentiae periculo erga Sanctissimum Sacramentum expositum: Mandatum faciendum in Sacrario, aut in alio Cubiculo prope ecclesiam.*

Ad XX. *Affirmative, et servetur Caeremoniale.*

Ad XXI. *Affirmative.*

Ad XXII. *Negative.*

Ad XXIII. *Negative.*

Ad XXIV. *Quoad quaestionem primam : affirmative quando Hebdomadarius non est Canonicus sed inferior de Clero. Quoad quaestionem secundam: servandam consuetudinem. Quoad quaestionem tertiam : affirmative.*

Ad XXV. *Negative.*

Atque ita rescripsit ac servari mandavit: Die 22 Martii 1862.

QUITEN-CONCHEN - GUAYAQUILEN.

Emi Vicarii Capitulares Dioecesuum Quitensis, Concbensis, Guayaqui memores sa: me: Gregorium XIII. in sua Bulla *Pastoralis Officii cura* data die 30 Decembris 1573 relate ad aspersionem cum aqua benedicta in Dominicis praemittenda Missae solemni concessisse Ecclesiis, quibus exemptiones et privilegia in ipsa Bulla expressa attribuit, quod Antistes seu alia persona principalis celebrans Missam Conventualem , praemissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos eius loco , et quod talis Sacerdos non deferat Pluviale sed albam et stolam, nec praecedat associatus cum Ministris, sed solum cum Acolythis, usque ab Anno 1860 a Sacra Rituum Congregatione humillime declarari postulaverunt, an in illis Cathedralibus, diebus intra Annum solemnioribusnon celebrante Antistite in Pontificalibus, sed eius loco Missam Conventualem cum cantu celebrante alia persona principali, sub generico titulo *personae principalis* intelligendi sint Canonici vel dumtaxat solae Dignitates earumdem Ecclesiarum Cathedralium.

S. C. audito voto magistri caer, rescribere censuit :

Intelligi Capituli Dignitates^ et ipsis celebrantibus aspersio fiat per Presbyterum.

Die 22 Martii 1862.

PALMAE IN BALEARIBUS.

Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Palmae in Baléaribus a Sacra Rituum Congregatione sequentia tria Dubia declarari humillime petiit,

I. Quum leges municipales prohibeant quominus ad Ecclesiam deferantur Cadavera Defunctorum, ac proinde nunquam funera institui possint praesente Cadavere, quaeritur, an, non celebrata Missa de Requie die sequenti non impedita, ea celebrari possit die vel tertia, vel septima, vel trigesima ?

It. An ad celebrandam Missam de Requie in duplici non impedito diebus tertia, septima et trigesima requiratur quod Defunctus sic ordinaverit in suo Testamento, ut innuunt aliqui Auctores , vel potius sufficiat voluntas consanguineorum amicorum, vel testamenti executurum ?

III. An in solemnitatibus Nativitatis, Paschae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi in Missa solemni cantata coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento, apponi debeat commemoratio Sanctissimi Sacramenti, vel potius sufficiat unica oratio de solemnitate ?

S. C. rescribendum censuit.

Ad I. *In casu standum alias Decretis, praesertim, in Fiorentina die* 25 *Aprilis* 1751, *ubi diebus etiam festivis de praecepto et Duplicibus secundae Classis permittitur una Missa solemnis de requie cum absolutione et precibus quae in die obitus feri et recitari solent, etiamsi Cadaver ob civiles praescriptiones non sit praesens in Ecclesia, sed adhuc insepultum, qua decet religione, servatur in loco decenti, apposito tamen in Ecclesia lodicis seu nigri panni signo ab eo diverso, quod in Anniversario adhibetur, ut Fideles intelligant Missam hisce diebus offerri in expiationem animae illius Defuncti, cuius Corpus traditum terrae adhuc non fuit, et Ecclesiae precibus etiam proprias adiungant.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, dummodo sermo sit de Missa cantata.*

Ad III. *Servandam Instructionem a sa: ine: Clemente Papa XII. datam Kalendis Septembris* 1730. *pro Oratione quadraginta Horarum.* Die 22 Martii 1862.

VALENTIN.

Rmus Dominus Marianus Barrio y Fernandez Archiepiscop. Valentin, cupiens ut in sua Dioecesi quoad fieri potest in explendis Sacris Functionibus omnia procedant ad praescriptum canonicarum sanctionum, a Sacra Rituum Congregatione sequentia Dubia declarari petiit , .nimirum :

I. Potestne tolerari praxis, quod in Missa solemni, praeter cantum ipsius Missae, cantetur in Choro a Musicis aliqua laus vulgo dicta *aria* sermone vernáculo ?

II. Potest ne retineri praxis sedendi in Choro, dum in fine Psalmorum dicitur *Gloria Patri.*

III. Dum in Choro coram Sanctissimo Sacramento publicae adorationi exposito solemniter persolvuntur Horae Canonicae, propter nimiam diuturnitatem, ab Ecclesiae legibus permittitur ut Chorales sedeant; extenditur ne eiusmodi per-

missio etiam ad cantum *Gloria Patri* in fine Psalmorum?

S. C. rescribendum censuit.

Ad I. *Negative, et abusum eliminandum.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative.* Die 22 Martii 1862.

SANCTI PAULI DE MINESOTA.

Rmus Dominus Thomas Grace Episcopus Sancti Pauli de Minesota a Sacra Rituum Congregatione sequentia Dubia declarari humillime petiit, nimirum :

I. Quum Patronus, seu Titularis Ecclesiae illius Cathedralis sit sanctus Paulus Apostolus, quaeritur an Festum Titularis, et Patroni recoli debeat die 29 Iunii, qua Festum occurrit Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, vel potius sequenti die 30 eiusdemMensis, qua Commemoratio agitur Sancti Pauli Apostoli ?

II. An tolerari possit mos in multis Ecclesiis existens, quo Sacerdos ante Missam Conventualem graditur per Ecclesiam, incipiens a parte Epistolae, et rediens per partem Evangelii, interim aspergens populum cum aqua benedicta? an potius aspersio Aquae benedictae facienda omnino sit per Sacerdotem stantem in aditu Sanctuarii, et inde ter populum in medio, a dextris et a sinistris aspergentem ?

III. Ob Clericorum paucitatem impossibile evadit, ut iuxta praescriptum Coeremonialis Episcoporum, Diaconi adsistentes adhibeantur in Missa pontificaliter ab Episcopo celebrata. Insuper decet, ut in solemnioribus Festis Episcopus ita celebret; et contrarium populo scandalo foret : quaeritur inde an iis in adiunctis liceat Diacono et Subdiacono Missae locum supplere Diaconorum assistentium ?

IV. Etsi a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX/potestas facta fuerit Episcopo Sancti Pauli de Minesota Feria quinta in Coena Domini Sacra Olea conficiendi cum Sacerdotibus qui haberi poterunt, evenit interdum, ut duo tantum vel tres ad maius haberi possint Sacerdotes, qui etiam Episcopo solemniter celebranti in Diaconali et Subdiaconali Officiis inserviunt , coeteris ob longitudinem itineris et necessitatem populorum pro Festis Paschalibus rite et devote celebrandis praeparandorum Cathedrali assistere omnino impeditis. Quaeritur ergo , an stante supra enunciata Pontificia dispensatione cum tam exiguo Sacerdotum numero, eadem Feria Olea Sacra consecrari possint.

V. Est ne omnino necessarium ut Olea Feria quinta iu Coena Domini consecranda debeant esse recentia ex. gr. ultimi anni?

S. C. rescribendum censuit :

Ad I. *Negative ad primam partem , affirmative ad secundam, et strictim servandam Rubricam in Breviario appositam ante Festum Sancti Pauli Apostoli.*

Ad II. *In casu servandam consuetudinem* .

Ad III. *Affirmative attenta necessitate.*

Ad IV. *Stante exposita necessitate posse.*

Ad V. *Negative , seu non esse necessarium.* Die 22 Martii 1862.

RUPELLEN.

Quum SSmus Dominus Noster Pius Papa IX/ clementer deferens votis Riïii Episcopi RupeHensis die 19 Octobris anni 1860 de speciali gratia concesserit Vicariis Generalibus eiusdem .Episcopi, nec non Canonicis titularibus, non minus quam Honorariis illius Ecclesiae Cathedralis, privilegium deferendi Crucem inauratali! super Vestes Chorales, quumque non una sit eorumdem Canonicorum sententia relate ad extensionem huius privilegii, ex eis enim aliqui tenent per Vestes Chorales intelligi tantum posse Rochettum et Mozzettam, exclusis paramentis sacris nempe Pluviali, Casula, Dalmatica et Tunicella, ac proinde Crucem concessam deferri minime posse a Canonicis paratis: alii e contra sustinent per Chorales Vestes intelligi posse quidquid in Choro a Canonicis defertur, ac proinde usum Crucis concessae extendunt etiam ad Canonicos paratos, de facto tamen huc usque unanimes se abstinuerunt ab assumenda Cruce dum sacris vestibus indui debuerunt, ac interim a Sacra Rituum Congregatione declarari humillime postulaverunt:

I. An per vestes Chorales intelligi debeant Rochettum et Mozzettam tantum, vel praeter Mozzettam et Rochettum Sacra etiam Paramenta, quae Canonici Episcopo celebrante deferunt ad normam Coeremonialis?

H. An posito, quod per Vestes Chorales intelligenda sint etiam Sacra Paramenta, Crux ex privilegio concessa deferri possit a Canonicis sive simpliciter paratis in Choro sedentibus, sive assistentibus Episcopo celebranti, sive etiam Diacono Evangelii et Subdiacono Epistolae?

S. C- rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad IT. *Provisum in praecedenti.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 22 Martii 1862.

DE AREQUIPA.

Rmus Dominus Bartolomaeus Herrera Episcopus de Arequipa a Sancta Sede declarari petiit : *Utrum Capitulares Cathedralis de Arequipa, stante ab ipsis allegata consuetudine, possint in praedicatione Verbi Dei adhibere stolam et Cappam Pluvialem?* Et quatenus Affirmative." *an id possint etiam in vim supra expressae consuetudinis, praesente proprio Episcopo ?*

S. C. rescribeudum censuit : *Dummodo adsit consuetudo, nihil obstare quominus ipsa retineatur.* Die 23 Decembris 1862.

ORDINIS CARTHUSIANORUM.

Quum in quibusdam Ecclesiis, in Gallia praesertim, inter Sacerdotalia Paramenta pro Missa celebranda Cingula lanea adhibeantur, Procurator Generalis Ordinis Carthu-

sianorum a Sancta Sede declarari petiit, utrum Gingilla ex lana adhiberi licite valeant in celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii ?

S. C. rescribendum censuit :

Nihil obstare, quominus Cingula in precibus enunciala adhiberi possint.

Die 23 Decembris 1862.

SANCTI IACOBI DE CHILE (1).

Quum nonnulli Capitulares Ecclesiae Metropolitanae Sancti Iacobi de Chile a Sacra Rituum Congregatione humillime declarari petierint :

L An in recitatione Horarum Canonicarum in Choro sine cantu teneantur Chorales ad asteriscum pausam servare?

II. Et quatenus affirmative; an consuetudo in contrarium retinenda sit prout obligatoria in casu?

S. **C.** respondendum censuit: *Ad asteriscum in recitatione Horarum Canonicarum pausam omnino servandam, non obstante quacumque in cowtrarium consuetudine.*

Atque ita rescripsit, ac seriad mandavit. Die 9 Iulii 1864.

DE NICARAGUA.

Rmus Dominus Bernardus Pinol Episcopus Nicaraguae vehementer sollicitus , ut quae ad sacram Liturgiam pertinent omnia rite ac secundum ordinem fiant, cumque anceps haereret: num quaedam consuetudines ab immemorabili tempore in Dioecesi sua existentes continuari possint, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia Dubia enodanda proposuit, nimirum:

I. Inter cetera privilegia, quibus Religiosi Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum fruebantur unum erat celebrandi Missam votivam solemnem de Beata Maria omnibus Sabbalhis, non obstante quocumque Festo duplici in iis occurrente. Sed cum iamdiu in omnium rerum perturbatione extincta fuerit in hac Dioecesi Sacra Religio Beatae Mariae Virginis de Mercede, nonnullis de Clero Saeculari fas visum est uti eodem privilegio in Ecclesiis ipsi Beatae Mariae Virgini de Mercede dicatis. Nunc autem ad|dirimendam hac de re ortam controversiam Sacrorum Rituum Congregationem adire consultius censetur, ut declarare dignetur hoc au iure fiat? Et quatenus negative: expostulatur, ut pro gratia Clero Saeculari ac Regulari Nicaraguensi concedere dignetur praedictum privi-

ci) Ante hoc Decretum in Gardelliniana collectione referuntur Decretum Urbis et Orbis, et Literae Apostolicae in forma Brevis, quibus probatur et omnibus praescribitur novum Olficium cum Missa respondente Immaculatae Conceptionis. Item Decretum Generale quod respicit signa dignoscendi corpora Martyrum in cryptis reperta, quod adduxi in *Fol. II. pag.* **170** *in adnotat.* **Item Decretum super festo S. Andreae Avellini, quod adduxi iu** *Vol. I. pag.* **238. Item Decretum Plurium dioecesium circa oleum adhibendum in lampade** *oram* **SSmo Sacramento, quod adduxi in** *Vol: I. pag.* **38.**

legium cantandi Missam votivam de Beata Maria in Ecclesiis eiusdem Beatae Mariae Virginis de Mercede omnibus Sabbathis, Solemnitatibus tantum exceptis iam a Sacra Rituum Congregatione enumeratis decreto 19 Novembris 1633, nec non in eius Festo celebrandi ab omnibus Sacerdotibus ad Ecclesias eiusdem Ordinis sive titulo Beatae Mariae Virginis de Mercede dedicatas confluentibus, Missam propriam quondam Regularibus concessam.

II. Utrum servanda sit consuetudo ab immemorabili invecta celebrandi in altari, ubi publice discoopertum manet SSmum Eucharistiae Sacramentum praeter Missam expositionis, aliam, quae praecipua est, solemnitatis, cuique magnus populi concursus adest: vel potius tanquam abusus eleminanda, licet ex hoc fideles moerore afficiantur?

III. Quando in Altari maiori Ecclesiae Cathedralis palam adorandum exponitur SSmum Sacramentum celebrari assuescitur praeter primam Missam pro exponendo et secundam quae solemnitatis dicitur, alia tertia Missa quae capitularis est: sed dubitatur an huiusmodi usus permittendus sit, vel potius transferendus chorus ad aliud Ecclesiae prouaum, ut ibidem Missa celebretur, quamvis hoc incongruum videatur, siquidem tunc populus ab adoratione SSmi Sacramenti diverteretur ?

IV. Aliquando contingere solet infra Octavam Corporis Christi vel aliis diebus, quod exposito SSmo Sacramento in Altarimaiori Ecclesiae Cathedralis occurrat praeter primam Missam de festo, altera Conventualis de Vigilia, sive de Feria decantanda in eodem Altari, quae quidem iuxta praescriptum Rubricarum celebrari debet in paramentis violaceis, cantuque feriali, et sine musica, cuius moestitia obsistere videtur pretioso festivoque decoramini in Coeremoniali Episcoporum pro Altari expositionis praescripto: proindeque dubitatur utrum servandus sit usus canendi praedictam Missam ferialem in Altari maiori ubi expositum patet SSmum Sacramentum. Et quatenus negative ; utrum eadem de causa prohiberi debeat SSmum Sacramentum patenter exponere in Quadragesima et Adventu, quando Missa de tempore celebratur ?

V. Utrum retineri possit inveterata consuetudo exponendi per totam diem SSmum Sacramentum in iis Solemnitatibus quae scopum habent sive mysterium aliud ab Eucharistia , sive Festum Beatae Mariae Virginis, aut alicuius Sancti vel potius, etsi invito populo, tamquam abusus extirpanda sit ?

VI. Utrum permittendus sit usus palam exponendi SSmum Sacramentum antequam illucescat aurora , et illud reponendi tempore nocturno vel potius prohibendus : siquidem in hac re eadem videatur esse ratio propter quam Sacror. Rituum Congregat, vetuit ne Fidelibus tribueretur S. Communio ante diluculum?

VII. Utrum consuetudo canendi Hispano idiomate carmina, aliosque similes modos musicos coram exposito SSïïio Sacramento, aut in eius Processionibus, cum contraria revera sit' Buliae *Piae sollicitudinis* fel. rec. Alexandri VII. aliisque Decretis Sacrorum Rituum Cogregat. tolerari possit in hac Dioecesi, vel potius quamquam populus moestaretur evellenda sit. ? Et quatenus negative: utrum saltem consuetudo cantandi carmina vulgari sermone in Ecclesiis, non exposito Sacramento, dum Divina Officia celebrentur nec ne , servari possit ?

Ad I. *Negative ad primam partem, ad secundam supplicandum Sanctissimo pro gratia iuxta preces in solis Ecclesiis ad Ordinem Beatae Mariae Virginis de Mercede pertinentibus* (1).

Ad IT. *Attenta consuetudine immemorabili tolerari posse.*

Ad III. *in casu, de quo agitur, ut in praecedenti.*

Ad IV. *Ad primam partem, affirmative ; ad secundam , provisum in prima.*

Ad V. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ad VI. *Ad primam partem generatim negative', ad secundam , provisum m prima.*

Ad VII. *Allenta consuetudine tolerari posse.*

Atque ita rescripsit ac servari niaudavit. Die 27 Septembris 1864.

Peracta postmodum de primo ex praedictis Dubiis SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. per Cardinalem Praefectum relatione Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habenspetitum Indultumiuxta preces benigne concessit. Die 1. Octobris eiusdem Anui.

NIYERNEN.

Quum Rmus Dominus Theodorus Augustinus Forcade Episcopus Nivernen. animadverterit sacrum Chrisma et Oleum Cathecumenorum Feria V. in Coena Domini benedictum sibi non sufficere ad consecrationem trium Ecclesiarum et duodecim altarium, a Sacrorum Rituum Congregatione supplicibus votis postulavit facultatem, vi cuius ad benedictionem aliorum Oleorum iterum , licet extra tempora, procedere valeat.

S. R. C. censuit *non esse indulgendum petitam facultatem, et Episcopus a vicinioribus petat Olea Sacra.* Die 27 Septembris 1864.

TRECEN.

Rme Domine uti Frater. Exponens Amplitudo Tua saepe saepius contingere , ut instaurari debeant Altaria omnia ex parte lapidea, sed ita ordinata ut Tabula lapidea, super stipitem itidem lapideum ex utraque parte reponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo , sub quo recondantur Capsae sacrarum Reliquiarum ita commode dispositae ut oculis Fidelium diebus saltem solemnioribus appareant ; adnotare non praetemisit in Dioecesi ista Trecensi esse et alia Altaria fixa, quae

(1) **Con fer quae deduxi** *in Vol. 1. pag.* **239** *et* **687**

coluranolis nitantur , quae stipitis locum habent circiter ad medietatem tabulae. Et quoniam ipsa Amplitudo Tua requirit utrum Altaria eiusmodi comprehendantur in Decreto Sacrorum Rituum Congregationis diei 9 Februarii 1675 in quo agitur de Altaribus vacuis; et quatenus affirmative facultatem a Sancta Sede humillime postulavit istiusmodi Altaria consecrandi ; Sacra Rituum Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunata, omnibus accurate perpensis, ac referente subscripto Secretario per particulares has Litteras communicare censuit Amplitudini Tuae *haec ipsa Altaria supra expressa consecrari posse dummodo omni ex parte ¿iipilibus adhaereant.*

Romae die 20 Decembris 1864.

ORD. MIN. SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM.

Dum Anno 1831 die 12 Nov. a Sacra Rituum Congregatione quaesitum fuit, ut declarare dignaretur iu una Marsorum ad Dubium XLIII. Aliqui in recitatione Divini Officii tam in choro, quam privatim, signum crucis sibi efformant, pectus percutiunt, caput detegunt, et se inclinant etiam in his locis, in quibus Rubrica nec Missalis nec Coeremonialis id praescribit. Quaeritur ergo quando haec omnia sint facienda tam in publica quam in privata divini Officii recitatione? Simpliciter respondit ipsa Sacra Congregatio : Serventur Rubricae. Quum vero per huiusmodi responsionem inducta minime fuerit exoptata uniformitas, ac diversae in re opiniones deducantur in praxi , Minister Provincialis Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Provinciae Ianuensis , S. Rituum Congregationi sequentia duo Dubia declaranda proposuit, nimirum :

I. An Crucis signum ad *Magnificat* ct *Benedictus* fieri debeat a solis Episcopis, specialiter commemoratis in Coeremoniali Episcoporum, an ab omnibus recitantibus ?

II. Et quatenus affirmative ad secundam partem : an hoc signum Crucis fieri debeat semper idest in quocumque Officio etiam defunctorum , tam in choro quam extra chorum ?

S. C. respondit :

[n casu signum Crucis ab omnibus faciendum tam in choro, quam extra iuxta laudabilem communem praxim praesertim in alma Urbe servatam. Die 20 Decembris 1864.

Decreta, quae supersunt, referemus in Appendice t. quarti voluminis, quod immediate sequitur.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

ACTA SOLEMNIORA ROMANI PONTIFICIS.

ACTA CONSISTORIALIA.

ECCLESIAS QUAE IN PRAESENTI VOLUMINE BREVI DESCRIPTIONE SPECIATIM NOTANTUR

Ex Ditione Pontificia

Ex Gallia

Ex Hungaria

Ex Algeria

Ex Hispania

Ex Belgio

Ex Borussia

Ex Rheno

Ex Asia

Ex America

Ex lnsxdis Philippinis

EX S ROM. ET UNIV. INQUISITIONE ET INDICIS CONGREGATIONE.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

EX S. APOST. POENITENTIARIA.

EX S. CONGREG. CONCILII.

Ex PARTICULAM **S.** CONGR. CONCILII.

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

EX S. CONGK. INDULGENTIARUM.

EX S. CONGREG. SS. RITUUM.

EX S. CONGREG. IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI D. N.

APPENDICES.

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM, QUAE IN PLERISQUE ACTIS HOC VOLUMINE RELATIS
ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN RESPECTIVIS ACTIS
AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sui) sequentibus verbis comprehenduntur ;

Altaria fixa.

Altaria quae dicuntur *fixa* **duplici ratione intelligi possunt, vel per oppositionem ad altare quod transfertur, vel per oppositionem ad altare quod consecrationis solemnis sit incapax, pag. toi, et p. 664.**

Altaria primi generis vere et proprie *fixa* **dicuntur, illa nempe quae structuram habent stabilem et immobilem sive cum suo fixo lapide consecratam, sive non consecratam, in cuius medio lapis consecratus etiamsi amovibilis ponatur, ibid.**

Secundi generis altaria fixa ea dicuntur quae lapidem cum suo stipite coniunctum habent, caeterasque servant conditiones, quibus solemnis consecrationis capacia redduntur, ibid.

Indulgentiae vero, quae dicuntur *altaris^* **quae altaribus fixis universim adnectuntur, non adnectuntur propter solemnem altarium**

Contractus emphyteuticua.

Cultus.

superindui esse debeant, quae sacrum propriumque signum est sive Sacerdotii, sive ordinis Diaconalis: nihilominus dantur sacrae functiones, in quibus satis esse videtur diaconalis Dalmaticae habitus, ut Diaconus eadem gestare possit sacramenta, pag. 547. et 596 ad XXVI.

Quamvis autem Feria V. in Coena Dornini convenientius videatur, ut Diaconus Evangelii Episcopo celebranti tradat ipse SSmum Sacramentum in processione gestandum: nihilominus, coeremoniali Episcoporum non omnes functionis actus singillatim describente, et deficiente generali decreto S. R. C. quod eos accurate determinet, utraque auctorum diversa sententia potest sustineri, ibid.

Ea autem in facto sententia est sequenda, cui, singulis in ecclesiis, faveat observantia, ibid. Vid. etiam p. 596 ad XXV et XXVI.

Non potest, asservari SSmum Sacramentum pluribus in Altaribus; neque publicae adorationi exponi sine venia Episcopi, 648 ad XIII. et XIV. De modo exequendi mandati in coena Domini Vid. pag. 651 ad X. 657 ad XIX.

Decimae.

In quaestionibus decimarum, quae a Parochis percipiuntur cum obligatione portionis Episcopo rependendae multum interest dignoscere, an Episcopus portionem accipiat tanquam simplex consocius seu ex simplici titulo quartae decimarum, an potius ex pacto sive tacito sive solemniter inito, fixa immutabilisque portio eidem sit praestanda, pag. 255.

In priori casu, decrescente decimarum perceptione eidem Episcopo rata portio decrescit; in altero casu non item, ibid.

Probata consuetudo immemorabilis, constantem portionem accipiendi, habetur loco pacti; talis enim consuetudo est praeclarissimorum titulorum foecunda, ibid.

Aequitas tamen non patitur, ut Episcopus eandem portionem percipiat, si nec eam colligere Parochi contributores valuerint, ibid.

Diligentiam tamen omnem adhibere Parochi tenentur quae eo usque procedere potest, ut decimarum debitores in ius vocentur, et iudicis sententia damnentur, ibid.

Negligentia posita, non impeditur Episcopus quominus interveniat nobili iudicis officio, quod sibi inhaeret, ad cogendos decimarum debitores, ut solvant decimas alicui tertio, qui directam adversus eos actionem non habeat, ibid.

Dismembratio paroeciae.

Dismembratio paroeciarum fieri non potest sine legitima necessitatis vel evidentis utilitatis causa et sine extrinsecis adhibitis solemnitatibus, pag. 362.

Eiusmodi solemnitates consistunt in audiendo Parocho aliisque, quo» um id intersit, quamvis eorumdem dissensus, si irrationabilis sit, sperni possit ac debeat, pag. 362,

Distinguendus tamen est casus dismembrationis, quae fieri non possit sine gravi iactura existentis Parochi et populi, ab ea quam fieri contingat ex nova dotatione et fundatione sine illorum temporali iactura, ibid.

Existente evidentis utilitatis causa, advenientibus ex peculiari fundatione et dotatione redditibus, necessaria non censetur neque Porochi neque populi consensus exquisitio, ibid.

Quod enim tibi non nocet, et aliis prodesse dignoscitur id quominus fiat impediri non potest, ibid.

Decreta generalia quoad ritum.

Decretum, quo correctiones et declarationes plures sunt editae Missale Romanum respicientes, pag 639 et seqq. et 648.

Officium SSmi Cordis Iesu quotannis celebrandum est in universa Ecclesia sub ritu duplici maiore Feria VI. post Octavam SSîiii Corporis Christi, pag. 486 in adnotatione.

Quibus annis Festum Immaculatae Conceptionis occurrat in Dominica secunda Adventus transferendum est in Feriam secundam immediate sequentem, dummodo non incidat Festum altetioris ritus, pag. 628.

Festum S. Patritii E. et C. recolendum est in universa Ecclesia ritu duplici minore, pag; 626.

Confer, alterum Decretum, pag 485

Festum s. Angelae Merici sub ritu duplici minori celebrandum, pag. C32.

Electio non solemnis.

Exemptio.

Exequiae.

Fructus Beneficii vacantis.

Fideicommissum abolitum.

Genuflexiones.

Indulgentiae quoad evulgationem.

Insignia Pontificalia.

Occurrentia et Concurrentia Officiorum.

Ontologismus.

Ordinum collatio»

Parochus coadiutor.

Parochus quoad funera.

Patrimonium sacrum.

Patroni coelestes et titulares.

Patroni quoad administrationem.

Praebenda theologalis.

Praecedentia.

Praxis SS. Congregationum.

Preces variantes»

Privilegia Clericorum*

Probatio factorum.

Professio religiosa quoad nullitatem.

Reliquiae sacrae.

Rescripta St. Sedis.

Restitutio quoad bona et fructus.

Seminaria.

Sepulcrum*

Synaxis sacra*

Synodus Provincialis.

Sodalitas Sanctissimi Sacramenti.

Spolia Episcoporum.

Sponsalia.

Stola.

SOCIETAS PRINCIPUM APOSTOLORUM.

Anno elapso humanissimis nostris Lectoribus dedimus cum fasciculo XXIV. quoddam Programma, quo de pia Societate ineunda agebatur ad erigendum Romae in Principum Apostolorum obsequium novum atque singulare Seminarium in bonum catholicae fidei. Dedimus pariter cum fasciculo mensis Novembris, idest post sex menses, Appendicem I. ubi prima nomina eorum inscripsimus, qui Promotorum munus in pia Societate susceperunt, a^que nonnullas declarationes adiecimus. Deinceps in chartula, qua unusquisque fasciculus amicitur, indicavimus pii operis profectum, qui eo usque devenit, ut iuxta Programma, gratissima nunc teneamur obligatione initium dandi Seminario proposito: ideo mense praeterito Promotores invitavimus ad proponendos Alumnos ut praeelectio fieri possit.

Nonnullos post menses Appendicem II. dabimus, ubi praeter nova Promotorum nomina, Oblatorum et Oblationes, quarum integram reddemus rationem, societatis reique statum describemus.

Vident profecto Lectores nostri amplam apertam esse Ecclesiasticis praesertim Viris cooperandi viam, mediumque facile eisdem esse exhibitum, quo christianum nomen propria operatione aut contributione pro viribus promovere possint.

SOCIETAS PRINCIPI]»! APOSTOLORUM

AD LATINUM SEMINARIUM

FIDEI DOCTRINAEQUE CATHOLICAE PROPAGANDAE

IN

EORUMDEM APOSTOLORUM OBSEQUIUM

ROMAE ERIGENDUM.

Appendix 1«

Die 8 Decembris 1867.

Ad programma, quod, dum Romae saecularia Martyrii Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli solemnia celebrarentur, in lucem prodiit, cui id initium est - *Vivens monumentum* haec quae sequuntur adiecimus.

CATALOGUS PRIMUS.

NOMINA EORUM QUI PROMOTORUM MUNUS EXTRA URBEM OBEUNDUM HACTENUS SUSCEPERUNT.

Illmus et Revmus Praesul Ioannes Balma Episcopus Ptolemaidensis in partibus infidelium.

Illmus et Revmus Praesul Philippus Manetti Episcopus Tripolitanus Abatiae Sublacensis Administrator Apostolicus.

Illmi et Revmi Domini (*)

Vincentius Raymundus Pelegrina y Lopez Canonicus Cathedralis ecclesiae S. Christophori de Laguna in insulis Fortunatis vulgo Canariis et Examinator Synodalis.

Zachas Chrysostomus O. S. F. Prior SSmi Salvatoris in Hungaria .

(*) Praesenti catalogo ordinem sequimur chronologicum, quo recensita Promotorum nomina Romae habuimus.

Girolimoni Raphael Parochus dioecesis Albanensis.

Aloisius Calezio Presbyter archidioecesis Neapolitanae.

Aloisius Scala Presbyter archidioecesis eiusdem.

Caesar Gariboldi Canonicus ecclesiae cathedralis Anconitanae et in Seminario eiusdem Hist. Eccl. Professor.

Pugnaloni Augustinus Parochus et Vicarius Foraneus dioecesis Anconitanae.

Zappavigna Leonardus Parochus dioecesis Cremonensis.

Amadini Iacobus Parochus coadiutor dioecesis eiusdem.

Gerlandus M[a] Genuardi Reneficiarius ecclesiae cathedralis Agrigentinae.

Carolus M[a] Borgognoni Philosophiae, sacrae Theologiae et iuris utriusque-doctor, in Seminario archidioecesano Bononiensi Professor Instit. iuris Canonici «t Civilis.

Iosephus Bracci Canonicus dioecesis Civitatis Castellanae.

Carolus Lupo Presbyter dioecesis Agrigentinae.

Eugenius Luzzi Archidiaconus ecclesiae cathedralis Spoletinae et Rector Seminarii Archidioecesani.

Aloisius Sartori Canonicus ecclesiae cathedralis Tuscanensis.

Nicolaus Guerrieri Presbyter dioecesis Luciensis.

Thomas Coccanari Canonicus ecclesiae cathedralis Tyburtinae Examinator Pro-Synodalis, utriusque iuris et sacrae Theologiae doctor.

Antonius Cocumelli Can. Archipresbyter insignis Collegiatae s. Stephani dioecesis Soranae.

Constantinus Desanctis Archidiaconus cathedralis Basilicae Albanensis, et Canonicus Theologus.

Tullius Sericei Can. Poenitentiarius cathedr. Anconitanae et sacrae Theologiae Professor in Seminario.

Petrus ex Baronibus Leopardi Can. cathed. ecclesiae Pennensis sacrae Theologiae doctor.

Carolus Mingaroli Presbyter archid. Bononiensis excipiendis Sacram. Confessionibus praepositus in Conservat, s. Marthae.

Romana Promotio, quam in alio referendus catalogo, cum interea habeat promissas ñxasque oblationes, quibus tres Alumni Romae ali possint, quisque e Promotorum numero cogitare pote-

rit, si velit, de persona, quam idoneam iuxta Programma agnoscat, ut deinde, in nova , quam opportuno tempore faciemus, invitatione, eam suggerere possit, ampla tum data de proposita persona relatione, ita ut scrutinio deinde peracto, servatisque servandis, primi Alumni eligantur.

DECLARATIONES.

His quae dicturi sumus satisfacere existimamus variis petitis declarationibus aut propositis difficultatibus. Sciendum itaque est, pluribus abhinc annis in votis plurium e romano Clero fuisse Collegium ¡talum Ptomae erigere pro exteris Missionibus, prout nonnulla in Italia et multo maiora in aliis quibusdam catholicis nationibus nobili hac de causa habentur. Verum duae, quantum novimus, aderant difficultates, quarum prior erat habendi seu facile cognoscendi illos, qui vera vocatione divina praediti essent ad exteras Missiones eundi, ne scilicet illud frequentius eveniret, ut postquam Alumni impensis Collegii edocti et alti essent, ad sacras Missiones vel non aequo animo accederent, vel etiam ecclesiasticam susceptam militiam derelinqueient: altera autem difficultas erat ingens pecuniarum vis, quae ad Collegium erigendum requiritur.

A£ non defuerunt interea pii viri, qui, veluti praesentientcs hoc Collegium erectum iri, suo testamento legata nonnulla hac de causa reliquerunt: et in presentía noscimus duo relicta esse legata, quorum unum ascendit ad scutata romana 2000, et alterum ad scut. rom. 1000.

Cum haec nos, qui latinas ephemerides scribimus, cognosceremus, cogitavimus per eiusmodi praesertim ephemerides, huic desiderio, quod maxime colimus, ex parte nostra facere satis : sed, pro praesentium temporum adiunctis,• *ampliori qua (ierit possit ratione et utiliori.scopo.* Ad haec cogitanda quodammodo nos impulit ratio agendi impiorum, qui in ecclesiae catholicae iacturam omnia investigant, magna moliuntur et animorum et virium consociatione facile cogitata exsequuntur. Utinam omnes qui in sortem Domini sunt vocati, quemcumque vitae ordinem susceperint, non quidem furore abrepti sicut impii, quod absit, sed fraterna charitate devicti ordineque servato in maiorem Ecclesiae profectum sua efficaci operatione iugiter intenderent!

Itaque in obsequium Apostolicae Cathedrae (quae praesenti tempore a christiani nominis osoribus vehementer impetitur), vidimus erigi posse Romae Seminarium, quod ab initio licet fortasse humile et parvum, pedetentim amplissimum esset evasurum; quod quidem non solum ex unica Italia Alumnos assumeret, sed etiam ex aliis occidentalibus regionibus: ex plagis enim praesertim orientalibus sicut etiam ex aliis infidelium locis Alumnos assumit insigne Collegium Urbanum -de Propaganda Fide.

Sed ut assignaremus huic Seminario (quod interea ***Latinum*** appellari poterit) peculiarem scopum, oculos convertimus ad praesentes Ecclesiae indigentiis: satis autem compertum est, non solum Antistites qui sunt in Missionum locis, sed etiam plures Episcopos aliosque Praesules, qui in locis Missionum stricto sensu acceptis .non sunt, saepenumero oculos Romam convertere, ut quaerant idoneos ecclesiasticos Romae edoctos, qui in suis seminariis docere valeant ecclesiasticas litteras et scientias, ad Clerum locorum indigenam rite instituendum: compertum simul est, quam impensis curis Romana Sedes instituit, ut in locis Missionum Seminaria erigerentur, ut per ea tamquam per perennes fontes indigena singulorum locorum Clerus augeretur, et, auctis ministerio sacrarum Missionum fidelibus, Clerus indigena, qui iisdem inserviret, nunquam esset defecturus (1).

Ut itaque hisce indigentiis Seminarium propositum aliquo esset subsidio, hunc-peculiarem scopum adsignavimus, videlicet: ***educandi in eo docendique Alumnos ita ut idonei evadant ad docendas literas ecclesiasticas et scientias in Seminariis erectis vel erigendis in Missionum locis, vel in aliis locis ubi eadem urgeat***

(1) **Nolumus heic silentio praeterire quod nobis,ipsis contigit postquam programma de quo agimus typis editum esset, non tamen evulgatum. Quidam Missionibus Africanis Praefectus Romam veniens nobis amice enarravit, se quemdam optimum constituisse locum praeclarumque aedificium obtinuisse in citerioribus Africae plagis in quibus non solum Nigri ex interiori Africa bene viverent, sed etiam Europaei: seque indigere ecclesiasticis viris, qui Nigros eo in loco instituèrent: cum nec ipse nec sui pauci socii maioribus intenti laboribus in id incumbere possent; et sciscitatus a nobis est, utrum eiusmodi ecclesiasticos nosceremus, qui ad hoc essent animo bene comparati: cui respondimus: de ratione proponenda, qua eiusmodi inaestimabiles viri comparari possent, in praesentia nos cogitare: quin imo Programma, quod typis editum erat, eidem tradidimus: quo perlecto, faxit Deus, inquit, ut hoc Programma exsecutioni mandetur!**

necessitas, habita praesertim ratione oblationum, quae ex his secundo loco indicatis locis obveniant, quem quidem scopum quantum noscimus, alia huius generis collegia tanquam praecipuum non habent. Et nullus profecto congruenter est in Orbe Catholico locus, in quo Seminarium hac de causa erigi possit, quam Romae, in catholicae unitatis centro, ubi Apostolica doctrinae catholicae traditio nunquam defecit nec ullis obnubilata est umbris.

Verum duae superius propositae difficultates erant nihilominus superandae. Utraque difficultas superari posse visa est per amplissimam Ecclesiasticorum (quos ad opus coadiuvandum invitavimus et invitamus) societatem, quae in Programmate delineata est. Namque Socii Promotores, (qui praecipuum societatis ordinem constituunt) duo expleturi sunt officia, quorum unum est suggerendi personam, quam vere idoneam existiment ad scopum Seminario praestitutum. Nemo autem non videt ex tot Promotorum numero, si singuli personam suggerant, locum facile dari posse splendidissimae tutaeque electioni; et ita primam difficultatem vicisse videmur. Alterum officium, quod socii Promotores habent, est promovendi iuxta propriam Ecclesiae catholicae charitatem oblationes, easque colligendi in locis in quibus sunt ; quas rogati Romam tuto mittent : tot vero recipientur in Seminario Alumni, quot erunt oblationes quibus prudenter ali posse praevideantur : auctis vel imminutis oblationibus, augebitur, vel imminuetur Alumnorum numerus: Interim si pinguiores obveniant .oblationes (nisi obsistat Oblatorum mens neque urgeat necessitas) cura non deerit eas frugifere Seminarii favore aliquo in loco collocandi : et ideo satis provisum videtur secundae difficultati superandae. Eo vel magis quod ipsum Seminarium constituitur veluti fons ad societatem augendam et perpetuandam ; Alumni enim , qui e Seminario exeunt, Promotorum officium in locis ad quae! mittentur exercere debent.

Sed tempora praesentia quibus vivimus, aliqui oggerent, ad eiusmodi institutionem opportuna non esse. Certe, respondemus, si de opere praesentibus diebus perfecte implendo ageretur, manus victas daremus: hisce enim diebus in Italia et Romae praesertim, alia multo graviora urgent, ad quae Fideles omnes oculos intentissimos habere debent; agitur enim de Ecclesiae catholicae triumpho contra acérrimos hostes. Attamen cum de

triumpho simus securi, non est inopportunum interea cogitare de opere quod, conversis aut contritis christiani nominis osoribus, rebus tranquillatis, refulgeat; et omnibus provide paratis nihil tunc supersit, quam manus operi alacrius admovere, cuius utilitas eo splendidior apparebit, quo maior indigentia se prodet.

interea illud est curandum, ut ampla constituatur Ecclesiasticorum virorum societas, quos Promotores appellavimus. Quorum Promotorum officia sic delineandus:

I. Promotor opus faciendum in notitiam fidelium suorumque amicorum deducet, ea de causa, ut aliquid pecuniae, quamvis tenuis, conferant singulis hebdomadibus, aut mensibus, vel alia ratione prout ipse Promotor melius iudicabit.

IL Nomina Offerentium et oblationes sive promissas sive collectas in aliquo libello accurate scribet.

HI. Ad efficacius obtinendum id quod primo loco diximus, poterit Promotor, quoties velit, pagellam concinnare vernacula lingua in qua brevis operis enarratio contineatur et utilitas (1), eandemque Romam mittere, ut typis tradatur; et quot exemplaria velit ad eundem remittentur, ut ea quibus velit diribeat.

IV. Cum Alumni eligendi erunt, omnes Promotores invitabuntur, ut suggerant singuli personam, quam existiment vere idoneam ad Seminarii scopum instruendam, data eiusdem personae propositae sincera relatione, ut deinde Romae scrutinio a Praesidibus peracto, servatisque servandis, Alumni quoi eligi possint eligantur.

V. Quousque prima huius rei invitatio facta Promotoribus non fuerit, nec primi Alumni sint Romae electi, fixae oblationes a Sociis Oblatoribus hactenus promissae non current; sed tunc solvi incipient, cum Romae primi Alumni erunt electi.

VI. Promotores, qui primi in hoc praeclaro opere instituendo nomen suum dederunt, duo haec maxime curare debent, I°. ut augeatur idoneorum Promotorum numerus, *T.* ut interim nomina Oblatorum quaerant qui fixas oblationes promittant, quae decurrere incipient tempore in N.° V. indicato.

(1) Dum tot héroes patriam derelinquentes suam in alienas terras demigrant, ut derelictam vineam Domini colant et suo frontis sudore irrigent, Alumni Latini Seminarii erunt illi, qui fontes aquarum in illis locis eliciant, ut suis ipsorum aquis aridi et derelicti agri Viueae Donii-ni foecunde irrigentur.

Qui" Promotorum officium suscipere hac in societate cupiant, iidem epistolam Romam mittant in qua contineatur *Nomen et cognomen, Tituli Dignitatis vel muneris, Dioecesis, Urbs et pagus, Domicilium.* Quibus addatur: *Ephemeridum, quae* ACTA *inscribuntur, socius lector^* si quidem eiusmodi sit : secus nihil addatur. Directio autem Epistolae inscribenda interea est : *Ad Rectorem latinae ephemeridis* ACTA, *apud Equitem Petrum Marietti. Romam.*

Eadem inscriptione epistolas mittere poterunt illi omnes sive Clerici sive non Clerici, qui ad Principum Apostolorum societatem pertinere velint tanquam Socii Oblatores, oblationes sive ordinarias sive extraordinarias in epistola definientes: in locis vero ubi iam extant Promotores, (quorum primum catalogum supra dedimus), ad eos sese dirigant. Namque socii Oblatores hac in societate regulariter sese referent immediate ad Socios Promotores; Socii autem Promotores sese referent ad Socios Praesides, quibus tota suberit societas statim ac satis amplus evaserit Promotorum numerus.

Rogati etiam fuimus, ut determinaremus ratam pecuniae portionem, quae exigi possit ab illis, qui tanquam Socii Oblatores ad hanc societatem pertinere velint. Sed ab hac determinanda omnino abstinernus: id enim commisimus arbitrio et prudentiae Promotorum, ut patet ex N.° i. Variae enim sunt conditiones et locorum et personarum quas multo melius Promotor in suis locis cognoscet. A numero autem Oblatorum neque ille esset excludendus, qui unum tantum obolum singulis mensibus traderet, in censu enim Oblatorum *omnes illi comprehenduntur, qui pro sua voluntate opem pecuniariam conferent repetitis vicibus; aut si una vice, talis eorum oblatio sit, quae consideratione sit digna,* ut in Programmate dictum *est pag.* 3.

Oblationes, quas Romae promissas habuimus, quarum quidem tabulam cum nominibus Oblatorum suo tempore dabimus, hanc videntur sequi mediam veluti proportionem, ut simplices Presbyteri promittant duo, digniores vero sex annua romana scutata solvibilia singulis trimesiribus. Diximus mediam proportionem; nam habentur et minores oblationes et multo pinguiores.

Cum autem opus satis subsistentiae et amplitudinis acquisiverit, illud Apostolicae Sedi humillime offeremus, ut tamquam

viridarium, non solum teneris nutriendis arbustis consitum, sed etiam viretibus arboribus ornandis putandisque amoenum, atque collata ope Catholici Cleri constitutum ad augendum Christianum nomen, in acceptis habere velit, optantes ut Sanctae Sedis Seminarium appelletur et sit.

Hisce omnibus satisfecisse videmur variis declarationibus circa editum Programma hactenus petitis.

Quisque denique e Promotorum numero opus de quo agimus ita considerare debet, quasi vero integre et unice a suo officio rite diligenterque obeundo pendeat : nec in sacratissima Hostia litanda operis obliviscatur, ut et Petrus et Paulus in suo formando vireto serant, putent et metant; Virgo decora, viretum placidissime invisens, quaerat angues in herba latentes, quorum cervices illico frangat et zizzania avellat: Cor autem Dominicum vivis aquis viretum irriget et rore gratiae suae totum foecundet opus.